Th.

Non c'è

WILHELMI LANGI
DE
ANNIS CHRISTI
LIBRI DUO.

Primus varios variarum Gentium annos & tempora exponit: Secundus, in duas divisus partes, priori Epochas nobiliores, quæ Christi Domini passionem antecedunt; posteriori ipsum Dominicæ Nativitatis & Passionis tempus demonstrat.

TATIANUS.

Παρ' οἷς ἀσυνάρτητός ἐστιν ἡ τῶν χρόνων ἀναγραφὴ, παρὰ τούτοις οὐδὲ τὰ τῆς ἱστορίας ἀληθεύειν δύναται.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex Officina IOANNIS MAIRE.
CIↃ IↃ CXLIX.

AVGVSTISSIMO.

PRINCIPI.

FREDERICO III.

DANIÆ. ET. NORVEGIÆ. &c.

REGI.

PIO. FELICI. INVICTO.

PATRI. PATRIÆ.

PERPETVAM. FELICITATEM.

PREC.

CUm Urbi ab hoste alienigenâ diu pressæ Mater Deûm inferretur, Plebs Romana obviam effusa, thuribulis ante januam positis, atque incenso

thure, Deam precata eſt, ut volens propitiaque Urbem Romam iniret. Quippe, libris Sibyllinis traditum, omnes noverant, hoſtem alienigenam tum pelli Italiâ vincique poſſe, cum Mater Idæa Romam eſſet advecta. Nos te, PRINCIPUM MAXIME, REX SERENISSIME, DOMINE CLEMENTISSIME, non vanis Sibyllarum oraculis, ſed admirandâ ſummi Numinis providentiâ, auxilium dubiis Patriæ rebus miſſum, non thure, ſed fauſtis acclamationibus votiſque excipimus, tibique quam poſſumus ab Deo ter Optimo ter Maximo felicitatem precamur. Afflixit enim nos diu multumque fortuna nimis abalienata, tantaque vulnera inflixit, ut de ſalute noſtrâ,
non

non pæne, ſed planè deſperatum eſſet. Nam cum, ſub Chriſtianiſſimo Parente tuo CHRISTIANO QUARTO, ſui temporis Rege omnium Maximo, pacis atque ocij bonis ita perfructi eramus, ut nihil uſpiam nobis deeſſet, quod à mortalibus vel voto concipi, vel felicitate poſſet conſummari: illa ferociſſimum hoſtem Pœno perquã ſimillimum terris noſtris infudit, qui, agros urẽdo, pecora hominesque abigendo atque interficiendo, urbes denique exſcindendo, maximis nos noſtramque Patriam cladibus affecit. Tum tamen, Divinâ clementiâ, & inauditâ omnibus ſeculis fortitudine & conſtantiâ Regis noſtri, id effectum fuit, ut pacem ac tranquillitatem læti denuò

 con-

confequeremur. Sed fortuna, nos minimè refpirare paffa, tantam nobis cladem tantumque vulnus in pace intulit, quo majus, ne in bello quidem, nunquam accipi poterat. Poftquam enim Optimum Principem CHRISTIANUM V. Daniæ & Norvegiæ &c. Regem electum, immaturâ morte Patriæ nobifque abftuliffet: eodem anno, Maximum pace belloque Ducem Regem noftrum Sereniffimum CHRISTIANUM IV. ad cœleftia regna revocavit. Quid tunc homines timuerint, quæ Senatus Regni trepidatio, quæ populi confufio, quis Patriæ metus, in quam arcto falutis exitiiq; fuerimus confinio, neq; mihi nunc exprimere vacat, neq; cui vacat poteft. Id folũ voce publicâ dixiffe habeo: Cujus

jus Regni ruinam timueramus, illud ne commotum quidẽ ſenſimus. Tu enim, Maxime Princeps, communi omnium voto ac cõſenſu Rex priùs deſignatus, quam publicâ Statuum voce electus, ita omnium ſpes atq; animos tuâ unius Majeſtate ſuſtentaſti, ut ſævientis fortunę impetum, ſi non contemneremus, certè per te vinceremus. Tuę namque Virtutes verè regię omnium in oculis atque auribus verſabantur. Infixa hęrebat omnium noſtrũ animis admirabilis illa Fortitudo & Prudentia, quibus incredibilis tuus in Patriam amor, ſuperiori Suecico bello, ſe lõgè clariſſimũ reddidit. Etiam occultâ lege fati, & oſtentis ac reſponſis deſtinatum tibi Danorum fuiſſe Imperium, ſicut nunc omnes poſt fortunã credere

dere coguntur, ita nos Dani tui antea quoq; id certò cognitū persuasumque habebamus. Unde firmiter conclusimus, nec sine te salvos nos esse posse, nec te Principe miseros. Si ergo Romani lapidem impolitū tantâ relligione, tantoque honore sunt prosequuti, quod Numen aliquod huic inesse crederent suis terris suoq; Imperio salutare: quâ nos pietate aut quo cultu te tuamq; Sacram Majestaté venerabimur, qui tam salutaris afflictissimæ Patriæ affulsisti? Tu namq; ut perdito seculo rebusq; nostris in pejus ruentibus succurreres, singulari quadam summi Numinis clementiâ & benignitate Patriæ Pater missus es & Deus. Enimverò, cum illi, qui Imperia administrant, Deiq; in his terris vices gerunt,

gerunt, Dii in Scripturis ideo appellantur, quod ſummi illius cœli terræque Gubernatoris adminiſtrationē imitari debeant & exprimere: tu, Sanctiſſime Princeps, maximarū virtutū dotibus condecorate, Deoque, quantum mortalibus membris incluſæ menti licet, ſimillime, prę omnibus hoc nomine dignus haberis. In Univerſi enim hujus gubernatione quatuor præcipua ac maximè illuſtria in Deo ſe exſerunt, Iuſticia nempe, Clementia, Sapientia, & Potentia, quibus omnia ita diſponit & ordinat, ut nec bonis præmia nec malis pœnæ deſint; ſubditis verò fidelibus, cùm alia omnia ad benè beateque vivendum neceſſaria, tùm præcipuè contra hoſtes tutamen firmumque perfugium ſem-

persint parata. Atque hoc ipsum ab Regibus in suis quibusq; Regnis est observandum. Quod, quò diligentius præstatur, eò majoribus commodis Regna ac Respublicas auget. Has verò omnes virtutes in te, REX FREDERICE, summas esse, omnes illi norunt & prędicant, qui te norunt. Neque enim illi istæ latere possunt, cui egregia tua facta omni laude longè majora oculos, aures, animumque admiratione impleverunt. Deo ergo simillime, &, nisi Scriptura fallat, Patriæ Deus, quibus te dignis honoribus excipiemus? quibus donis, tuus ego vilis, sed fidus subditus, salutare illud Numen tuũ mihi placabo? Solebant Agricolæ primitias frugũ Dîs agrorum consecrare, iisque, à quibus o-

mnia ſe accepiſſe credebant, partẽ bonorum dicare. Quod quidem à Iudęis didicerant, qui Moſis lege tenebantur, tam frugum primitias, quam pecorum hominumque primogenitos Deo offerre. Et ego omnia mea Deo ter Optimo accepta fero. Neq; enim à me ipſo quicquã habeo. Ipſius eſt, quicquid heîc boni. Quod ergo ipſi offerre nequeo, id tibi Divino vicario ac Patriæ meę Deo offero ac dedico, tuoq; Numini primitias non frugũ, ſed ingenij ac laborum meorum, conſecro. Equidẽ vile hoc donum eſt, nec Principe dignum. Sed & molâ ſalsâ benè litat, qui thura nõ habet. Et lymphâ ruſticus placuit, quam cavis palmis è proximo flumine hauſtam tranſeunti Regi obtulerat. Neque enim

dona Dî respiciunt, sed dantis volũtaté & affectũ. Patere ergo, Magne PRINCEPS, hunc vernantis ingenij fætum tuo Numini dicari: patere tuum illud Augustissimum Nomen vilibus hisce pagellis præscribi. Ego minimę sortis homo, nihil aliud habeo quod offerre possum: nec si maxima haberem, digna te tuisque in Patriam meritis dona dari poterant. Concludam igitur, & quod re non possũ, voto præstare conabor:

θεὸς ἐπίτροπος ἐὼν παῖσι μηδέτῳ
ἔχων τούτου κῆδος μεριμναισιν.

Vive Rex AUGUSTISSIME, *Patriamque tuis factis immortalem redde.*

Ita vovebam
Lugduni Batavorum
XII. Kal. Ianuarias
Anni M.DCXLIX.

R. T. Majestatis

fidelis subditus

WILHELMUS LANGIUS.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Mirari poteras, Lector benevole, cur ego, post tot Doctissimorum Virorum labores, de temporum ratione, Christique annis, scribere voluerim. Nam cum summi Viri Scaliger & Petavius (ut alios heic prætercam) multum in hoc argumento operæ posuerint, supervacaneum videri posset, ea pertractare velle, quæ ab aliis satis antea essent demonstrata. Sed si paulò accuratius rem ipsam mecum perpendas, facile deprehendes, me non temere quicquam fecisse, sed gravissimis causis motum, hæc conscripsisse ac in lucem emisisse. Nam, ut alia omnia prætermittam, & ex pluribus unicam tantùm causam attingam, Christiano homini nihil magis, post Dei & Christi veram ac solidam cognitionem, necessarium esse arbitror, quam ut tempus illud, quo dulcissimus Servator nobis datus est, & quo, pro nostris peccatis, gratissimum corporis sui sacrificium æterno Patri in arâ crucis obtulit, certò cognitum habeat. Nam cum tempus rerum norma sit & custodia, (ut benè à Stoicis dictum est) nihilque eorum quæ ante nos gesta sunt, pro certo ac indubitato haberi possit, nisi temporum charactere sit confirmatum: necessarium planè est, ut illud, quod omnium longè certissimum esse debeat, ac de quo nemo sine æternæ salutis dispendio dubitare ausit, tempus suum quàm accuratissimè demonstratum habeat. Hanc er-

go ob causam antiqui Patres maximam temporum doctrinæ operam navarunt, multoque labore salutare illud Domini & Servatoris nostri tempus eruere ac demonstrare sunt conati. Quâ quidem industriâ illud sunt consequuti, ut tam in nativitatis, quàm passionis tempore cum scripturis & veritate optime convenirent. Nemo enim inter antiquos illos fuit, qui non, aut exeunte XLIII. *anno Iuliano, aut ineunte* XLIV, *Christum natum crederet. Et quamvis sancti illi Patres in computatione annorum, qui natalem Christi & passionem intercedunt, non parùm erraverint; ipsum tamen passionis annum rectè illum fuisse definierunt, quo Phlegon omnium maximam solis Eclipsin sextâ diei hora contigisse tradiderat. Postquam vero barbaries seculum occupaverat, atque ignorantia, pulsâ undique eruditione, dominari cæperat: etiam hæc sanctorũ Patrum sententia ex Ecclesiis ejecta fuit, aliaque scripturis ac veritati adversa in ejus locum substituta, quâ Christus* XLV. *Iuliano exeunte natus diceretur. Et hanc Christiani omnes in vulgari adhuc usu retinent: quæ quidem binis solidis annis verâ Epochâ tardior est; & tamen optima erit, si cum illâ conferatur, quam Marianus Scotus, Sigebertus, Matthæus Parisiensis aliique barbari seculi Doctores sunt sequuti. Sed renascentibus paulatim literis, hoc in annis Christi vitium statim animadversum fuit. Ad quod tollendũ Viri undiquaque Doctissimi omnẽ operam ac industriam contulere. Inter quos præcipuus Iosephus Scaliger, qui primus totam temporum rationem ex*

certis

certis principiis demonstrare conatus fuit, variis mediis tam Nativitatis quam Passionis tempus investigavit. Ac in natali quidē Patrum opinionem secutus fuit, (quæ enim reliqua habet argumenta, nullius pretij sunt) in passionis verò tempore Cyclum quendam Alexandreum, ut ipsemet vocat, quo Iudæos Christi temporibus usos fuisse contendit. Sed sicut prior ratio incerta est, ita posterior planè falsa. Dionysius ergo Petavius aliam & longè ab hac diversam opinionem proposuit, quæ tamen, non minus cum Scripturis, quàm cum Scaligero pugnat. Quippe, juxta illam, Christus cum baptizaretur XXXII. *annorū erat, non* XXX, *quod D. Lucas asserit. Passus vero, juxta eandē, Dominus non vespera Paschatis sive* X.V. *Nisan, sed* XI, *aut* XII. *quod scripturis adversum. Aliorum, qui hæc studia attigerunt, errores heîc recensere necessarium non est, qui in ipso scripto satis perstringuntur. Cum ergo nemo hactenus ex iis qui in lucem editi sunt, tempus Domini & servatoris nostri* IESU CHRISTI *accuratè demonstraverit: operæ precium me facturum arbitrabar, si ea quæ hac de re commentatus eram, tecum Candide ac benevole Lector communicarem. Sed cum viderē, hæc, sine exactá tam Iudaici quàm aliorum annorum cognitione, minimè demonstrari aut intelligi poße, unaque animadverterem, temporū hanc rationem ita inter se cohærere, ut per partes satis commodè tractari aut tradi non posset: constitui omnia illa tempora, quæ Christi antecedunt, explicare. Hoc eò libentius feci, quod scirē, nec Scaligerum, nec Petavium, nec quemquam*

alium

alium ſatis accuratè hæc omnia pertractaſſe. Neque enim vel in Iudaico, vel in Græco, vel in antiquo Romanorum anno, aut Scaliger aut Petavius veritatem aſſequutus eſt. Vnde non mirum, graviter illos in aliis fuiſſe lapſos, cum ipſum fundamentum vitioſum eßet. Nos igitur, poſt generalē, de motibus cœleſtibus, ex quibus tempus depēdet, de die menſe anno, in ſe conſideratis, ac denique de variis Cyclis artificialibus, tractationē, annum Iudaicum, Græcū, Macedonicum, Romanum, Iulianum, Ægyptiacum ac Chaldaicum heic explicuimus. Cumque non minor de Epochis, quàm annorum ratione controverſia eßet, nobiliora ac maximè controverſa tempora etiam heic demonſtravimus, tam ſacra, ut mundi conditi, Diluvij, Exodi, templi conditi, templi combuſti, quàm prophana, quæ ſacris lucem adferre poſſent, utpote Regum antediluvianorum, Nimrodi, & Aßyriorum, Ægyptiorum, Phœnicum, Medorum, Babyloniorum, Perſarum, Romanorum, Haſmonæorum, aliorumque. Quibus illud, propter quod reliqua conſcripta erant, ſubjunximus, verumque tempus tam nativitatis, quàm paßionis demonſtravimus, quæque heic ſpectant explicuimus, ut ex ſummariis capitum, ac ipſo ſcripto melius ſciri poterit. Menda quæ Typothetarum incuriâ variis in locis irrepſerunt, mihique gravioribus occupato ante perfectas operas obſervata non ſunt, facile per teipſum corriges. Mihi, graviora notaſſe, ſuffecerit. Have, Lector candide, & vale noſtriſque conatibus fave.

IN-

INDEX AVCTORVM.

A.

Abraham Aben Ezra 18.53.123.128. 129. 145. 389. 398. defenditur. 23.
Abydenus explic. 235
Acacius Presbyter. 3
Achilles Tatius 10.13.41.215. emend. 49
Acta Polycarpi. 190
Acta Timothei 189
Ælianus. 180
Æschines. 31
Æschylus. [illegible].320
Africanus. 6[illegible].171.14. 321.373.
Agatarchides. 46
Agathias. 324
Albategnius. 187.214.explic.99.
Alexander Monachus. 191
Alexander Polyhistor. 253
Leo Allatius refutatur. 150.159. 160.notatur 200.227.
Ambrosius. 3.88.98.357.359
Anatolius.81.ejus locus difficillimus explicatur. 82.83
Annales Tyriorum explicantur defenduntur. 208
Anonymus Chronologus apud Clementem emendatur. 298
Anonymus Scriptor Olympiad. 96.97.98
Antonius Sylvius notat. 45
Apollinarius Hieropolitanus.394
Apollodorus. 173
Appianus. 340
Aratus. 63
Isaachus Argyrus. 89.91. 105.107
Aristarchus. 15
Aristophanes. 157
Aristophanis Scholiastes.37.162
Aristoteles explic. 9.157
Auctor.fragmenti Paschalis Petri Martyris. 393
Auctor Homiliæ Petri. 112
Augustinus. 373

B.

Baronius. 385.notatur.390
Thomas Bartholinus. 434
Basilius Magnus. 19
Beda.3.3.83.98.notat.4.explic. 147.374
Bernhardus. 434
Berosus Chaldæus. 36. 64. 266. 308.explicat.254.255.313.cum Scriptur. conciliatur 316. notatur 254.266.
Samuel Bochartus. 258
Bridefertus Ramesensis Bedæ Scholiastes. 4.383.384
Caspar Brochmannus. 80.424
Augerius Busbequius. 27

C.

Cæsar. 26.37.46
Cajus Licinianus. 46
Cambdenus. 26
Canones Apostolorum suspecti 80.emend. 80
Canon Mathematicus explicatur. 306.308
Cantiones antiquę Danicę, vulgo Kempeviser dictæ. 27
Isaacus Casaubonus. 35.360
Cassius Hemina. 206.330

*** Cato

Cato. 62
Catullus. 172
Cedrenus notatus. 96
Censorinus. 26. 195. & passim alib.
Cephallion. 268
Chalcidius. 366
Chemnitius. 372
Christmannus. 237
Chrysococces. 19.20
Chrysostomus. 358.382
Cicero explic. 50.155.156
Claudianus. 62
Clemens Alexandrinus. 2. 280. 327. 334. 373
Clemens Romanus. 359
Cleobulus. 149
Cleomedes. 13
Codex Evangeliorum Arabicorum. MSS. 107
Codex Justiniani. 98
Codex Mss. Livij Buslidianus. 198
Codices Talmudici : Erachin. 69. Ioma. 21. Megillah. 259. Menachoth. 24. 396. Pesachim. 24. 307. not. 348. Roshasanah. 112. 113. 131. 336. examinatus & refutatus. 243. Sabbath. 396. Sanhedrin. 130. 360 Suchoth. 396.
Johannes Coch. 130.
Colbo liber Iudaicus, *sive omne in illo*. 190
Columella. 45. 210. 166. explic. 167. 188.
Conciliorum acta. Cæsariensis. 383. Chalcedonensis. 98. Constantinopolit. 2. Ephesini. 2. Nicæni. 2. 101
Constantini Magni Epistol. 80
Constantinus Porphyrogenneta notatur. 96
Nicolaus Copernicus. 14.49
Cornelius Labeo. 46
Corpus Juris. 98
Ctesias notatur. 292.327
Curtius. 324
Cyrillus. 268

D.

R. David Kimchi explic. 134
R. Dio Cassius sive Coccejus 42. 96. 196. explic. 210. 334. 348. error ipsius. 227
Diodorus Siculus. 52. 63. explic. 182. 227. 327. &c.
Dionysius Exiguus. 3. 87. 94
Dionysius Halicarnasseus. 43. 45. explicatur. & defend. 294. 326
Dorotheus Sidonius notat. 266.

E.

R. Elias Scripturarius. 24. 67. 70. emend. 126
Ennius. 11
Ephorus. 19
Epiphanius. 2. 33. 38. expl. 191. 369. locus difficill. expl. 118. 121. emendat. 121. notat. 123. 366. 384
Eratosthenes. 10.11
Eubulus Comicus restituitur. 35
Eudemus. 292
Eupolemus. 268
Euripides. 13.52
Eusebius 64. 81. 96. 92. & passim. emend. 240. 268. 369.
Eustathius Antiochenus. 19
Euthalius Diaconus. 191
Euthymius. 364
Eutychius Alex. Scrip. Arabs. 103

F. Fasti

F.

FAsti Coss. notantur, emendantur. 303. seq.
Fasti siculi, alias Chronicon, Alexandrinum & Constantinopolitanum. 95. 96. notat. 190
Fenestella. 194
Festus. 32. 201
Festus Avienus. 163
Festus Rufus. 334
Iulius Firmicus.

G.

GAlenus. 20. 35. 180. emend. & explic. 185
Rabban Gamaliel. 113
Theodorus Gaza. 162. err. 207
A. Gellius. 26. 27. 28
Gellius Historicus. 206. 30
Gemara Babylonica. 112. 130. 113. Sanhedrin explicatur 130. emend. 131
Geminius. 44
Geminus. 19. 50. 53. 68. & pas. à falsa explicatione vindicat. 220
Gennadius. 94
Germanicus Cæsar. 211
Georgius Monachus. 96
Glossarium vetus Græco-Latin. 12. 32.

H.

HArpocratio. 37
Hemerologium Augusti marmori incisum. 44
Herodotus. 33. 69. 150. 292. explic. 293. 328. nota. 266
Hesychius. 362
Hieronymus. 12. 92. 103. 104. 369. 381. 434
Hippolytus Ponti Episcopus. 394
Homerus. 31. explic. 32. 363
Horatius. 375
Horus Apollo. 62. 217. 218. 224. 225.

I.

IDatius. 102
Iehuda Hakados auctor Mischnæ. 112
Ignatius. 2. 367. 373
Inscriptiones antiquæ. 2. 3. 100. 158. 159
Ionathan. Paraph. Chaldæ. 390
Iosephus Ægyprius Script. Arabs. MSS. 101
Iosephus Iudæus. 24. 65. 36. 113. & passim. explicatur. 28. 184. & passim. 24. 184. notat. 272. 348. emend. 354. 336. 338. 349
Iosephi ὑπομνηστικὸν MSS. 115
Irenæus. 78. 79. 371
R. Isaach Arama. 134 397
Isaachus Monachus. 227
Isidorus. 357
Ismael Ibn Ali Mahummedanus Scriptor MSS. 102
Julianus Apostata. 34
Julius Modestus. 46
Junius Gracchanus 194
Justinus Martyr. 170. 357. 364
Juvenalis. 375

K.

A*Thanasius* Kircherus. 37
Keplerus. 370

L.

LActantius. 64. 373
Diogenes Laertius. 151 158. 322.

Licinius Macer. 194
Livius. 11.12.206.expl. 198.207
Christian. Longomontanus. 16. 17.48.66.84.
Lucanus. 11
Lucianus 149.expl. 221.
Iohannes Lucidus. 415

M.

MAcrobius. 26. 27.32.62. & passim. explic. 198. 199. 200.367.notatur 199.204.
R. *Moseh filius* Majemon 111. 125. 126.127.130.280.386.explic. 129. 130.131. 132. 387.388. notatur 390.
Majemonidis Scholiastes. 233
Maldonatus notatur. 372
Manetho Sebennythis Sacerdos Ægyptius 64.emendat. explic. 198.199.200. explic 327.222. difficil.loc.explic. 278,&c.
Manilius. 304
Marcellinus Comes. 97
Marianus Scotus 94
Martialis. 29.104
Maximus Monachus.96.not. 358
Megasthenes. 316.324
Menander Ephesius emendatur 288.expl. & defenditur. 288
R. Menasseh filius Israelis. 258
Minhagim Judæorum. 21.311
Mischna. 112.130.131
Montacutius notatur 414

N.

NAnnius. 198
Nicolaus Damascenus. 26. 116. 351.
Nonius. 158

O.

OBadia Barthenora. 397
Onkelus Paraphrastes legis 390.
Onomacritus. 36
Onuphrius Panuvinus. 100
Origenes Adamantius. 364
Orpheus. 36.52.231.

P.

PAcuvius. 16
Pantagathus. 100
Panegyristes Constantini 97. emend. 104
Paulus Prsbyter. 3
Pausanias. 170.172.177. not.183
Persius. 36
Petavius. 4.66.81.refutat. 82.83. 138.139.198.199.200.275.notat.153.154.162.164.167.182 183.237.268. 288. 298. 370
Samuel Petitus refutat. 124.201
Philemon. 32
Philippi Patris Alexandri Magni epistola explicat. 180.183
Philippus Lansbergius notat.360
Philistus notat. & explicat. 290
Philo Bybliensis Sanchuniathonis Interpres. 274
Philo Iudæus. 112.249.334.385.
Photius. 393.394
Plato. 10.18.36.63
Pindarus. 170.172
Phlegon Trallianus. 415.434
Plautus. 45
Plinius. 21.24.37.63.84. 211.14. 158.171.266.366 expl. 212.&c.
Pindari Scholiastes. 12.172.173. explicat. 174

Plutar-

Plutarchus. 12. 19. 181. 194. 196. 206. 207. explicat. 151. 222. emendat. 28. &c.
Iulius Pollux. 32. 36
Polybius. 175. 304
Polycratis epist. emenda. 78
Pontius Paulinus. 357
Porphyrius. 158. 226. explic. 226. 247.
Proclus. 247
Procopius. 274
Ptolomæus. 84. 182. 189. 156. 163. 164. 167. 168. 305. explicat. 232. emend. 307.
Pythagoras. 9

R.

Regiomontanus. 325
Rothmannus. 23
Rutilius. 325
Johannes P. Resenius. 423
Johannes I. Resenius. 423

S.

Sacra Scriptura ejus auctoritas defenditur. 353
Genesis cap. 1. v. 1. explic. 243. v. 4. expl. 18. v. 5. p. 21. v. 16. p. 17. c. 4. v. ult. expl. 251. cap. 5. v. 15. seq. explic. 65. cap. 6. v. 4. expl. 252. cap. 7. v. 11. expl. 65. cap. 8. v. 3. 7. 8. p. 72. v. 9. 13. p. 73. v. 14. p. 74. c. 10. v. 11. expl. 165. cap. 11. v. 26. expl. 257. v. 31. 258. v. 32. expl. 257. cap. 12. v. 3. expl. 257. v. 26. explic. 255. cap. 15. v. 13. expl. 259. v. 16. expl. 261. cap. 21. v. 5. 258. cap. 25. v. 26. 159. cap. 38. v. 11. 263. cap. 46. v. 18. 20. 259. cap. 47. v. 9. 28. 259. cap. 48. v. 22. 261. c. 49. v. 8. 9. 10. sequent. explic. 425.
Exodus. cap. 6. v. 18. 20. 259. c. 21. v. 1. 129. v. 6. expl. p. 21. v. 10. 388. v. 15. 388. v. 21. 386. v. 40. sequent. expl. 260. 261. 263 cap. 16. v. 8. 23. 263. c. 21. v. 2. 136. cap. 23. v. 10. 135. v. 16. 246. cap. 34. v. 25. 388.
Leviticus. cap. 23. v. 4. 5. 6. 7. 388 v. 11. expl. 397. v. 31. expl. 375. cap. 25. v. 1. expl. 141. v. 10. 11. 136. v. 20. 21. expl. 139.
Numeri. cap. 9. v. 13. 394. cap. 10. v. 11. 142. cap. 11. v. 34. 35. 142. cap. 13. v. 1. 142. cap. 14. 142. cap. 20. 281. cap. 21. 281. cap. 28. v. 19. 390. cap. 32. v. 40. 261. cap. 33. v. 16. 17. 142. v. 18. 276. v. 38. 39. 264. v. 39. 281. v. 50. 141.
Deuteronomium. cap. 1. v. 3. 264 cap. 4. v. 45. 46. explic. 276. c. 15. v. 1. 136. v. 12. 136. c. 16. v. 4. 388. v. 5. 386. v. 8. expl. 390. c. 18. v. 10. 138. c. 27. v. 2. expl. 141.
Josuæ. c. 5. 10. 11. 12. 264. c. 14. v. 7. 10. 11. expl. 141. 142. c. 23. v. 1. expl. 280. c. 24. 31. exp. 280
Iudicum. cap. 2. v. 7. expl. 280. v. 8. 280. c. 3. v. 11. & 12. ordinantur & expl. 280. c. 3. v. 30. expl. 280. c. 5. v. 31. expl. 280. 281. c. 8. v. 28. 281. c. 9. v. 22. 281. c. 10. v. 2. 281. v. 3. 281. v. 8. exp. 281. c. 11. v. 26. expl. 281 c. 12. v. 7. 282. v. 10. 282. v. 11. 282 v. 14. 282. c. 13. v. 1. expl. 283.

v.5.282.cap.14.v.4.expl.282. 283.c.15.v.11.20. expl.282. 283.
Samuel 1.aliis primus Regum.c. 1.v.3.expl.235. c.4. v.1.284. c.5.v.23.283.v.10.18.284.c.7. v.11.12.13.expl.282. c.20. v.5.expl.134.
Samuel secundus, aliis secundus Regum.c.5.v.11. expl.288. v. 14.15.expl.288.c.12.v.24.289.
Primus Regum.aliis tertius,cap.2. v.11.c.6.v.1. seq. explicatur, &cum aliis scripturę locis conciliatur.25.276.277. seq. c.9. v.10,11.288.c.11. v.42. 284. cap.12.v.19.20. 285.
Secundus Regum,aliis quartus.c. 18.v.2.285. c.24. v.12. expl. 311.v.13.313.
II. Chron.8.v.1.288. c.17.v.7. seq.248.cap.30.v.19.20.21. expl.287.c.35.v.7.expl.386.c. 36.v.6.313.v.9.10.expl. 312.
Esdræ 1.v.2.323.c.4. v.5.6.7.8. 419.c.5.v.3. expl.419.c.6. v. 14.expl.420.c.7.v.6.exp.420.
Nehemiæ.2.v.1.5.8.expl.419.c. 8.v.1.seq.248.c.9.v.1.seq.248.
Iobi.cap.29.v.2.134. 134
Psalm.34.v.1.expl.277. 51.v.1. expl.277.72. v.8.425. 144.v. ult.241.
Esaiæ 37.v.30 expl.285.286.c.53. v.11.expl.420.c.63.v.11.expl. 253.
Ieremiæ.22.v.13.expl.313. c.25. 22. seq. expl.315. c.27.v.4.5. 6.317.v.7.expl.318. c.28.v.1. 311.c.29.v.1.310.c.32.v.1.310. c.33.v.17.420.c.34. v.8. seq. 186.c.52.v.45.&c. 310
Ezechiel.c.1.v.1.p.314.c.24.v.1. 312.c.33.v.21. 312.29.
Daniel.c.1.v.3.expl.313.c.5.exp. 317.318.c.6.expl.319.c.7.v.1. 317.c.8.v.1.317.c.9.v.1.expl. 318.v.24.seq. 418
Habacuc.2.v.2. 243
1.Macab.6.v.20.146.c.13.v.41. 336.
Matth.2.v.1.361.c.2.v.16.366. c.5.v.12.394.c.6.v.18.363.c. 9.v.26.365.c.12.v.40.expl.375. 595.c.26.v.2.389.v.17.389. c.28.v.1. seq.expl. 376
Marc.c.14.v.1.395.v.12.389.c. 16.v.9.10.expl. 376
Lucæ.c.2.v.1.361.v.39.expl.367. c.3.v.1.366.v.21.expl.361.v. 23.366. c.9.v.14.363. c.18.v. 12.expl.376.c.22.v.58.59.364. v.66.384.c.23. v.41.42.364. c.24. 376
Iohan. c.1.explic. 356. c.2. expl. 356.v.20.343.c.4.35.expl.373. c.5.v.1.expl.373.c.6.v.2.373. c.13.v.30.382.c.20.exp.376. c.21.v.25. 372
Actor.1.v.22.366.c.2.v.41.364. c.5.v.36.363.c.7.v.4.exp.255. v.14.262.c.10.v.37.366.c.11. v.2.78.c.16.v.3.expl.78.c.27. v.9. 344
Gal.c.3.v.17.expl.258.c.5.v.3.78
Claudius Salmasius. 162.199
R. Samuel. 38
Iosephus Scaliger notatur.69.103. 112.

112.114. 7.150.162.163.298. 364 397.exp.ac def.218.227.
Seder Olā.34.359.26.3emend.264
Seder Tephilloth. 21
Seldenus 24.115
R. Selomoh Iarchi.19.21. 389
Seneca Poëta. 173
Cassius Servilius. 44
Servius Virgilii Scholiastes. 11
Septuaginta Interp. 65. not. 259
Severus Sulpitius. 370
R. Simeon. 132
Simplicius. 163.236.266.
Socrates, not. 79
Solinus, not. 199
Sosicrates 322
Stephanus de Urbibus. 266
Stobæus. 26.63
Strabo.19.179.218.324.exp.227
Iohannes Suaningius. 424

T.

Tabula Anchisensium. 304
Tabulæ Censoriæ. 300.357
Tacitus. 26.146.206.335.exp.366. 406 (131.387
Talmud Babylonicū.21.131.exp.
Talmud Hierosolymitanum. 259
Tertullianus 2.168.expl.emend. ac defenditur. 369
Theo Alexandrinus. 154. 216.226
Theophilus Cæsariensis expl. ac defenditur. 383
Thucydides.173.326. exp.294.327
Titus. 46
Toletus, defend. 397
Alphonsus Tostatus. 385
Trebatius. 46
Tuditanus. 44
Tycho Brahe. 16.49

V.

Varinus Phavorinus. 326
Varro 11. 26. 27. 44. 194. 201.expl. 203.158.
Virgili⁹.17.20.51.52.249.exp.11.12.
Gerhardus Vossius. 360
Olaus Wormius. 27

X.

Xenophon. 266.324
Xiphilinus 40

Z.

R. Abrahā Zachut auctor Iuchas.38
Zenobius. 179

AD VIRUM CLARISSIMUM

Dn. WILHELMUM LANGIUM.

Cernebas forsan, tantis vix corporis ausis
Respondere annos, sufficere ast genium.
Ergo Christi annis addebas quicquid abesset,
Ut tibi sic ætas grandior aucta foret.
Néve videreris nimis audax, tanta repente
Perficiens, quæ alii vix potuere Senes.
At non corporibus, sed menti est insita Virtus.
Perficit & parvo tempore multa labor.
Egregium factum, verum præponere velle;
Exspectanda licet grandia sint odia:
Ast majus, posse & velle id proponere vulgo:
Exspectanda licet tanta sit invidia.

Plenius

Pleniùs & breviùs nullus modò supputat annos
Abstrusos multis, quos tuus edit amor.
Præterita edoctus, venturique inscius ævi,
Omnia disponis sint quasi nota tibi.
Nec seclo dubitas injicere fræna fugaci, ut
Tempus edax famæ desinat esse tuæ.
Iam fama illustrem meritò te secula sera
Cantabunt, LANGI, cum tua scripta legent.
Nec quia victor eris, fortes mirabimur ausus
Præclaros, animi viribus & genio,
Quin potiùs, votis Numen venerabimur, omni ut
Tempore, tanta tibi sint bona perpetua.

Ita amico suo veteri & candido, cum Tractatum de ANNIS CHRISTI *publici juris faceret, amicè gratulabatur*

ERASMUS BARTHOLINUS.
Casp. f.

Ad Clarissimum & Præstantissimum

DN. WILHELMVM LANGIVM

Opus de Salvatoris IESU concinnatum Annis publici juris facientem.

TEmpora dum, LANGI, *longos diffundis in annos,*
Illius & (qui secla, dies ac tempora nescit,
Et sine temporibus, superato tempore, vivit;
Temporis in spatio quamvis sit temporis auctor,
Articulos etiam cognoscit temporis omnes,)
Tempora dinumeras: propriis insignibus ætas
Obvia sit, pateant facies ut temporis atque
Vberis ingenii monumenta perennia linguis.
Quæ cita nulla dies, non innumerabilis orbis
Annorum series, sed nec fuga temporis ulla
Diruet, aut faciet fines ut temporis ullos,
Attingant habeántve, homines dum tempora pascent.
Perge igitur, dum tempus adest, ut tempora narres,
Ac memores annos, donec te deserat ætas.
Sic rerum memores anni & tibi tempora sancta
Debebunt. Sic Posteritas te sera loquetur.

Perveteri & candido amico posuit

IACOBUS BIRCHERODIUS.

WIL-

WILHELMI LANGI
DE
ANNIS CHRISTI
LIBER PRIMUS.
CAPUT I.

Vulgaris Christi Epocha neque cum scripturis, neque cum antiquis patribus convenit. In usu communi ante quintum à nato Servatore seculum non fuit: sed ejus loco, Fasti Coss. Æra Hispanica: Anni Alexandri: Diocletiani aliique. Primus Dionysius cognomento Exiguus circa annum Christi commun. DXXXII. *hac usus est: aliisque ut idem facerent auctor fuit. Qua tamen nunc utimur, non Dionysii est: sed Bedæ: Temporis ratio unde dependeat? Characteres temporum qui? & quotuplices?*

MAGNA inter doctos nostri ævi homines de tempore illo controversia est, quo æternus Dei filius JESUS CHRISTUS, Servator noster dulcissimus, carnem assumpserit: nostrique causâ, tantam ac tam abjectam servitutem subierit. Disputatur hic, non de die solum: sed etiam de ipso anno. Omnesque nostri seculi homines in hoc conveniunt: vulgarem Epocham, quæ in communi usu est, minime veram esse. Et illud quidem ita se habere; res ipsa docet. Neque enim, Epocha hæc, cum characteribus temporum in scripturis sacris propositis; neque cum antiquiorum Patrum sententiis, ullo modo convenit. Scriptura quidem sacra, quamvis nullibi annum Christi natalem, expressis verbis, & totidem (quod ajunt) apicibus, prodat: characteres tamen quosdam, ac temporum notas infallibiles annotavit: ex quibus, cuivis, simplici fide, pietate ac industriâ debitâ, hæc inquirenti, facile erit, verum nativitatis tempus eruere ac demonstrare. Cum vero altioris hæc sint indaginis: non mirum, si auctor Epochæ hujus, ea non sit assequutus. Mirandum magis: quod, cum sancti Patres, qui seculis, post Christum, tribus quatuórve, floruerunt; aliam opinionem habuerint, scripturis optime convenientem: hic, ipsorum

relictâ, aliam, ſcripturis minus congruentem, fuerit ſecutus. Enimvero, omnes fere Patres, *Ignatius, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Epiphanius, Hieronymus*, & alii, Chriſtum anno Iuliano XLIII. exeunte: vel XLIV. ineunte, natum perhibent: ſicuti illud, ex ipſorum ſcriptis, volente DEO, in hac diſſertatione, demonſtrabitur. Vulgaris autem Epochæ Auctor (juxta quem, annus, quo hæc ſcribimus, eſt à Calendis Ianuariis, quæ nativitatem proximè ſunt inſecutæ, MDCXLVIII.) XLV. Iuliano exeunte id factum vult: adeoque, integro biennio, ab alterâ opinione differt. Quis primus Chriſtianis auctor fuerit, annos à nobiliſſimo hoc tempore deducendi, omnibus ſatis cognitum eſt: an vero is, hanc, qua nunc utimur, Epocham adhibuerit? equidem in dubium vocatur. Qui ad quintum uſque à Chriſto ſeculum vixerunt, in faſtibus, actiſque publicis ac privatis, ſignandis, alia Epocha videntur fuiſſe uſi. Teſtantur id inſcriptiones Conciliorum quæ iſtis temporibus ſunt celebrata. Synodus namque Nicæna, duplicem notam habet: alteram, annorum Alexandri: alteram Coſſ. ut Inſcriptio docet. Κανόνες τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ ἁγίων πατέρων, τῶν ἐν Νικαίᾳ συνελθόντων ἐν Ὑπατείᾳ ΠΑΥΛΙΝΟΥ, καὶ ΙΟΥΛΙΑΝΟΥ τῶν Λαμπροτάτων. ἔτους χλϛ´ ἀπὸ Ἀλεξάνδρου. ἐν μηνὶ Δεσίῳ ἐννεακαιδεκάτῃ. πρὸ δεκατριῶν καλανδῶν Ἰουλίων. *Canones* CCCXVIII. *Sanctorum Patrum; qui Nicææ convenerant, Coſſ.* PAULINO *&* JULIANO *Clariſſ. anno Alexandri* DCXXXVI. XIX. *die menſis Deſii: ante* XIII. *Calendas Iulias.* Convenit autem tempus hoc cum Anno Chriſti CCCXXV. Synodus autem Conſtantinopolitana, quæ ſub Theodoſio fuit celebrata, Coſſ. ſaltem adſcriptos habet. Κανόνες τῶν ἁγίων πατέρων, τῶν ἐν Κωνσταντινουπόλει συνελθόντων, ἐν Ὑπατείᾳ ΦΛΑΒΙΟΥ ΕΥΧΕΡΙΟΥ καὶ ΦΛΑΒΙΟΥ ΕΥΑΓΡΙΟΥ τῶν λαμπροτάτων. πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Ἰουλίων. *Canones ſanctorum Patrum Conſtantinopoli congregatorum Coſſ. Fl.* EUCHERIO & Fl. EUAGRIO *Clariſſ. ante* VII. *Idus Iulias.* Sic Epheſina, adſcripta habet nomina Coſſ. FLAVII THEODOSII XIII. & FLAV. VALENTINIANI III. Auguſt. Perpet. Altera Conſtantinopolitana, celebrata in Trullo, Palatio Regio, ſeculo quinto abſoluto; ſaltim JUSTINIANI Imperatoris nomine ſignatur. Qui vero in Hiſpania fuerunt Chriſtiani Æra Hiſpanica uſi ſunt quod Cippi antiqui teſtantur:

Nebriſſæ in ipſa templi fronte ſupra Ianuam.

ALEXANDRA. CLARISSIMA
FEMINA. VIXIT. ANNOS. PLUS. MINUS. XV.
RECESSIT. IN. PACE. X. KAL. JANUAR.
ERA. D. III. &c.

Ali-

Aliud Ebori in marmore candido.

LITORIUS. FAMULUS. DEI. VIXIT. ANNOS PLUS. MINUS. LXXV. REQUIEVIT. IN PACE. IX. CALEND. JUL. ERA. D. LXVIII.
A. XP. ω.

Erat porro magno in usu apud S. Patres. æra Diocletiani: à cujus Anno CLIII. Cyclum suum Cyrillus incæperat: referente illud, verbis Dionysii Exigui, Bedâ. Meminit ejusdem sanctus Ambrosius, Epist. LXXXIII. ubi ita scribit. *Octoagesimo autem anno & nono, ex die Imperii Diocletiani: cum quartadecima Luna esset, IX. Kalendas Apriles: nos celebravimus Pascha, pridie Kalen. Apriles.* Et post. *Rursus nonagesimo & tertio anno, à die Imperii Diocletiani. &c.* Acacius quoque & Paulus Presbyteri & Archimandritæ Carchedonis ac Berœæ Cœles Syriæ, in Epistola ad Epiphanium, præter annos Cæsarum etiam Diocletiani Epocha utuntur. Ἐπιστολὴ γραφεῖσα ἐν τῷ ἐννενηκοστῷ ἔτει τῆς Διοκλητιανοῦ, καὶ Οὐαλεντινιανοῦ καὶ Οὐάλεντος ἔτους δωδεκάτου, καὶ Γρατιανοῦ ἔτους ὀγδόου, πρὸς Ἐπιφάνιον &c. *Epistola scripta nonagesimo secundo anno Imperii Diocletiani: Valentiniani & Valentis anno duodecimo: & Gratiani Octavo. ad Epiphanium &c.* Non placebat illud Dionysio Exiguo: qui Epistolà secundâ ad Petronium scribit, se in circulis suis ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi annorum tempora prænotare: neque, ut S. Cyrillus instituerat, memoriam Impii & Persecutoris innectere. Verba ejus hæc sunt. *Quia verò sanctus Cyrillus primum cyclum ab anno Diocletiani* CLIII. *cœpit: & ultimum in* CCXLVII. *terminavit: nos à* CCXLVIII. *anno ejusdem Tyranni potius quam Principis inchoantes, noluimus circulis nostris memoriam Impii & Persecutoris innectere; sed magis elegimus, ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi, annorum tempora prænotare; quatenus exordium spei nostræ notius nobis existeret, & causa reparationis humanæ, id est, Passio Redemptoris nostri, evidentius eluceret.* Et satis quidem constat, Dionysium hunc, qui annò Christi comm. DXXXII. floruit, suumque cyclum annorum XCV. edidit, primum in calculo Epochâ Christi fuisse usum, orbique Christiano, ad idem faciendum, suo exemplo præivisse. An verò hæc Epocha quo nunc omnes utimur ab eodem sit constituta: in dubium vocatur. Beda quidem, aliique qui Bedam sequuntur, id affirmant. Is enim lib. de temp. rat. cap. XLV. *Dionysium præcepisse* refert, ut ad inveniendum, quotus sit annus cycli decemnovennalis, ad annos Christi unitas adderetur. *significans,* verba

ejus de Dionysio sunt, *illo incarnato unum circuli decemnovennalis annum jam fuisse completum*. Quod si verum est: utique, annus primus Æræ Christianæ juxta Dionysium, erit secundus Cycli Decemnovennalis: si quidem ad assequendum cyclum, unitas Epochæ Christi sit addenda. Convenit autem illud primo anno Epochæ vulgaris, sive Iuliano anno XLVI. Est enim annus Iul. Per. IV. M. DCCXIV. cui convenit Cyclus Solis 10. Cyclus Lunæ. 2. Indictio 4. Plura quæ in hanc rem à Bedâ adducuntur vid. loco laudato. Non igitur mirum si omnes fere Computistæ Epocham vulgarem Dionysio Exiguo tribuant; cum tantum, tam nobilem ac tam temporum peritum antesignanum habeant. Falli autem Bedam aliosque qui ipsum sequuntur: vel ipsius Dionysii testimonio (quo nemo litem hanc melius deciderit) fit manifestum. Ipse enim primum suum cyclum à I V. Aprilis, si à Neomenia, à XVII. Aprilis, si à decima quinta Paschali numeraveris, deducit. Quod ut manifestius evadat verba ipsius Dionysii adducemus. Exstant illa in Epistola prima Auctoris ad Bonifacium primicerium Notariorum, & Bonum Secundicerium, in cujus calce cycli decemnovennalis annos omnes singillatim enumerat: quod laterculum Bridefertus Bedæ Scholiastes exscripsit ad cap. LIV. de rat. Temp. atque è veteribus Regiæ Bibliothecæ & Sirmondianis membranis excerptum Clariss. Petavius Lib. 6. Doct. Temp. cap. 10. pag. 559. proposuit.

Anno decemnovenali primo, lunari septimo decimo, à XV. *Kal. Maji usque Non. Aprilis, quia communis annus est: fiunt dies* CCCLIV.

Decemnovenali II. *lunari* XVIII. *ab* VIII. *Id. April usque in* VIII. *Kal. April. quia communis est fiunt dies* CCCLIV.

Decemnovennali III. *lunari* XIX. *à* VII. *Kal. Aprilis usque in Id. April. quia Embolismus est fiunt dies* CCCLXXXIV. Reliqua non apponam: quia ad institutum nostrum minus faciunt. Illud manifestum cuivis esse arbitror, Dionysium annos cyclorum à XV. Paschali ad XIV. anni sequentis numerare. Sic primus v. g. cycli annus incipit Dionysio à XVII. Aprilis & finitur V. Aprilis anni sequentis. Secundus annus incipit à VI. Aprilis: & terminatur XXV. Martii anni sequentis. Tertius denique à XXVI. Martii incipit & finitur Id. Aprilis sive 13. die mensis hujus. In quovis igitur cyclo, duo sunt aurei numeri, sicut nos vocamus. Incipiat enim primus annus Cycli à XVII. Aprilis anni Christi vulgaris DXXXI. & finiatur V. Aprilis anni DXXXII. (quod ipsum postea demonstrabitur) habebit igitur pars illa anni quæ ad Cal. usque Ianuarias absolvitur, numerum

aureum,

aureum XIX. quæ vero à Cal. Ianuarii ad V. Aprilis, Cyclum I. Rursum annus secundus Cycli qui incipit à VI. Aprilis anni Chr. DXXXII. usque ad exitum illius Anni: habebit numerum aureum sive Cyclum Lunæ I. est enim Per. Iul. V. M. XLV. Pars vero altera ejusdem cycli, quæ est à Cal Ianuarii. anni DXXXIII. usque ad XXV. Martii anni ejusdem, habebit numerum aureum III. Iam vero Cyclus primus, uti demonstratum est, incipit à XVII. Aprilis: sive ab illo anno, in quo XV. Paschalis incidit in XVII. Aprilis. Neomenia igitur Paschalis primi Cycli Dionysiani incipiet à III. Nonas Aprilis. Nunquam verò in toto Cyclo Decemnovennali incidit Neomenia Paschalis in III. Aprilis: nisi Cyclo Latino XVI. Romano sive Alexandrino XIX. Ne verò hæc gratis dixisse videar: apponam latercula mensium duorum, cum aureis Numeris Alexandrinis sive Romanis & Latinis. Aprilis nempe & Martii, quæ ad institutum nostrum sufficiunt. Ea vero sic habent.

MARTIUS.

A Numer. Latino.	Dies.	Calendar. Romani.	Cyc. Ro. sive Al.
XIX.	1	Kal.	III.
	2	VI. Non.	
VIII.	3	V. Non.	XI.
	4	IV. Non.	
XVI.	5	III. Non.	XIX.
V.	6	Prid. Non.	VIII.
	7	Nonæ.	
XIII.	8	VIII. Eid.	XVI.
II.	9	VII.	V.
	10	VI.	
X.	11	V.	XIII.
XVIII	12	IV.	II.
	13	III.	
VII.	14	Prid. Eid.	X.
	15	Eid.	
XV.	16	XVII. Kal.	XVIII.
IV.	17	XVI.	VII.
	18	XV.	
XII.	19	XIV.	XV.
I.	20	XIII.	IV.
	21	XII.	
IX.	22	XI.	XII.
XVII.	23	X.	I.
	24	IX.	
VI.	25	VIII.	IX.
	26	VII.	
XIV.	27	VI.	XVII.
III.	28	V.	VI.
	29	IV.	
XI.	30	III.	XIV.
XIX.	31	Prid. Kal.	III.

APRILIS.

A. Num. Latino.	Dies.	Kalend. Roman.	Cyc. Rom. sive Alex.
	1	Kal.	
VIII.	2	IV. Non.	XI.
XVI.	3	III.	XIX.
V.	4	Prid.	VIII.
	5	Nonæ.	
XIII.	6	VIII. Eid.	XVI.
II.	7	VII.	V.
	8	VI.	
X.	9	V.	XIII.
XVIII.	10	IV.	II.
	11	III.	
VII.	12	Prid. Eid.	X.
	13	Eid.	
XV.	14	XVIII. Kal.	XVIII.
IV.	15	XVII.	VII.
	16	XVI.	
XII.	17	XV.	XV.
I.	18	XIV.	IV.
	19	XIII.	
IX.	20	XII.	XII.
XVII.	21	XI.	I.
	22	X.	
VI.	23	IX.	IX.
	24	VIII.	
XIV.	25	VII.	XVII.
III.	26	VI.	VI.
	27	V.	
XI.	28	IV.	XIV.
XIX.	29	III.	III.
	30	Prid. Kal.	

Quatuor ordines heic sunt. Primus Aureum Numerum Latinorum, continet; qui semper ternario minor est Cyclo Romano; quem hi ab Alexandrinis habuere. In altero ordine dies sunt juxta ordinem suum in mense: in tertio juxta Calend. Romanum. In quarto Cyclus Romanus sive Alexandrinus. Iam ut ad ea revertamur: unde digressi sumus: Quære in tabula xv. Cal. Maji. quandoquidem hinc Dionysius primum annum Cycli sui auspicatur: & quoniam xv. Cal. Maji sive xvii. Aprilis est xv. Paschalis, aufer 14. & remanebit iii. Aprilis Neomenia mensis Paschalis. Iam vero in tabula ad iii. Aprilis annotatum vides Aur. Num. Latin. xvi. Roman. xix. Annus ergo primus Cycli Dionysiani conveniet maxima sui parte cum Cyclo Latin. xvi. cum Romano verò quo nos nunc utimur, xix. adeoque primus ipsius Cycli incipiet ultimo nostri. Dionysius vero ipse in verbis suis dicit esse illum annum Cycl. Decemnov. sive Romani i. & Latin. xvii. Manifestum igitur est, Dionysium Cyclum Romanum aut Latinum non à Calendis Januariis sed à xv. Paschali precedente incipere, adeoque Cyclum ipsius integro fere anno Cyclum communem antevertere. Idem ex aliis duobus exemplis patet. Annus ii. Cycli Dionysii incipit ab viii. Eidus Aprileis. Hoc est vi. Aprilis. Si ad Neomeniam investigandam deducantur dies 14. habebis 23. diem Martii; quo Neomenia Paschalis juxta Dionysium contigit. Illic adscriptus est Numerus aureus Latinus xvii. Romanus i. At Cyclus Dionysii is est secundus. Tertio. Cyclus iii. Dionysii incipit à vii. Cal. Aprilis. sive Martii *26.* deducantur ad Neomeniam Paschalem investigandam, inveniendamque dies 14. remanebit xii. qui ad oram ascriptum habet Num. aur. Lat. xviii. Romanum ii. At Dionysio est xix. Latinus sive Lunaris (ut ille vocat) & iii. Romanus. Manifestum igitur ex iis quæ disputavimus, Dionysium Cyclos non à Cal. Januariis incipere, quod alii faciunt, sed à xv. Pachali: idque non illius anni: sed prioris. Testatur vero Beda ipse, Dionysium posuisse DXXXII. Dominicæ incarnationis annum in capite Cycli sui. Verba ejus hæc sunt cap. XLV. lib. de Temp. Rat. *Qui in primo suo circulo quingentesimum tricesimum secundum Dominicæ incarnationis annum in capite ponendo manifestè docuit secundum sui circuli annum ipsum esse, quo ejusdem sacrosanctæ incarnationis mysterium cæpit.* Confirmat idem Dionysius, verbis antea adductis: ubi testatur, se à CCXLVIII. Diocletiani anno cyclum suum inchoasse. Incipit vero primus annus Diocletiani à XXIX. Augusti sive primo Thoth Alexandrino, anno P. Jul. 4997. sive Christi vul. 284. ut alibi datâ occasione demonstrabimus;

bimus; quibus si addantur solidi anni CCXLVIII. prodibit annus Periodi Julianæ 5245, sive Christi DXXXII. Cyclo Lunæ Romano I. Cyclo Latino XVII. cujus XXIX. Augusti CCXLVIII. Diocletiani annus finitur. inceperat vero à XXIX. Augusti anni superioris DXXXI. P. I. 5244. Cyclo Lunæ Romano XIX. cujus XV. Paschalis inciderat in XV. Cal. Maji. Anno igitur DXXXI. Christi P. I. 5244. XV. Cal. Majas, incepit primus annus Cycli Dionysiani: Cui si usque ad annum Christi Cycli 28. detrahantur, hoc est anni DXXXII. prodibit annus P. Iul. 4712. qui biennio anticipat æram vulgarem sive annum P. Iul. 4714. Incipit ergo primus annus Cycli Dionysii in antecedentia retracti XV. Cal. Majas anni P. Iul. 4712. Annus secund. ejusdem Cycli ab VIII. Eidus Aprilis anni 4713. Annus denique III. à VII. Cal. Aprilis Anni. P. I. 4714. sive Primi vulgaris æræ. Iam vero teste Beda loco supra laudato Dionysius Epocham Christi in secundo anno Cycli sui locavit: erit igitur primus annus Epochæ Christi juxta Bedam, annus secundus Cycli: qui est P. I. 4713. ut jam demonstratum fuit: annoque uno vulgarem æram anticipat. Patet igitur, vulgaris Epochæ auctorem minime Dionysium esse, sed Bedam. qui cum non animadverteret, Dionysium Cyclos suos longe ante Calend. Januarias & statim à XV. Paschali incipere: hanc opinionem Dionysii verbis minus congruam, ex verbis tamen Dionysii protulit; adeoque Epocham hanc constituit; qua nunc omnes fere Christiani utuntur. Quamvis autem Epocha hæc minime sit vera: (ut antea dictum fuit; & postea volente Deo demonstrabitur) insignem tamen Chronologis aliisque utilitatem præstat: nobisque maximo est adjumento ad veram percipiendam. Nam cum hæc omnibus Christianis sit cognita, (quis enim est qui nesciat hunc annum, quo hæc scribo à natali Christi M. DC. XLVIII. numerari?) dato igitur tempore quo à vera Epocha falsa hęc aberrat, ipsa quoque vera Epocha omnino erit cognita. Si enim notum fuerit, Christum biennio integro ante communem Æram fuisse natum; una cognitum erit, hunc annum à natali Christi M. DCL. esse. Vt immensum ejus usum in reliquis Epochis explicandis ac demonstrandis sileam, qui in sequenti tractatu manifestior ipsa praxi evadet. Vnde vero, & ex quibus principiis, intervallum veræ & falsæ hujus Epochæ deducendum sit: nunc exponere animus est. Omne rei cujusdam gestæ tempus, ex historicis dependet. Quæ enim ante nos gesta sunt; nisi alio referente, mortales novisse non possumus. Quæ igitur nude proponuntur; & sine omni temporis indicio: eorum neque tempus erui ullo modo potest. Reliqua sciri possunt.

Duplici

Duplici autem modo rei gestæ tempus à Scriptoribus proponitur: vel verbis manifestis; vel characteribus quibusdam certis. Solent enim Scriptores, interdum nudis verbis, aliquid denotare; ut quando dicunt Adamum genuisse Sethum anno ætatis cxxx; aut Cyrum Olympiade LV. ad Imperium venisse: aliquando notas quasdam sive indicia temporum ponunt, ex quibus illud erui debeat. Sunt autem notæ sive characteres illi, vel Historici: vel Cæleſtes sive Astronomici: vel Computistici. Historicos voco qui ex aliis Historiis petuntur: ut cum dicitur; Christum natum regnante in Judæa Herode Ascalonitâ. Astronomici ex cælo dependent. Sic Plutarchus dicit Vrbem ab Gallis fuisse captam *περὶ τὰς τροπὰς circa solstitium, περὶ πανσέληνον circa plenilunium*. Computistici denique vocantur qui ex Coss. fastis, Cyclorum ratione, cæterisque eo pertinentibus, dependent. Ex his principiis, omnis temporum ratio deducitur: sine quibus, nihil in Chronologiâ, aut à nobis demonstrari; aut ab aliis percipi potest. Quæ quoniam ex temporum doctrinâ intelligi atque explicari debeant: hæc nobis paucis, & pro nostri instituti ratione, exponenda erit: quo & ea, quæ meditamur, felicius demonstrare: & aliis, qui in Computisticâ minus forte exercitati, hæc nostra legere voluerint; prodesse queamus.

Cap. II.

Definitio temporis. Mensura temporis motus. Hic in perpetuis saltem corporibus consideratur. Estque duplex. Primus & Secundus. De primo antiquorum opinio, cum naturâ non convenit. Quid dextræ & sinistræ sint in cælo? De auguriis veterum. Nicolai Copernici de motu primo opinio melior. Ejusdem, de motu seu revolutione terræ in Zodiaco, sententia rejicitur. Motus primus terræ proprius est. Vnde is percipiatur?

IN omni, quæ de re aliqua, suscipitur, quæstione, duo considerari vult Philosophus: an sit? & quid sit? Nisi enim constet, esse illud, de quo disputatur: frustra omnis labor erit. Qui verò de re aliquâ disserere volet, cujus antea naturam non habuerit cognitam, omnium judicio stultus censebitur. Inquirendum igitur forte de tempore nobis esset: cum illius doctrina, totum hoc caput, & sequen-

quentium quædam occupet: an ſit? Verum, cum ſenſibus illud ſit manifeſtum, ipſo quoque omnium gentium conſenſu confirmatum: fruſtra id in dubium vocatur. Quid vero tempus ſit, accuratius nobis ideo quærendum erit, quod hoc cognito, magna quæſtionis hujus pars expediri poſſit. Variæ autem hujus apud Philoſophos definitiones exſtant; inter quas omnes, commodiſſimam ac inſtituto noſtro convenientiſſimam cenſemus illam, quam Ariſtoteles lib. IV. φυσικῆς ἀκροάσεως, his verbis propoſuit. χρόνος ἐστὶ ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον. *Tempus eſt numerus motus ſecundum prius & poſterius.* Quam alii Latinam ita fecerunt; *Tempus eſt menſura motus ſecundũ pr us & poſterius.* Duplex vero, juxta Ariſtotelem loco laudato, numer us eſt: alius enim numerans: alius, numeratus. Sic pedes ſexcenti He rculis, qui ſtadium Olympicum metiebantur ac numerabant, diverſi erant, à longitudine ſtadii, pedum ſexies centenum. Eſt vero tempus (ex mente Philoſopi numerus ſive menſura motus, non quidem numerans, aut motum menſurans: ſed qui à motu numeratur ac menſuratur. *Ariſtoteles* φυσικῆς ἀκροάσεως lib. IV. text. 102. ἐπεὶ δ᾽ ἀριθμὸς ἐστὶ διχῶς; (καὶ γὰρ τὸ ἀριθμούμενον ἢ τὸ ἀριθμητὸν ἀριθμὸν λέγομεν. καὶ ᾧ ἀριθμοῦμεν) ὁ δὲ χρόνος ἐστὶ τὸ ἀριθμούμενον, καὶ οὐχ ᾧ ἀριθμοῦμεν. *Quandoquidem numerus eſt duplex: (nam & illud quod numeratur, aut numerabile, numerum vocamus: & quo numeramus.) Eſt vero tempus illud quod numeratur: & non quo numeramus.* Temporis igitur menſura motus eſt; hic vero in ſolis corporibus naturalibus conſideratur, teſte eodem lib. I. de cœlo tex. 99. χρόνος δὲ ἐστιν ἀριθμὸς κινήσεως. κίνησις δ᾽ ἄνευ φυσικοῦ σώματος οὐκ ἔστιν. *Tempus quidem numerus motus: motus vero ſine corpore naturali non eſt.* Nec tamen omne corpus naturale motu ſuo tempus metitur. Neque enim terreſtria hæc & ſublunaria corpora conſiderari debent: quæ ſexcentis obnoxia viciſſitudinibus, nihil in ſe ſtabile habent aut firmum. Menſura autem omnis ſemper ſibi conſtans eſſe debet. Ad ipſum igitur univerſum, magnaque ac æterna quodammodo pulcherrimi hujus Syſtematis mundani corpora, mentem oculoſque converterunt antiqui mortales: & juxta horum motum ſemper perpetuum, ac quantum oculis ac ſenſibus humanis perſpicere liceat, ſibi ſemper æqualem, tempora ſua deſcripſerunt. *Ariſtot.* lib. II. de cœlo. τῶν μὲν κινήσεων τὸ μέτρον ἡ τοῦ οὐρανοῦ φορά. διὰ τὸ εἶναι μόνη συνεχὴς καὶ ὁμαλὴς καὶ ἀΐδιος. *Motuum quidem menſura cœli latio eſt: eo quod ſola continua ſit & regularis ſive æqualis & perpetua.* Menſura igitur temporis motus Univerſi eſt aut corporum ſaltem Univerſalium. Unde non incommodè *Pythagoras* tempus σφαῖραν τοῦ περιέχοντος *orbem continentis* eſſe docuit.

cuit. Melius tamen Plato: qui τὸ χρόνον διάστημα τῆς τοῦ κόσμου κινήσεως, *tempus differentiam motus mundi* definivit. Est verò motus mundi juxta antiquos, & recentiores quosdam, duplex: Alius enim primi mobilis, sive Sphæræ supremæ: alius orbium inferiorum. Motu primo, Sphæra octava, cum stellis fixis, quæ illi insunt, rapitur ab ortu ad occasum; septemque sphæras inferiores, Saturni nempe, Jovis, Martis, ipsius Solis, Veneris Mercurii & Lunæ una circumrotat, horisque 24. absolvitur. Alter motus est; quo Planetæ, imo & ipsæ stellæ fixæ, interea, dum ita alieno motu, continuo circumgyrantur: proprio motu in consequentia signorum ab ortu versus occasum nituntur. Qui quidem motus uni-cuivis Sphæræ, juxta antiquos, proprius est. *Eratosthenes ad Arati Phænomena.* cap. VIII. τοῦ μέντοι κόσμου τὴν ἀπ' ἀνατολῆς ἐπὶ δύσιν φορὰν στρεφομένου τὴν ἐναντίαν αὐτῷ οἱ Πλανῆται ποιούμενοι πορείαν, οὐδὲν ἧττον, διὰ τὸ τάχος τῆς τοῦ κόσμου περιστροφῆς, συμπεριστρεφόμενοι ὁμοίως δὴ τοῖς ἀπλανέσιν ἄστροις. *Iam verò cum mundus ab ortu moveatur in occasum: contrario motu planetæ agitantur, nec tamen eo minus, propter celeritatem conversionis mundi, circumvolvuntur, eodem, quo fixæ stellæ, modo.* Achilles Tatius in Isagoge ad Arati Phænom. cap. περὶ ἀστέρος. τῶν γὰρ ἀστέρων, οἱ μὲν ἐμπεπηγότες τῷ οὐρανῷ ἀπλανεῖς λέγονται, οἱ δὲ τὴν ἐναντίαν φερόμενοι πλάνητες. αὐτοὶ δὲ ἑπτὰ ὄντες κατωτέρω τοῦ οὐρανοῦ καὶ τοῦ αἰθέρος περιδινούμενοι τὸν ἐναντίον τῇ τοῦ κόσμου στροφῇ δρόμον τρέχουσιν. ὥσπερ εἰ νεὼς εἰς βορέαν ἄνεμον φερομένης, ἐπιβάτης εἰς νότον παρ' αὐτῇ τῇ νηὶ τρέχει. εἰσὶ δὲ αὐτῶν αἱ κινήσεις διτταί, ἥτε κοσμικὴ, καὶ ἡ ἰδία. *Stellarum enim aliæ cœlo infixæ sunt, & fixæ dicuntur, aliæ contrario feruntur cursu: & errantes sive Planetæ vocantur. Hi septem cum sint, qui infra Cœlum in æthere circumacti, contrarium revolutioni mundi cursum tenent: prout si navi boream versus navigante, epibata in ipsa navi versus austrum iret.* Et istum quidem motum, ipsa natura oculis ingessit. Videmus enim, sub initia dierum, solem ab orientalibus partibus Horizontem scandere: elapsoque, æquinoctiali die, senum horarum spacio, summa cœli culmina occupare: inde ad occidentem vergere: donec totidem horis elapsis in parte cœli occiduâ finitorem subeat. Idem noctu in astris deprehendimus. Illa enim à sinistris orta, tandem anticam cœli partem tenent: & demum ad dextras delapsa evanescunt. Per sinistras dextrasque, non, Astrologorum more, meridiem & septemtriones intelligo: sed, ex doctrina augurum, partes cœli occiduas & orientes. Illi quidem naturam (ut videtur) secuti faciem eo converterunt, quo omnia tendere solent, (siquidem occidentem versus sol omniaque sydera pergant) adeoque ante illos occasus pone ortus: à dextris Septemtriones: à sinistris Meridies. *Eratosthe-*

tosthenes in Arati Phænomena: cap. περὶ ἄστρων. καλεῖται δὲ τὰ μὲν βόρεια μέρη δεξιά τε καὶ ἄνω ἐν ὕψει μᾶλλον ὑπάρχοντα· τὰ δὲ νότια εὐώνυμά τε καὶ κάτω. *Vocantur vero partes* (cœli) *ſeptentrionnales, dextræ & ſuperiores, utpote in altum magis elevatæ: Auſtrales vero ſiniſtræ & inferiores.* Huc pertinet illud, quod eſt apud *Lucanum* in Pharſalicis:

Ignotum vobis, Arabes, veniſtis in orbem:
Vmbras mirati nemorum non ire ſiniſtras,

Augures vero, cœlum alio modo dividunt: ad Meridiem enim Deorum ſedem faciem convertebant. *Livius* lib. I. de Numa augurium captante. *Inde ab augure deductus in arcem; in lapide ad meridiem verſus conſedit.* Et tum quidem meridies ante erat, pone Septentrio, à dextris Occidens, à ſiniſtris Oriens. *Varro* de lingua Latin. lib. XI. *Cœli partes quatuor: ſiniſtra ab Oriente, dextra ab occaſu, antica ad meridiem, poſtica ad Septentrionnem.* & Epiſtol. Quæſt. lib. V. *A deorum ſede, cum Meridiem ſpectet, ad ſiniſtram ſunt partes mundi exorientes, ad dexteram occidentes: factum arbitror, ut ſiniſtra meliora auſpicia, quam dextra eſſe exiſtimentur.* Sic apud Virgilium Ecloga IX. ſiniſtra cornix fauſtum Mœridi auſpicium dederat; quo monitus infortunium vitare poterat:

Quod niſi me quacunque novas incidere lites
Ante ſiniſtra cava monuiſſet ab ilice cornix,
Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipſe Menalcas.

Quamvis aliter locum hunc exponat Servius: qui tamen in deſignandis locis nobiſcum convenit. Ita enim ad hæc verba ſcribit. *Sane hoc ad auguralem pertinet diſciplinam. Augures enim deſignant ſpatia lituo: & eis dant nomina: ut prima pars dicatur antica, poſterior poſtica: ut & dextra & ſiniſtra. Modo ergo cornicem de nulla harum parte veniſſe dicit, ſed ab antica ad ſiniſtram partem volaſſe: & in cava ilice conſediſſe: quæ res agrorum damnum ſignificat. Ilex enim glandifera arbor eſt; quæ quoniam vitioſa eſt vitium poſſeſſionis oſtendit fore per milites, clamore gaudentes & litibus, ſicut cornix: nam & hæc avis & clamore lætatur, & alias frequenter invadit. Hoc ergo nunc dicit augurio ſe eſſe admonitum, ut abſtineret ab occurſu litigioſi militis qui retenturus fuerat poſſeſſionem.* Magis tamen arridet prior explicatio ex Varronis mente deducta. Nam & Romanus erat Virgilius, & Latinis loquitur, quibus ſiniſtra ſemper meliora videbantur. Cic. de divinat. lib. II. *Quæ autem eſt inter augures conveniens & conjuncta conſtantia? ad noſtri augurii conſuetudinem dixit Ennius. Cum tenuit lævum, bene tempeſtate ſerena. At Homericus Ajax apud Achillem querens de ferocitate Trojanorum neſcio quid hoc modo nuntiat; Proſpera Iupiter his dextris fulgoribus edit. Ita nobis ſiniſtra videntur, Graiis & Barbaris dextra meliora.* Ipſe

 quo-

quoq; *Virgilius* læva auspicia meliora prodit; ut in secundo, *Æneid. Vix ea fatus erat senior subtoque fagore Intonuit lævum.* & lib. IX, *Audiit & cœli Genitor de parte serena Intonuit lævum.* De divisione tamen hac satis constat auguribus eam fuisse usurpatam. Unde & in Glossario Vet. Græco Latin. hæc legas. *Antita* (leg. Antica) μεσημβρία. Illam tamen dividendi rationem non semper auguribus fuisse observatam, Livius in Numa, monstrat. *Augur* inquit *ad lævam ejus capite velato sedem capit. Dextrâ manu baculum sine nodo aduncum tenens: quem Lituum appellaverunt. Inde ubi prospectu in urbem agrumque capto, deos precatus, regiones ab oriente ad occasum determinavit, dextras ad meridiem partes, lævasque ad septentrionnem esse dixit, signum, contra quod longissimè conspectum oculi ferebant, animo finivit: tum lituo in lævam manum translato, dextrâ in capite Numæ impositâ precatus est.* Cur illud heic sit factum; causam fuisse arbitror. Quod augur, à sede Deorum meridie, dextra auguria (quæ ipsi meliora videbantur) expectaret. His enim creatum fuisse Numam, *Plutarchus* in Numa testis est. Παραλαβὼν δὲ μάντεις καὶ ἱερεῖς ἀνέβαινεν εἰς τὸ Καπιτώλιον. Ταρπήιον αὐτὸ λόφον οἱ τότε Ῥωμαῖοι προσηγόρευον. ἐνταῦθα τῶν μαντέων ὁ πρωτεύων, τὸν μὲν εἰς μεσημβρίαν τρέψας ἐγκεκαλυμμένον, αὐτὸς δὲ παραστὰς ἐξόπισθεν καὶ τῇ δεξιᾷ τῆς κεφαλῆς ἐφαπτόμενος αὐτοῦ, κατηύξατο, καὶ περιεσκόπει τὰ παρὰ τῶν Θεῶν οἰωνοῖς ἢ συμβόλοις προφαινόμενα, πανταχόσε τὰς ὄψεις περιφέρων. σιγὴ δὲ ἄπιστος ἐν πλήθει τοσούτῳ τὴν ἀγορὰν κατεῖχε, καραδοκούντων καὶ συναιωρουμένων πρὸς μέλλοντι. μέχρις οὗ προὐφάνησαν ὄρνιθες ἀγαθοί, καὶ δεξιοὶ ἐπέτρεψαν. οὕτω δέ τὴν Βασιλικὴν ἀναλαβὼν κατέβαινε Νουμᾶς εἰς τὸ πλῆθος ἀπὸ τῆς ἄκρας. *Assumens vero (Numas) vates & sacerdotes ascendit in Capitoliū; quod Tarpejum montem illi qui tunc erant Romani, nominabant. inde princeps augurum Numā quidem obvelatū in meridem convertit, ipse verò pone stans dextrâ capiti ejus impositâ precatus est: & circū spectans quæ ab Diis avibus aut symbolis manifestarentur, undiquaq; oculos circumtulit: silentio autem incredibili in ista plebe universa concio eventum exspectabat: donec tandem bonæ aves ab dextris visa addicerent* &c. Peculiaris heîc igitur ratio erat: In aliis vero; dextræ occidentales: sinistræ orientales erant. Homero autem dextræ partes sunt orientales: sinistræ occidentales. Scholiast. Pinda. in principio operis: ἰστέον ὅτι οἱ λυρικοὶ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτῶν ἐχρῶντο στροφῇ, ἀντιστροφῇ καὶ ἐπῳδῷ. στροφῇ μὲν ὅτι ἀπὸ τῶν δεξιῶν ἐτρέποντο ἐπὶ τὰ ἀριστερά, ἣ τινι ἀναλογεῖ ἡ τοῦ παντὸς κίνησις ἀπὸ τῶν ἀνατολικῶν ἐπὶ τὰ δυτικά. δεξιὰ γὰρ καλεῖ ὁ Ὅμηρος τὰ ἀνατολικά, ἀριστερὰ δὲ δυτικά. *Sciendū quod Lyrici in carminibus usi sint stropha, antistropha & epodis. Stropha quidem cum converterentur à dextris versus sinistra. Cui convenit motus universi ab ortu ad occasū. Dextra enim vocat Homerus ortiva: occidua sinistra.* Atq; ita quidem stellæ ipsumq; adeo cœlum à sinistris

ortum:

ortum: à dextris occidit. Hæc igitur ſenſibus cum manifeſta eſſent, omnis fere antiquitas ita cœlum volvi eredidit: & motum illum qui 24. horis abſolvitur cœlo tribuit. Poſtea animadverſum eſt: Solem, ac Lunam alioſque Planetas, cum in certo quodam cœli puncto antea fuiſſent viſa: poſt tempus aliquod orientaliores apparere: ab eodemque puncto verſus orientem fuiſſe motos. Unde concluſum fuit, Planetas alio motu ab occidente verſus orientem moveri. Motum hunc ſecundum primus Atreus invenit: ſi Ach. Tatio fides. Verba ejus quæ in hanc ſententiam habent, adſcribere volui. Is igitur in Arati Phœnomena, περὶ μεγέθους ἡλίου, ita loquitur: φέρεσθαι δὲ αὐτὸν τὴν ἐναντίαν τοῖς ἀπλανέσι φορὰν κατὰ τὴν ἰδίαν κίνησιν ἀπὸ δυσμῶν ἐπ' ἀνατολάς, ἄγεσθαι δὲ ὑπὸ τῆς ἀπλανοῦς ἀπὸ τῶν ἀνατολικῶν μερῶν ἐπὶ τὰ δυτικά, κατὰ τὸν Εὐριπίδην, λέγοντα,

δείξας γὰρ ἄστρων τὴν ἐναντίαν ὁδὸν,
Δήμους τ' ἔσωσα, καὶ τύραννος ἵζομην.

Ἀτρεὺς γὰρ εὗρε τὴν πλανήτων τὴν ἐναντίαν φορὰν, ὥσπερ καὶ ἡλίου ἀπὸ ἀνατολῶν κυλιομένου καὶ φερομένου εἰς δυσμάς. ὥσπερ γὰρ εἰ τύχοι μύρμηξ ἕρπων ἔξωθεν περιφερείας τινὸς ἀπὸ δυσμῶν ἐπ' ἀναλολὰς τὴν ἐναντίαν τῷ τροχῷ ποιούμενος πορείαν συμβήσεται αὐτὸν ὑπὸ μὲν τῆς τοῦ τροχοῦ περιδινήσεως ἀπὸ ἀνατολῶν ἐπὶ δυσμὰς ἄγεσθαι, ὑπὸ δὲ τῆς ἰδίας κινήσεως ἀπὸ δυσμῶν ἐπ' ἀνατολάς. τὸν αὐτὸν τρόπον νόει καὶ ἐπὶ ἡλίου. ἔστω, γὰρ τροχὸς ὁ οὐρανὸς, ὁ δὲ ἥλιος ἀντὶ μύρμηκος, τὴν δὲ δεῖξιν ταύτην ἐπ' αὐτῆς τῆς σφαίρας ἔστιν ἰδεῖν. ἐὰν γὰρ ὑποθώμεθα πρῶτον ἀνατέλλειν κριὸν, καὶ, τὸν ἥλιον ἐν τούτῳ εἶναι ἐπὶ ἡμέρας λ'; τὴν μετάβασιν αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ κριοῦ εὑρίσκομεν εἰς τὸν ταῦρον γινομένην, &c. *Motu quoque fixis contrario ferri, juxta motum proprium, ab occaſu verſus ortum. Agi vero à Sphærâ fixa ab orientalibus partibus verſus occidentales. Iuxta Euripidem, dicentem:*

Monſtrans enim aſtrorum contrariam viam
Populoſque ſervavi, & Tyrannus factus ſum.

Atreus enim primus contrariam Planetarum lationem invenit: ſicut & Solis, ab ortu ad occaſum, velutati & lati. Sicut enim ſi formica in circumferentiâ quadam reperet: viamque ipſi rotæ contrariam ab occaſu verſus ortum tenderet: ipſam quoque contingeret à rota circumvolutione ab ortu verſus occaſum ferri: proprio vero motu ab occaſu verſus ortum. Eodem modo concipimus ea quæ de Sole. Sit enim rota cælum: Sol vero formica. Demonſtrationem vero hujus in ipſa Sphæra videri licet. Si enim ſupponamus, primo arietem oriri, & Solem in hoc eſſe, poſt dies XX. *tranſitum feciſſe deprehendemus in Taurum.* Vid. Cleomedem lib. 1. tit. περὶ τῶν σφαιρῶν οὐρανίων κινήσεως. Ut vero melius explicarent, quo modo hoc contingere poſſet: ſolidas quaſdam ſphæras antiqui adinvenerunt, quarum primam vel potius octavam motu hoc ab ortu ad occaſum circumgyrari, reliquaſque inferiores

violento quodã motu una circumvolvere asserebant: Spheras vero reliquas motu proprio ab occasu versus ortum tendere, sed illa veterum opinio satis ab aliis est refutata. Si enim cuivis planetæ suus certus esset orbis: qui fieret (quod tamen factum esse Copernicus, Tycho, atque alii observarunt) ut Mars interdum ipsi Veneri esset inferior? adeoque in Mercurii aut saltem Veneris Cyclo versaretur. Imò cœlum revera corpus laxum ac instar aeris fluidum esse, nec solidis orbibus constare, nova cœli phænomena monstrant. Si enim solidum quid cœlum esset ubi cometæ? ubi novæ stellæ viam invenirent? Rectius igitur sentire videntur illi qui cœlum quidem corpus fluidum esse dicunt: moveri tamen motu vehementi ac impetuoso ab ortu versus occasum, omniaque quæ in cœlo continentur ita secum rapere, ac torquere. Ipsa vero corpora in liberrimo æthere ab occasu versus ortum perpetuo moventur. Sunt qui utrumque motum astris naturalem esse volunt. Nec mirum ipsis visum fuit, duos motus uni corpori attribuisse: cum idem, ex ipsorum mente, in magnete deprehenderetur. Enimvero, magnes triplici motu movetur: uno deorsum, ad centrum terræ, communem graviorum corporum naturam secutus: altero versus polos mundi: tertio ad ferrum. Sed dic sodes: vidistin' unquam magnetem, uno eodemque tempore & ad ferrum & ad polos moveri. Sane, si acui pyxidis nauticæ magnete tinctæ, cultrum aliudve chalybeatum admoveris, polos statim relinquet: & ferrum petet. Ferrum (quod quia grave est semper descendit) si magnes superne appendatur, ad charissimum sibi ascendit, non tamen eodem tempore & ascendit & descendit eodem, progreditur & regreditur: sed diversis. Si igitur astra vere diurnam illam revolutionem faciunt; motu quodam externo adeoque non naturali sed violento movebuntur. At qua ratione fluidum illud cœli corpus infinita hæc corpora solidiora tanto ac tam longè omnem humani ingenii captum excedente motu circumgyrabit? Concessum enim ab Mathematicis est, Fixa ad minimum XIV. M. semidiametrorum terræ à nobis distare. Et cum ex ratione Archimedæa semidiameter terræ 859. sit milliarium Germanicorum: quorum quodlibet continet passus Geometricos IV M. sive pedes XX. M: erit juxta eandem rationem peripheria sphæræ stellarum fixarum milliar. Germanico. 75591984. Adeoque cum XXIV. horis tantum spacium absolvatur; horâ igitur unâ pars hujus XXIV. hoc est milliar. German. 3149066. suam facient revolutionem; una sexagesima horæ, milliar. German. 52494. uno minuto secundo, hoc est parte horę ter millesimâ sexcentesimâ

tesimâ, quæ instar momenti est, promovebit se cœlum per milliaria Germ. 874. hoc est Italica 3496. sive passus Geometricos 3496000. aut pedes 17480000. quod est infinitum in tantillo spacio. Non igitur sine causâ Patrum nostrorum memoria, Vir summo ingenio summaque eruditione, Nicolaus Copernicus, motum primum, globo terreno, universe cum sphæra sua aërea considerato, tribuit. Convenientius enim in minimo circulo quam in maximo tantus motus fiet: faciliorque & naturæ convenientior unius corporis super centrum proprium revolutio erit: quam innumerabilium incomprehensibilis plane & contra cujusvis corporis naturam circumgyratio. Et sane antiquorum non paucos hac in re sibi habet ὁμοψήφους. *Aristote.* de cœlo lib. II. tex. 96. de terra: καθάπερ γὰρ εἴπομεν, οἱ μὲν αὐτὴν ἓν τῶν ἄστρων ποιοῦσι, οἱ δὲ ἐπὶ τοῦ μέσου θέντες εἱλεῖσθαι καὶ κινεῖσθαί φασι περὶ τὸν μέσον πόλον. *Sicut enim diximus, alii quidem unum ex astris terram faciunt: alii vero in medio constituentes volvi eam & moveri asserunt circa polum medium.* Hæc eadem diductius antea exposuerat tex. 75. hujus: ἀλλ' ὅσοι μὲν μηδ' ἐπὶ τοῦ μέσου κεῖσθαί φασιν αὐτὴν, κινεῖσθαι δὲ κύκλῳ περὶ τὸ μέσον. &c. ἔνιοι δὲ καὶ κειμένην ἐπὶ τοῦ κέντρου φασὶν αὐτὴν εἱλεῖσθαι περὶ τὸν διὰ παντὸς τεταμένον πόλον, ὥσπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραπται. *qui vero neque in medio eam constituunt, moveri eam circulo quodam circa medium perhibent &c. Alii vero in centro positam circa universi polum se circumvolvere tradunt: sicut in Timæo scriptum est.* Duæ igitur antiquorum fuere opiniones: altera quæ terram instar unius planetæ moveri asseruit, altera quæ terram in centro quidem suo manere asserit, continuo tamen super centrum & polos mundi circumrotari. Priori opinioni Aristarchum favisse Plutarchus lib. I. de plac. Philos. docet. Is enim causas solaris obscurationis daturus, τὸν ἥλιον ἵστησι μετὰ τῶν ἀπλανῶν, τὴν δὲ γῆν κινεῖ περὶ τὸν ἡλιακὸν κύκλον. καὶ κατὰ τὰς ταύτης ἐγκλίσεις σκιάζεσθαι τὸν δίσκον, *solem inter fixas constituit, terram vero movet circa circulum Solis: & juxta hujus inclinationes discum obscurari dicit.* Quæ tamen quomodo solares radios oculis nostris intercipere possit ego non video. Nos vero posteriorem hanc sententiam de motu terræ super centrum proprium admittimus, utpote quæ naturæ adprimè conveniat: & omnibus iis difficultatibus libera sit, quibus superior sententia premitur. Movetur igitur terra, sicut alia omnia corpora cœlestia, ab occidente versus orientem. Hoc saltem differt: quod reliqua corpora circa communem quendam axem (cujus Poli sunt illi qui Zodiaci vocantur) atque in circulo moveantur: terra vero super centrum suum & super polos proprios. Neque aliter esse poterat: nam cum stellæ præcipue Sol & Luna quæ inter omnes maximam

mam in hæc ſublunaria agendi vim obtinent,uno ſaltem angulo recto terram illuſtrare poſſunt: ſi igitur eidem terræ loco ſemper imminerent: illum quidem calore corrumperent, cætera vero frigore contabeſcerent. Pulchre enim Pacuvius apud Varronem lib. 1. de re Ruſtica: *Sol ſi perpetuo ſit, aut nox, flammeo vapore, aut frigore, terræ fructus omnes interirent.* Quod quidem ferri neceſſum erat; ſi eodem quo Sol & Luna circulo, terra veheretur. Movetur igitur terra; ſed ſuper polos proprios, qui quidem ab Eclipticæ Polis, vicenis ternisque gradibus cum unius fere ſemiſſe noſtro tempore diſtant. Et hanc quidem opinionem præter alios etiam Clariſſ. Aſtronomo, Christiano Longomontano, noſtrati, placuiſſe video; qui eandem in Aſtronomiâ ſuâ libro Theoricorum primo optimè explicat. Alterum vero motum, qui ab eodem Copernico introducitur, (quo Sole fixo ac immobili manente, terra Zodiacum circulum annuo ſpacio pervagatur) ut naturæ minus convenientem, cum eodem Longomontano rejicimus. Cum enim, (ut erudite admodum hic animadvertit, ac ſolide Theoricorum primo demonſtrat) ſi hæc doctrina vera ſit, una primi honoris ſtella, non ipſum modo ſolem, ſed univerſam ſolis ſphæram cum omnibus intra illam comprehenſis, octies magnitudine excedere debeat: quis tantam, ut ita dicam, infinitatem, in pulcherrimi hujus mundi pulcherrimâ fabricâ, toleraret? cum nihil eo nos cogat. Neque enim quod Mars aut Planetæ alii terræ reſpectu nunc citeriores nunc remotiores appareant: hoc tam inſipidum dogma neceſſario erit ſtabiliendum: cum non minori felicitate ac facilitate ex Nobiliſſimi & æterna laude digniſſimi Tychonis Brahe, Nobilis Dani, ingenioſa ac artificioſa hypotheſi, iſtud explicetur ac demonſtretur. Quæ diductius forte proponi poſſent, niſi inſtituti noſtri ratio aurem velleret, atque hæc Uranologica tractantibus relinquenda juberet. Manet ergo terra ſuo loco fixa, nec ullum alium motum facit præter illum quo dies noctesque dirimuntur. Scio quidem, ſanctiſſima divini verbi oracula huic ſententiæ opponi: quibus ego nihil aliud repono, quam quod ſpiritus Dei ad vulgi ſenſum & mentem ſe accommodet. Ex infinitis iſtud locis probari poſſet. Cur manus pedesque infinito illi cæli terræque præſidi ſcriptura tribuit? an quia ita eſt? minime: ſed quoniam à finitis mortalium mentibus incomprehenſibilis ac infinita Deitas comprehendi nequeat, viſibilibus ſpeciebus ſemetipſum hominibus ingerit. Idem in aliis uſu venit. Sublimibus enim naturæ myſteriis Deus ter benedictus uti non voluit, ne imperitorum mentibus remoram injiceret. Sæpe igitur in ſcripturis

ris

ris juxta ea quæ sensibus apparent loquitur. Sic Geneseos primo Lunam respectu stellarum vocat luminare majus, at minus esse stellis, experientia certissima omnium rerum Magistra monstrat. Atque hæc de motu terræ, qui antiquis primus fuit vocatus. Quamvis verò motus hic primus à terra dependeat: minimè tamen talis à nobis observari potest. Nos enim qui æquabili isto terræ motu una circumgyramur, nullum plane motum in ipsa terrâ percipimus. Sicut enim illis, qui lenissimo flante vento, aut placidâ undâ navim vehente, non ratis moveri; sed ipsâ per se terra recedere adparet, prout Poëta canit in tertio Æneid.

Provehimur portu: terraque urbesque recedunt:

Ita quoq; in hac terræ revolutione, stellæ elevantur ac deprimuntur: terrâ immota manente. Necesse igitur est: ut, quandoquidem verum motum assequi non liceat, apparentem saltem sequamur. Moventur vero apparẽter omnia quæ in cælo sunt. Poterat igitur, quodcunque visibile cœli punctum oculis proponi, & juxta hujus motum, terræ motus mensurari; sed cum omnibus gentibus ad dierum discrimina maximus, imo solius Solis usus sit, nescio an aliud punctum melius & nostro instituto convenientius eligi posset? Una namque revolutio diem facit. Hic autem ex Sole præcipue dependet. Vnde apud illos qui Sole carent nox perpetua senum mensium est, diemque ignorant, usque dum Sol ultra æquatorem progressus,

Discutiat tenebras, lumine, noctis atra.

Et sane præclarum est ipsius creatoris de Sole elogium, Gen. 1. quod nempe creatus sit לממשלת היום ut præsit diei &c. Non igitur sine causa revolutionem terræ quo motus diurnus terminatur motu apparente solis metimur. Equidem non ignoro solarem diem naturali non esse æqualem: sed cum exigua hæc sit differentia, nec magni in Chronologicis momenti: nos tam accurati non erimus. Cui verò minutissima persequi libitum fuerit, poterit is cap. 11. lib. 1. Theoricorum Longomontan. perlegere: ubi eruditè hac de re disseritur.

Cap. III.

Dies quid? ἡμέρα unde dicta? sub diei nomine sæpe nox comprehenditur. Duplex diei consideratio. Iudæi diem à vesperâ inchoant. Quid vespera sit? & quotuplex ex sententia R. Salomonis & R. David Kimhi? alia sententia Aben-

Ezræ. quæ explicatur, & contra Scaligerum defenditur. Priorum Rabbinor. opinio ex Ioſepho & Talmude illuſtratur. Diſtinctio inter Mincham parvam & magnam. Talmudicorum & Carræorum in tertiæ veſperæ ac diei initio conſtituendo differentia. Tenaces antiquitatis ſuæ gentes, à veſpera diem incipiebant, ut Athenienſes, Nomades Libyæ, &c. Babylonii & Turcæ ab ortu Solis : à meridie Vmbri : à media nocte Sacerdotes Romani. Cauſæ hujus rei. Plutarchus emendatus. Vulgus Romanorum ab ortu horas diei numeravit. Dies naturalis & civilis, partes illius apud Græcos. Δειλης, *Merenda quid? diei naturalis diviſio apud Romanos. Antiquiſſima diei civilis partitio non in horas* 24. *ſed* 12. *ejus ratio à cælo deducta. Poſtea dies naturalis in totidem diviſus eſt. Hinc horæ inæquales, quæ gnomonis menſurâ monſtrabantur. Eubuli Comici locus lepidiſſimus apud Athenæum reſtituitur. Signa in horologiis, unde hora* σημεῖον *vocatur. Horas antiquis cognitas fuiſſe probatur. Solaria Romanorum: pro quibus Clepſydra in uſu fuit, ad omnium fere actionum tempora determinanda. Modus inveſtigandi horas inæquales. Horarum in ſcrup.* 60. *& ſcrupuli cujuſvis primi in* 60. *& ſic in infinitum diviſio : alia Epiphanii in partes* 30. *& Iudæorum in* 1080. *quarum quælibet ex doctrinâ Rabbi Ada momenta continet* 76. *&c.*

MOtus itaque primus talis fuit, quod vero exinde dependet, tempus, Dies appellatur. Hic communi gentium uſu, de iſta temporis parte dicitur, qua Sol ſupra horizontem eſt. Græcis ἡμέρα: vel à μείρω divido, quod lucem à tenebris diſtinguat, vel ut Platoni videtur, ὅτι ἱμείροντες αὐτοῦ οἱ ἄνθρωποι διετέλουν ἀχάλλοντες ἐπὶ τῇ σκοτίᾳ τῆς νυκτὸς, *quod homines illius deſiderio affligerentur in tenebris noctis &c.* Cū priori Etymologiâ, magis conveniunt verba ſcripturæ Geneſ. 1. *Et diviſit Deus inter tenebras & inter lucem, & lucem vocavit diem & tenebras noctem.* Et in hunc ſenſum. Aben Ezra in primum cap. Gen. ad verba iſta למשלת היום ita ſcribit: בצאת אור השמש ביום ואור הלבנה בלילה יבדילו בין האור ובין החשך *emiſſione luminis ſolis interdiu & lunæ noctu, diſtinguūt inter lucem & tenebras.* Primus igitur ac quaſi communior vocis hujus uſus hoc

hoc sensu est: inde tamen & nox diei annexa denominationem habet. *Basilius Mag.* in Hexaemer. Hom. II. Οὐκ ἔτι προσηγόρευσεν ἡμέρα καὶ νύξ, ἀλλὰ τῷ ἐπικρατεστέρῳ τὴν πᾶσαν προσηγορίαν ἀπένειμε. Ταύτην ἂν καὶ ἐν πάσῃ γραφῇ τὴν συνήθειαν εὕροις ἐν τῇ τοῦ χρόνου μετρήσει ἡμέρας ἀριθμουμένας, οὐχὶ δὲ καὶ νύκτας μετὰ τῶν ἡμερῶν. *Non amplius vocatur dies & nox: sed eminentiori totam denominationem attribuit. Hanc igitur consuetudinem in tota scriptura invenies: qua in temporis mensuratione dies numerantur, non noctes cum diebus. Eust. Antiochenus* in Hexaem. Ὅθεν καὶ ἐν τῇ συμμετρήσει τῶν χρόνων ἡμέρας καὶ οὐχὶ νύκτας ἀριθμοῦμεν. *Vnde & in commensuratione temporum non noctes sed dies numeramus:* & sic in scriptura sacra, *& fuit mane & vesperi dies unus.* ויהי ערב ויהי בקר יום אחד : ad quæ verba R. Selomoh: הוא על תנוע הגלגל. *Hic* (dies) *est in revolutione Sphæræ.* quod Chrysococces ad Ioannem Charsioten ita Græce expressit. ἡμέρα καὶ νὺξ ἤτοι νυχθήμερον, ἐκεῖνό ἐστιν ἡ τῆς σφαίρας κινουμένης ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ σημείου εἰς τὸ αὐτὸ πάλιν ἀποκατάστασις, ὃ καὶ δι' ὡρῶν τελειοῦται κδ. *Dies & Nox sive Nychthemeron est Sphæræ à puncto ad idem punctum rovolutio, quæ fit 24. horis.* Optime ergo Geminus in Appar. Cælest. distinguit inter duplicem vocis hujus usum. Ἡμέρα (inquit) λέγεται διχῶς. Καθ' ἕνα μὲν τρόπον χρόνος ὁ ἀπὸ ἀνατολῆς ἡλίου μέχρι δύσεως. Καθ' ἕτερον δὲ τρόπον ὁ ἀφ' ἡλίου ἀνατολῆς μέχρι ἡλίου αὖθις ἀνατολῆς. *Dies dicitur dupliciter uno modo tempus ab ortu solis usque ad occasum: altero autem modo quod est ab ortu usque ad ortum.* Et hoc diligenter observari debet, ne idem nobis contingat quod de Bœotis refert Strabo lib. IX. Φησὶ δ' Ἔφορος, τοὺς μὲν Θρᾷκας ποιησαμένους σπονδὰς πρὸς τοὺς Βοιωτοὺς, ἐπιθεμένους νύκτωρ στρατοπεδεύουσιν ὀλιγωρότερον, ὡς εἰρήνης γεγονυίας, διακρουσαμένων αὐτοὺς, αἰτιωμένων τε ἅμα, ὅτι τὰς σπονδὰς παρέβαινον, μὴ παραβῆναι φάσκειν ἐκείνους. Συνθέσθαι γὰρ ἡμέρας, νύκτωρ δ' ἐπιθέσθαι. *Refert Ephorus, Thracas cum Bœotis inducias pactos, noctu fuisse aggressos, & ab his, quamvis minus ad prælium, facta jam pace, paratis, repulsos fuisse, & cum accusarentur violati fœderis, respondisse: se fœdus non violasse, cum de diebus, non noctibus fuissent pacti.* Dies igitur in proprio ac communiori usu spacium illud vocatur quo Sol nostrum finitorem illuminat. Et sic à nocte distinguitur: de qua re pulcherrimum exstat ænigma apud Athenæum lib. x.

Εἰσὶ κασίγνηται διτταί, ὧν ἡ μία τίκτει
Τὴν ἑτέραν, αὐτὴ δὲ τεκοῦσα πάλιν γ' ὑπὸ ταύτης
Τεκνοῦται.

Sunt Sorores duæ, quarum una parit
Alteram, illa vero quæ peperit rursum ab hac
Nascitur.

Atque eapropter apud scriptores lux & sol vocatur. Quamvis & hoc

 per

per synecdochen. toti νυχθημέρῳ tribuatur, ut apud Maronem: tertio Æneid.

> *Tres adeo incertos cœca caligine Soles*
> *Erramus pelago.*

Inter doctos tamen obtinuit ut dierum appellatione noctes comprehenderentur: quod ipsum tamen & satis vulgo in usu est, ut quando dicimus quendam ante dies quatuordecim fuisse profectum &c. Gal. lib. 11. de crisibus cap. 11. ἡμέραν δηλονότι παρ' ὅλον τὸν λόγον εἰρησομένοις οὐκ ἐκ τῆς ἡμέρας αὐτῆς μόνης συνεστῶσαν, ἀλλὰ καὶ τὸν τῆς νυκτὸς χρόνον, καθάπερ οὖν καὶ τὸν μῆνα τριάκοντα ἡμερῶν εἶναι λέγομεν, οὐ μόνον τοῦτον τὸν χρόνον ὃν ὑπὲρ τῆς γῆς ὁ ἥλιος φαίνεται προσαγορεύοντες ἡμέραν, ἀλλὰ καὶ τὸν τῆς νυκτὸς αὐτῷ προστιθέντες, κλ'. *Diem autem per totum hunc sermonem nostrum in eo accipiemus significatu, ut non solam lucē sed noctem etiam complectatur. Sicuti & mensem ex tringinta diebus constare dicimus; non id tempus tantum quo Sol supra terram fertur, appellantes diem; sed etiam illi tempus noctis adjicientes. sic enim annum quodammodo dicimus trecentos & sexaginta dies complecti.* Idem nos in hac dissertatione faciemus, ut quando solius diei facta sit mentio: de spatio horarum 24. is accipiatur. Hic verò dies consideratur vel ratione partium, vel terminorum. Sicut enim omnis mensura certos habet terminos, quibus continetur; ita quoque motus, qui temporis mensura est, certis terminis circumscribitur. Terminos hosce natura monstrat: ars applicat. Hinc diversi termini, quod ab arbitrio dependeant. Alii enim diem à meridie auspicantur; alii à media nocte: quibusdam ortivus cardo placuit: alii ab occasu diei diem inchoant. Hisce tamen quatuor terminis tota varietas absolvitur. plures enim natura non monstravit. Georgius Chrysococces expositione in constructionem Persarum, cap. xx. Ἡμέρα καὶ Νὺξ, ἤτοι Νυχθήμερον ἐκεῖνο ἐστὶν ἡ τῆς σφαίρας κινουμένης ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ σημείου εἰς τὸ αὐτὸ πάλιν ἀποκατάστασις, ὃ καὶ δι' ὡρῶν τελειοῦται κδ'. Τὴν ἀρχὴν δὲ τούτου ἕκαστον ἔθνος ἰδίαν ποιεῖται. οἱ Ἄραβες τὴν ἀρχὴν τοῦ Νυχθημέρου ἀπὸ τῆς δύσεως κρατοῦσι τοῦ ἡλίου, καὶ γὰρ τοὺς μῆνας αὐτῶν ἀπὸ τῆς σελήνης νέας φανείσης κρατοῦσιν, οἳ καὶ διὰ τῆς κινήσεως ταύτης ἀριθμοῦνται. ἡ δὲ σελήνη μετὰ δύσιν ἡλίου φαίνεται νέα. οἱ Μουσουλμάνοι τὴν ἀρχὴν τῆς ἡμέρας περὶ τοῦ ἀνατεῖλαι τὸν ἥλιον κρατοῦσι μέχρι καὶ τῆς δύσεως, διὰ τοῦτο καὶ τὴν νηστείαν τούτων οὕτω τελοῦσιν. Οἱ Ἀστρονόμοι τὴν ἀρχὴν τοῦ Νυχθημέρου ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ μέσου τῆς ἡμέρας κρατοῦσι. Διὰ τοῦτο καὶ οἱ ψῆφοι τῶν ἀστέρων εἰς τὸ μέσον ἐτέθησαν τῆς ἡμέρας. Εἰ γὰρ κατὰ τὴν ἀρχὴν, ἐπεὶ ἡ ἡμέρα αὔξεται καὶ μειοῦται, οὐκ ἔμελλεν εἶναι τὸν ψῆφον ὀρθόν. *Dies & Nox sive Nychthemeron illud est Sphæra à puncto quodam motæ ad idem punctum restitutio, quæ horis 24. absolvitur. Ejus initium unaquævis gens sibi proprium facit. Arabes intium* Νυχθημέρου *ab occasu Solis sumunt. nam & menses suos à nova luna apparente inci-*

incipiunt, & juxta hujus motum numerant, luna vero post occasum solis nova apparet. Musulmanni initiū diei ponunt ante solis ortum, finem vero occasum: unde & jejuniū ipsorū ita terminatur. Astronomi à principio medii diei diem inchoant. Propterea & calculi astrorum ad medium diem supputantur. Si enim ab initio diei inciperent, calculus sibi ipsi minime constaret, eo quod dies augeantur ac minuantur. Plin. l. 11. c. 77. *Ipsum diē alii aliter observavere: Babylonii inter duos solis exortus, Athenienses inter duos occasus. Vnbri à meridie in meridiē: vulgus omne à luce ad tenebras; sacerdotes Romani, & qui diem definiere civilē, item Ægyptii & Hipparchus à media nocte in mediam.* Primum & antiquissimū diei exordiū à vespera est, sive occasu solis. Ita enim primū diē incipit Moseh Gen. 1. ויהי ערב ויהי בקר יום אחד יום שני וכו' Et fuit vespera & mane die primo, secundo, &c. Hinc igitur Iudæi diem civilē inchoant: nec tamen satis in initio hujus conveniunt. Equidē diem à vesperi omnes inchoant, sicut hoc ipsum in omnibus ipsorum festivitatibus observatur: vespera enim præcedente, ut nos loquimur, omnia festa incipiunt, & circa solis occasum in Synagoga conveniunt, easque preces recitant quæ in Minhagim & seder Tephilloth sub titulo v.g. בליל כפור in nocte Kipur (si festivitas fuerit Kippurim) &c. ponuntur. Ita Lusitani Amsterodamenses, cum ego magno expiationis die, decimo mensis Tisri, (quem illi יום כפור, & secundum excellentiam יומא vocant: sicut Tractatus Talmudicus qui de die hoc expiationis agit inscribitur מסכתא יומא liber diei, & est quintus in Seder Moëd) cætui ipsorū interessem, incipiebant jejunium ab occasu solis diei prioris; & quintâ quidē horâ vespertinâ comedebant; post illud vero tempus nihil omninò degustabant ante tenebras nocturnas diei sequentis. & cum toto die ab hora sexta vel media septima matutina usque ad quartam vel mediam quintam consedissent; tandem inceperunt solem occidentem identidem aspicere, & interea in legendo ita pergebant ut ægre eos oculis assequi potuerim. Verebantur enim ne sol legentes destitueret: adeoque petentibus adhuc, cœli fores clauderentur. Ubi nunc occubuerat sol, cornu arietino signum abeundi datum fuit. Et tum solemni cantione, cujus initium אלהי אבותנו &c. discessum est. Incipiunt igitur diem à nocte, vel potius vespera: Variæ autem sunt apud Ebræos vesperæ. Exodi XII. præcipitur ut agnus immoletur בין הערבים inter duas vesperas. In quo loco mirum quàm se torqueant Commentatores. Rassi seu Rab. Selomoh Jarhi in hunc locum ita commentatur. בין הערבים משש שעות קרוי בין הערבים שהשמש נוטה לבית מבואו לערב ולשון בין הערבים נראה בעיני אותן שעות שבין עריבת היום לעריבת הלילה עריבת היום בתחלת שבעה שעות מכי יטנו צללי ערב

ועריבת הלילה בתחלת הלילה: *Inter duas veſperas, tempus à ſexta hora (noſtra
12.) vocatur inter duas veſperas, quod ſol inclinet ad occidentem. Et Phraſis
illa inter duas veſperas, videtur explicari poſſe de horis quæ ſunt inter veſperam
diei & veſperam noctis. Veſpera diei eſt in initio horæ ſeptimæ,* noſtræ primæ,
propterea quod inde inclinant umbræ veſpertinæ, & veſpera noctis initio noctis.
Kimhi in radice ערב locum hunc ita exponit : בין הערבים׳ הוא מעת נטות
השמש למערב והוא משש שעות ולמעלה עד הלילה ואמר ערבים והם שנים כי מעת
שתתחיל השמש לנטות הוא הערב האחר ואחר ביאת השמש הוא הערב השני
*Inter duas veſperas : Hoc eſt à tempore inclinationis ſolis ad occaſum. Et hoc
eſt à ſexta hora & deinceps : ad veſperam , & dicit duas veſperas, & illæ duæ
ſunt. Nam tempus quo incipit Sol inclinare, eſt veſpera prima, & poſt occaſum
ſolis veſpera ſecunda.* Sed rejicit hanc opinionem doctiſſimus Aben
Ezra. Verba ejus ad hunc locum hæc ſunt : רבינו שלמה אמר כי זה רגע
נטות השמש מחצי היום לצד מערב ולא נתן טעם למה ערבים שנים והנה כתוב ובעלות
העלות אהרון את הנרות בי׳ן הערבים ואין ספק כי בשקיע השמש ידליק את הנרות
וכאשר חפשנו ואת המלה מצאנו כי יקרא רגה בין הערבים ערב כי כן כתוב תאכל בשר
& poſt teſtimonia quædam ſcripturæ ſubjungit. והנה על פסח שכתיב בו בין·
הערבים מצאנו שם תזבח את הפסח בערב כבא השמש מועד צאתך ממורים פי׳
כבא השמש לצד מערב ואין מה משמע ביאה כי הוא הפך יציאת השמש כדכתיב
השמש יצא על הארץ שהחל לתראות על הארץ וככה ובא השמש וטהר שלא יראה
על הארץ *Magiſter noſter Salomoh dixit quod illud (inter duas verſperas) ſit
in momento inclinationis ſolis in meridie ad latus occidentis : & non dedit cau-
ſam cur veſperæ duæ ſint : & ecce ſcriptum eſt ; & accendit Aharon lucernas in-
ter duas veſperas: & non neceſſe erat niſi in demerſione ſolis candelas accendere:
& ſi accuratius inquiramus in phraſin hanc , invenimus quod vocetur momen-
tum veſperæ, inter duas veſperas. Quoniam ſic ſcriptum eſt, inter duas veſperas
comedetis carnes &c. & ecce Peſach de quo ſcriptū eſt, ut immoletur inter duas
veſperas: hoc ipſum immolari deprehendimus in veſpera juxta occaſum ſolis
Tempore exitus Iſraelitarum ex Ægypto. Occaſus ſolis non eſt inclinatio ad la-
tus Occidentale : neque enim hæc propria occaſus acceptio eſt. Quoniam occaſus
eſt contrarius progreſſioni ſolis, juxta illud quod ſcriptum eſt : egreſſus eſt ſol ſu-
per terram, & radii ipſius illuminant ſuper terram : & rurſum , & occidit, ſol
& ſplendor non videbatur ſuper terram.* Et paulo poſt ipſe ſententiam
ſuam his verbis exponit. והנה יש לנו שני ערבים האחד עריבת השמש והוא
עת ביאתו תחת הארץ והערב השני ביאת אורו הנראה בעבים והנה יש בניהם
קרוב משעה ושליש שעה *Et ecce ſunt nobis duæ veſperæ: prior veſpera ſolis; & illa
tempus occaſus ſolis ſub terram : & veſpera ſecunda occaſus luminis ipſius quod
videtur in denſitatibus tenebrarū . Et ecce ſunt inter has duas veſperas differentia
horæ*

horæ & tertiæ partis. Idẽ habes cõmentario in c.1. Gen. ad verba לממשלת ubi ita ſcribit, יום התורה משע׳ צאת השמש עד בואה והלילה מעת ראות הככבים *Dies in lege eſt ab hora egreſſus ſolis uſque ad occaſum ejusdem, & nox à viſione ſtellarum*. Et rurſum, ודע כי עת שתחשך השמש יהיה ערב עד שעה ושליש שעה, שיראה כמו אור בעבים *& ſcito quod tempus obſcurationis ſolis ſit veſpera, uſque ad horam & tertiam partem horæ, quo apparet quaſi lumen in denſitatibus ſive umbris*. Sententiam hanc Doctiſſimi Aben Ezræ mirum in modum vexat Scaliger, de emendatione temp. lib. VI. pag. Edit. poſt. 568. *Aben Ezra* inquit, *in* XII. *Exodi dicit eſſe duo* ערבים *prius*. ערב *eſſe* ביאת השמש *occaſum ſolis: alterum quamdiu rubet ſol poſt obitum ſolis. En Jecur Criticum. Atqui poſt occaſum ſolis incipit ſequens dies civilis. Igitur Iudæi comediſſent Paſcha in* XV. *die ineunte, non in* XIV. *in qua lex agnum comedi jubet. Addit, illud intervallum eſſe ſesquihoræ quod indignum eſt Doctore Hebræo & Aſtrologo. Nam comedere agnum poſt ſolis occaſum eſt legem ignorare: & in inclinatione Paleſtinæ ſub elevatione graduum* XXXII. *putare crepuſculum ſesquihoram durare hoc vero eſt inſcitiam aſtronomiæ prodere*. Sed ego nullum tam grave delictum video, propter quod ita tractari debebat. Dicit Aben Ezra, veſperam alteram eſſe, ab occaſu uſquedum ſtellæ appareant, vel lux ſolis plane deſinat: quod poſt horam & tertiam partem horæ, ſive minut. 20. fieri aſſerit. Scaliger illud nimis impente præſertim ab Aſtronomo factum clamitat. Fateor crepuſculorum doctrinam ex opticis maximâ ſui parte dependere. Fundamentum tamen ipſum in diſtantia vaporum altiſſimorum â terra conſiſtit. Hæc autem certius experientia quam ratiocinio colligitur. Et ſanè Rothmannus lib. 1. Epiſtol. Aſtronomic. Tychon. Solem 24. gr. infra horizontem conſtituit, antequam in Germania omne crepuſculum deſinat. Tycho quidem minus tempus crepuſculis tribuit, ſpacium nempe quo ſol 17. gradus ſub Horizontem deſcendit. Longomontanus tamen 20. graduum. ſpacio ſolem ſub horizontem depreſſit antequam omne Crepuſculum finiri poſſit. Vide eundem Sphæricorum lib. 1, probl. 1. Et periculoſæ plenum aleæ opus eſt, de hiſce aliquid definire velle: aliumque imperitiæ arguere, præſertim illum cui melius hac de re conſtare poterat quam nobis. Neq; tamen affirmare velim, Crepuſculũ tam diu in terra Iſraelis duraſſe: neq; hoc affirmat Aben Ezra: ſed ſaltim veſperam tantam fuiſſe refert. Nam cũ crepuſcula propter majorẽ minorémve aeris craſſitiem nunc majora eſſent, nunc minora, nec finis ipſorum ſatis certo diſcerni poſſet: ſapientes Iſraelis conſtituerunt terminum quendam certum ultra quem Crepuſcula non durarent: atq; hunc in uſu cõmuni retinuerunt. Alterum

terum quod dicit *comedere agnum post solis occasum est legem ignorare* item *Atqui post occasum solis incipit sequens dies civilis. Igitur Iudæi comedissent pascha in* xv. *die ineunte*: Id dicit quidem, sed minime probat. Aben Ezræ sane dies inde non incipit. Nec solus AbenEzra hac in hæresi est. Sequitur is scripturarios, qui etiam à tertiæ vesperæ initio, מתחלת הערב השלשי ut ait Elias scripturarius, diem inchoant. At vesperæ tertiæ initio finitur occasus solis, idque ex mente Eliæ scripturarii, si Clariss. Viro Seldeno fides. Nondum enim editus est. Verba quidem quæ à Seldeno hanc in rem adducuntur nō illud probant. אמרו החכמים עשה ירח למועדים שמש ידע מבואו הטעם עשה ירח למועדים בעת ביאת השמש שהוא תחלת הערב השלישי והטעם שהתחלת החדש הוא מערב השלישי שהוא מבוא השמש *Dicunt sapientes, fecit lunam in solemnitates. Sol novit occasum suum. Sensus est. Facit luna festivitates in tempore occasus solis*, (Seldenus vertit tempore occasus solis finiti) *& illud initium est vesperæ tertiæ: & sensus est initium mensis esse à vespera tertia & hæc ab occasu solis.* (Seldenus vertit quoniam tunc finitur occasus solis.) Neque tamen de Clariss. Viri fide dubitari licet: & constat ex iis quæ ibidem refert, diversam in diei initio opinionem à Talmudicis Scripturarios habere: ideoque verba hæc non simpliciter esse accipienda de occasu ipsius solis, sed de occasu luminis ipsius post solem, ut antea vidimus. Optandum tamen esset ut tantum summo illi viro à publicis rebus superesset ocii, ut hæc aliaque magno seculi bono in lucem emittere posset. Hæc de vesperis juxta sententiam Rabinorum. Quoniam vero recentiores hic inter se non conveniunt: antiquiores nobis erunt adeundi. Ex Josepho igitur concludere licet, Iudæos festa sua à nonâ horâ diei prioris inchoasse. Exstat apud Josephum libro Origin. XVI. cap. X. rescriptum Augusti Cæsaris. Καῖσαρ σεβαστὸς ἀρχιερεὺς δημαρχικῆς ἐξουσίας λέγει. ἔδοξέ μοι τοὺς Ἰουδαίους χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις θεσμοῖς, ἐγγύας τε μὴ ὁμολογεῖν αὐτοὺς ἐν σάββασιν ἢ τῇ πρὸ ταύτης παρασκευῇ ἀπὸ ὥρας ἐνάτης. *Cæsar Aug. Pont. Max. Trib. Potesta. dicit: visum est nobis ut Iudæi utantur propriis legibus, neque cogantur ad præstanda vadimonia Sabbathis, aut quæ ante hæc fuerit Parasceve ab hora nona.* Hora igitur nona incepit isto seculo festum Judæorum, & illud quidem à Mincha sive tempore sacrificii jugis. Quod ipsum cum Talmude convenit. Illic enim legere est in Masseceth Pesachim Perek Tamid Neschat, statim in principio: תמיד נשחט בשמנה ומחצה וקרב בתשע ומחצה בערבי פסחים נשחט בשבע ומחצה וקרב בשמונה ומחצה בין בחול בין בשבת חל ערב פסח להיות בערב שבת נשחט בשש ומחצי וקרב בשבע ומחצי והפסח אחריו *Sacrificiū juge immolatur octava & dimidia offertur nona & dimidia, in*

dia in vespera Paschatis mactatur septima & dimidia; & offertur octava & dimidia, sive profestus dies sit sive Sabbathū. Si contingat vesperā Paschatis esse vesperam Sabbathi, mactatur sexta & dimidia, offertur septima & dimidia: inde Pascha. Dicit autem, tempus Minchæ verum esse, mactationis quidem ab octava & dimidia, nobis media tertia: oblationis vero nona & dimidia: nobis media quarta: & hoc tempore communiter sacrificia offerebantur: nisi vespera Paschatis: tum enim anticipabant una hora; & si Parasceve Paschatis incideret in Parasceven Sabbathi, duabus horis: ne mactatione & præparatione agni, Sabbathum violarent. Et hinc videmus, cur Rabbini Mincham magnam inceperint ab hora sexta & dimidia, videlicet ne festorum solemnitates violarent, & quia præceptum erat offerre Mincham בין ערבים inter duas vesperas. Ergo ab inclinatione umbrarum vesperam primam incipiunt. Hæc enim sunt ipsorum verba. מנחה גדלה התחלת זמן תמיד שלבין הערבים מכי מתחיל להעריב דהיינו מחצי שבהע ולמעלה דהא חצי שש וחצי שבע חמה עומרת בראש כל ארם וקודרת כנגדה למטה ואינה נוטה לשום צד ומחצי שבע ולמעלה נוטה ברקיע למערב *Mincha sive vespera magna est initium temporis sacrificii jugis inter duas vesperas ex quo incipit vesperascere, hoc est à dimidia septima & ulterius. Nam à dimidia sexta ad dimidiam septimam sol consistit in capite cujusque hominis, & umbram facit rectà ante se deorsum, nec declinat in ullum latus, at à dimidiâ septimâ & ulterius vergit sol in firmamento versus occidentem.* Mincha vero parva dicitur tempus ordinarium oblationis sacrificii jugis. Et est juxta Magistros כתשעה ומחצה hora nona & dimidia: quod cum Josepho & Talmude convenire videtur. Tres igitur vesperæ apud Judæos esse apparet. Prima Talmudicis incipit ab inclinatione umbrarum, sive hora media prima: altera à media quarta: tertia ab occasu solis. Scripturarii tres quoque vesperas agnoscunt: quarum prior à Mincha sive hora oblationis sacrificii jugis incipit, altera ab occasu solis, tertia à fine crepusculi. A vesperæ tertiæ initio utraque secta diem inchoat. Sed quia verspera tertiæ non idem ambobus initium, ergo discrimen diei auspicandi aliquod datur. Hinc igitur patet, quid per Mincham Judæi intelligant, qua item ratione ipsi inter se debeant conciliari. Talmudici igitur ab occasu solis diem incipiunt: sicut Judæorum Minhagim, imo praxis eorundem demonstrat, de qua re antea quædam à nobis Amsterodami observata adduximus. Unicum hujus rei indicium ex Talmude produxisse suffecerit. In lege scriptum est, ut Judæi die qui Sabbathum proxime excipit offerant fruges. Explicant illud Rabbini de oblatione Omer, die XVI. Nisan. Non igitur alio die poterant demetere

tere fasciculum illum frugum quam XVI. At poterant demetere illum noctu quæ XVI. Nisan præcedit. Ita enim legitur in Cod. Menachoth cap. x. שהרי העומר א׳א ללקיטתו ולקצירתו כי אם בליל י״ו לסנן *Impossibile est sumere aut metere Omer nisi nocte diei Nisan.* Ergo nox præcedens ad diem pertinebat. Nec tamen ante solis occasum, falcem in segetem mittere cuiquam integrum fuit. Ita enim ibidem legitur: כיון שחשכה אומד הקציר לכל העומדים שם בא השמש· אומרין לו הן בא השמש *Cum tenebræ factæ fuerint, dicet messor omnibus astantibus: Occidit sol. dicent illi: Etiam, occidit sol.* & tum demum licet metere. ergo una cum occasu solis, XVI. Nisan incipit. Scripturarii non ab occasu solis sed à fine crepusculi incipiunt, sicut antea dictum fuit. Hic igitur mos inchoandi diem antiquissimus fuit, ipso creatori observatus Gen. I. Conveniebat enim naturæ, ut cum ante lucem tenebræ fuissent, hæ quoque in calculo dierum illam præcederent. Antiquissimus hic ritus multis seculis duravit, unde & antiquissimæ, ac antiquitatis tenacissimæ gentes, eundem diu observarunt. Nam ut Judæos Arabasque Judæorum cognatos omittam, ipsi Græci Athenienses hac dinumerandorum dierum ratione sunt usi. Testantur id præter Plinium (quē antea adduximus) Macrobius & Censorinus. Ille quidem ex mente Varronis Saturn. I. cap. III. ita scribit: *Athenienses autem aliter observare idem Varro in eodem libro scripsit, eosque à solis occasu ad solem iterum occidentem omne id tempus medium unum diem esse dicere.* Censorinus de die Nat. cap. XXIII. *Athenienses autem ab occasu solis ad occasum.* Idem legas apud Gellium Noct. Atticar. lib. III. cap. III. de quo capite cum laudato antea Macrob. cap. III. lib. I. Satur. collato illud jure usurpare poteris. *Nec aqua aquæ nec lac lacti, usquam similius.* Eodem modo Nomades Libyæ, quod dies suos à nocte inchoarent, non à dierum sed noctium numero tempus mensurabant. Nicolaus Damascenus de moribus gentium: apud Stobæum. Serm. 165. Νόμαδες τῶν Λιβύων οὐ ταῖς ἡμέραις ἀλλὰ ταῖς νυξὶν αὐτὸν ἀριθμοῦσι τὸν χρόνον. *Nomades Libyæ non diebus sed noctibus tempora numerant.* De Gallis idem testatur Cæsar de bello Civil. lib. VI. *Galli se omnes ab Dite Patre prognatos prædicant, idque à Druidibus proditum dicunt. Ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt, & dies natales & mensium & annorum initia observant, ut noctem dies subsequatur.* Et de Germanis Tacitus. de Morib. *Nec dierum numerum ut nos, sed noctium computant: sic constituunt sic condicunt ut dies noctem ducere videatur.* Eundem morem & Britanni, teste Cambdeno, & antiqui Dani mei sunt secuti: hinc phrases illæ in Cantionibus paulo antiquioribus, *Netter try*: Illic *mora-*

moratus est noctes tres. Sic quia annos ab hyeme incipiunt, hyemes pro annis sumunt, ut de Alberto Megalopolitano Sueciæ Rege, (si recte memini) canitur:

Sad hand der i vvintere syv.

Illic captivus sedit septem hyemes. Diem quoque solstitialem sive brumam (quam aliàs si recte memini vocant *Winterfyllit*) *Modranat* appellant quasi matrem reliquarum noctium. Vid. Clariss. Wormium nostratem in fastis Danicis, & Scaligerum: de Emend. Temp. lib. 11. tit. de Cyclo Lunari veterum Saxonum. Hæc igitur antiquissima dierum numerandorum ac inchoandorum ratio fuit. Postea, cum naturæ minus videretur consonum, ab illa parte initiũ diei sumere, quæ ignobilior esset, omissa parte nobiliori, ex qua præcipue dies denominationem haberet: Babylonii ab initio diei, ortu nempe solis, diem inchoarunt. Testis hujus rei Varro apud Macrobium & Gellium locis laudatis, & Censorinus. Babylonios hac in re sequuntur Musulmanni, sive Turcæ, ut ex Charsiota probavimus. Et testis oculatus est Cl. Augerius Busbequius, qui legatione sua Turcica Epistol. 111. pag. 190. ita scribit: *Nam Turcis decursu lunæ unius, esuriales feriæ terminantur, nec ullæ sunt graviores quam quæ in æstatem incidunt, ob longitudinem dierũ. Cum ita servent, ut nihil gustent, ne aquam quidem; imo nec os eluere fas habeant antequam vesperi stellæ appareant: fieri necesse est, ut longissimi quique dies, quique plurimum habeant caloris & pulveris, molestissimi accidant, præsertim eis qui opus faciunt & suo labore victum quærunt. Liberum tamen est iis ante exortum solis (nam sol vescentem toto jejunii tempore videre neminem debet) antequam stellæ ejus syderis luce hebetentur, vesci si lubeat, quo etiam hybernum jejunium facilius toleratur.* Idem Epistola 1. pag. 26. *Talismanes habent hominum genus templorum ministerio dicatum: hi mensuris utuntur ex aqua: quibus postquam adventare auroram cognoverunt: clamorem tollunt è celsa turri in eum usum constructâ; quo homines ad venerandum Deum hortantur & arcessunt. Idem faciunt medio tempore inter exortum solis & meridiem: & item inter meridiem & occasum: postremo sole occidente, voce utuntur acutissima, eam non injucunda modulatione vibrantes. Quæ longius quam credi possit exauditur. Sic totus dies Turcis in quatuor spacia dividitur, majora aut contractiora, ut anni fert tempus. Noctis omne tempus incertum est.* Quoniam vero initia dierum noctiumque semper varient, Sole ad verticem nostrum accedente vel recedente: non commodum satis videbatur iis qui accuratius aliquid denotare volebant, ab incertis principiis tempora deducere. Cũ enim prima hora esset illa qua sol supra horizontem oriretur: si igitur quis aliquid factum diceret

ceret hora post ortum prima: necesse erat operosiore calculo investigare, quo tempore aut qua hora æquali, id, isto anni tempore, contingere posset. Mathematici igitur non ab Horizonte, sed à Meridiano circulo & Solis in illum ingressu diem suum sunt auspicati. Cum vero Meridianus in duos semicirculos dispescatur, unū conspicuum, alterum inconspicuum: alii à conspicuo, sive illo, qui per polos mundi super verticem cujusque ducitur, inceperunt. Hos Umbri Italiæ populus sequuti sunt. Quod Varroni apud Gellium & Macrobium minime placet. Macrobius loco citato. *Vmbros verò unum & eundem diem esse dicere à meridie ad sequentem meridiem. Quod quidem, inquit Varro, nimis absurdum est. Nam qui Calendis hora sexta apud Vmbros natus est, dies ejus natalis videri debebit & Calendarum dimidiatus, & qui post Calendas erit usque ad horam ejus diei sextam.* Romani igitur sacerdotes & qui diem definiere civilem à media nocte in mediam diem extenderunt. De his ita disserit Agellius lib. III. cap. II. *Quæri solitum est, qui noctis hora tertia quartave, sive qua alia nati sunt, uter dies natalis haberi appellarique debeat, is ne quem nox ea consequuta est, an qui dies noctem consequutus est. M. Varro in libro rerum humanarum quem de diebus scripsit, Homines, inquit, qui ex media nocte ad proximam mediam noctem in his horis viginti quatuor nati sunt, una die nati dicuntur. Quibus verbis ita videtur dierum observationem divisisse, ut qui post solis occasum ante mediam noctem natus sit, is ei dies natalis sit, à quo die ea nox cœperit: contra vero qui in sex horis posterioribus nascatur, eo die videri natum qui post eam noctem diluxerit.* Et paulo post, *Præterea tribuni plebis, quos nullum diem abesse Roma licet, quum post mediam noctem proficiscuntur, & post primam facem ante mediam sequentem revertuntur, non dicuntur abfuisse unum diem: quando ante horam noctis sextam regressi, parte aliqua illius in urbe sunt.* Causas hujus rei Plutarchus in quæstionibus Romanis varias reddit, tum quod Politia ipsorum militarem principio constitutionem habuerit, tum quod noctu præpararent, quæ simul diluculo essent agenda, tum quod meridies gravioribus ac publicis negociis finem imponeret: ἢ δύσει μὲν καὶ ἀνατολῇ λαμβάνειν ἀρχὴν ἡμέρας καὶ τελευτὴν οὐ δυνατόν ἐστιν. *Vel quia occasu & ortu diei initium aut finem sumere non sit possibile.* (Ita locum hunc emendo, in editis omittitur particula οὐ manifesto vitio.) Ὡς μὲν γὰρ οἱ πολλοὶ τῇ αἰσθήσει διορίζουσιν ἡμέρας μὲν ἀρχὴν τὴν πρώτην ἀνάσχεσιν τοῦ ἡλίου, νυκτὸς δὲ τελευταίαν ἀπόκρυψιν, λαμβάνοντες, οὐχ ἕξομεν ἰσημερίαν *Si enim, ut vulgus sensu distinguit, diei quidem initium à prima solis elevatione, noctis vero ejusdem suprema occultatione deducamus, non habebimus æqualitatem dierum* Et postea: ἐπεὶ τοίνυν ἐν ταῖς ἀνατολαῖς καὶ δύσεσι τοῦ ἡλίου δύσληπτος ἐστιν ἡ ἀρχὴ διὰ τὰς εἰρημένας ἀλογίας, ἀπολείπεται

λείπεται τὸ μεσουρανοῦν ἢ τὸ ἀντιμεσουρανοῦν αὐτοῦ λαμβάνειν ἀρχήν· βέλτιον δὲ τὸ δεύτερον φέρεται γὰρ ἐκ μεσημβρίας ἐπὶ τὰς δύσεις καθ' ἡμῶν· ἐκ δὲ μεσονυκτίου πρὸς ἡμᾶς εἰς τὰς ἀνατολάς. *Quandoquidem ergo in ortu & occaſu ſolis initium diei vix comprehendi poſſit propter recenſitas difficultates: reliquum igitur eſt; ut à medio die aut media nocte initium ſumatur. Sed poſterius præſtat. Fertur enim à meridie ad occidentem ſol, noſque deſerit: à media vero nocte nos accedit.* Hæc ille. Hipparchum vero & Ægyptios inde initium diei ſumere, docuit nos antea Plinius; quamvis aliis aliter videatur. Manifeſtum vero eſt ex iis quæ hucusque diſputavimus, ſex horas diei æquinoctiali eſſe detrahendas, ſi tempus in die Romano datum ad Judaicum ſit accommodandum. Contra Romano tempori debent ſex addi pro Babylonico, XII. vero pro Mathematico tempore inveniendo. Ideoque ſi datum tempus Mathematicum in tempus diei æquinoctialis Judaici convertere velim: detrahendæ ſunt ex tempore Mathematico horæ octodecim. Quamvis autem Romani à media nocte diem inciperent: vulgus tamen exinde tempora ſua minimè deducebat: ſed juxta diei ac noctis diſcrimina, primam nominabant illam cum qua ſol finitorem ſcanderet: ſextam qua medium cœli occuparet. Sic primam noctis qua Sol ſe abderet: ſextam qua noctis meridiem ut cum Varrone loquar attingeret. Manifeſtum illud eſt ex loco Gellii antea laudato. Ubi de tribuno plebis diſſerit, & quod uno loco vocat mediam noctē, id poſtea explicat per ſextam noctis horā. Et ſic diem partitur Martialis Epigram. VIII. lib. IV. ubi primam horā ſalutantibus tribuit qui ſummo mane Patronos conveniebant.

Prima ſalutantes atque altera continet hora,
Exercet raucos tertia cauſidicos.
In quintam varios extendit Roma labores.
Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris,
Imperat exſtructos frangere nona thoros.
Hora libellorum decima eſt, Eupheme, meorum,
Temperat Ambroſias cum tua cura dapes.
Et bonus æthereo laxatur Nectare Cæſar,
Ingentique tenet pocula parca manu.
Tunc admitte jocos, greſſu timet ire licenti
Ad matutinum noſtra Thalia Iovem.

Optimè diem partitur Martialis: qui antemeridianis horis graviora ac magis publica munera: pomeridianis res privatas tractari dicit. Quod Romanos feciſſe Plutarchus auctor eſt. Loco antea citato.

ἢ καθάπερ ἡ μεσημβρία πέρας ἐστὶ τοῖς πολλοῖς τῶν τὰ δημόσια καὶ σπουδαῖα πράττειν· οὕτως ἀρχὴν ἔδοξε ποιεῖσθαι τὸ μεσονύκτιον, τεκμήριον δὲ τοῦτο μέγα, τὸ μὴ ποιεῖσθαι Ῥωμαῖον ἄρχοντα συνθήκας μηδὲ ὁμολογίας μετὰ μέσον ἡμέρας. *aut ſicut meridies terminus eſt multis earum rerũ quæ publice & diligenter adminiſtrari debent: Sic viſum quoq; fuit, initium facere noctis medium. Indicium vero hujus magnum eſt, quod Romanus Princeps neque fœdera, neque pacta poſt meridiem faciat.* Idem apud Gręcos obtinuiſſe ex diſticho iſto incerti auctoris colligere licet:

> Ἓξ ὧραι μόχθοις ἱκανώταται· αἱ δὲ μετ᾽ αὐτὰς
> Γράμμασι δεικνύμεναι ΖΗΘΙ λέγουσι βροτοῖς.
> *Sex horas juſto conſtat ſatis eſſe labori:*
> *Vivere ſed reliquæ grammate* Z H Θ I *docent.*

Z H Θ I, hoc eſt ſeptima, octava, nona, decima, in ſciatericis jubent à labore quieſcere: ſatis enim ſex horis antemeridianis fuit laboratum: nunc bene vivere, tibi ſequentes horæ dicunt, quod Z H Θ I denotat. Cicero Famil. lib. V I I. Epiſt. xxx. *In campo certe non fuiſti, cum horâ ſecundâ comitiis quæſtoriis inſtitutis ſella Q. Maximi quem illi Coſſ. eſſe dicebant poſita eſſet. Quo mortuo nunciato ſella ſublata eſt. Ille autem, qui comitiis tributis eſſet auſpicatus: centuriata habuit, conſulē hora ſeptima renunciavit, qui uſque ad Cal Ian. eſſet, quæ erant futuræ mane poſtridie. Ita Caninio Coſ. ſcito neminem prandiſſe. Nihil tamen eo Coſ. mali factum eſt. Fuit enim mirifica vigilantia, qui ſuo toto Conſulatu ſomnum non viderit.* Hora ſecunda hoc eſt ſeptima noſtra Coſſ. Maximi ſella poſita fuit: quo mortuo nunciato circa horam primam noſtram (hæc eſt ſeptima Romanorum) Caninius Coſ. renunciatur. Ergo eo tempore jam omnes pranſi erant. Nemo ergo Caninio Coſ. prandium ſumpſit. Quia verò conſul gravioribus occupatus negociis ante 12. noctis cubitum non iret, quo tempore Conſulatus ipſius finitus erat, (quandoquidem Calendæ Januarii, quo deſignati Coſſ. iſtis temporibus magiſtratum inire ſolebant, tum inciperent) toto igitur ſuo Conſulatu ſomnum non vidit. Plura in hanc ſententiam adduci poſſent, niſi res per ſe ipſa ſatis clara eſſet. Concludemus igitur: Romanos vulgo diem & noctem ita numerare; ut prima diei hora, oriente ſole eſſet; ultima occidente: eademque prima noctis. Et quamvis ſacerdotes, & alii, à media nocte diem inciperent, illud tamen de die 24. horarum ſive Civili, eſſe intelligendum. Quando enim diem ſumebant quatenus à nocte diſtinguitur, ſemper illam à matutina hora auſpicabantur, ut ex Plinii teſtimonio antea laudato manifeſtum fit. Hæc nobis cum bono Deo in ſequentibus magno uſui erunt. Atq; ita diē ratione terminorum conſideravimus. Partes verò in quas dies diſtinguitur, ſunt variæ.

variæ. Prima distinctio Νυχθημέρου est: in diem proprie dictum & noctem; Dies est spacium illud quo Sol supra horizontem versatur: nox vero, quo idem latet. Atque hinc nata distinctio diei naturalis & artificialis seu civilis: in quo ita differunt scriptores, ut quem unus naturalem vocat is alteri sit artificialis. Illustr. Scaliger. de emendatione Temp. lib. 1. cap. de dieb. diem 24. horarum pro diverso respectu & Naturalem & Civilem vocari posse existimat. *Nam*, inquit, *illud intervallum quatenus viginti quatuor horarum est, naturale est: quatenus aliud atque aliud initium habet, dicitur Civile.* Et bene quidem illud, si antiquorum mentem explicaret: qui aliter hac voce usi sunt. Nos omnino sequimur optimum scriptorem Censorinum, qui cap. XXIII. ita scribit. *Naturalis dies est, tempus ab oriente Sole ad Solis occasum: cujus contrarium tempus est nox, ab occasu Solis usque ad exortum. Civilis autem dies vocatur tempus, quod fit uno cœli circumactu: quo dies verus & nox continetur: ut cum dicimus aliquem dies triginta tantum vixisse: relinquitur enim etiam noctes intelligere.* Diem vero naturalem varie distinxerunt Antiqui. Græci quidem in tres partes: Achilles apud Homerum Iliad φ.

> Ἀλλ' ἔπι τοι καὶ ἐμοὶ θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή
> Ἔσσεται ἢ ἠὼς ἢ δείλη ἢ μέσον ἦμαρ.
> *Sed post te & mihi Mors & fatum violentum*
> *Erit vel aurora, vel crepusculum vespertinum, vel meridies.*

Æschines oratione contra Ctesiphontem: Εἰς τρία μέρη διαιρεῖται ἡ ἡμέρα, ὅταν εἰσίῃ γραφὴ παρανόμων εἰς τὸ δικαστήριον. Ἐγχεῖται γὰρ τὸ μὲν πρῶτον ὕδωρ τῷ κατηγόρῳ καὶ τοῖς νόμοις καὶ τῇ δημοκρατίᾳ. Τὸ δὲ δεύτερον ὕδωρ τῷ τὴν γραφὴν φεύγοντι καὶ τοῖς εἰς αὐτὸ τὸ πρᾶγμα λέγουσιν. Ἐπειδὰν δὲ τῇ πρώτῃ ψήφῳ μὴ λυθῇ, τὸ τρίτον ὕδωρ ἐγχεῖται τῇ τιμήσει καὶ τῷ μεγέθει τῆς ὀργῆς τῆς ὑμετέρας. *In tres partes distribuitur dies; cum violatarũ legum actio proponitur. Nam prima aqua accusatori & legibus infunditur, ac libertati: secunda aqua reo, & iis qui in rem dicturi sunt. Quod si primo suffragio non soluta fuerit legum violatio: jam tertia aqua infunditur, æstimationi mulctæ, & magnitudini vestræ iracundiæ.* Et hæc tempora variis actionibus Poëtæ Græci notarunt. Apud Homerum tempus antemeridianum juri dicundo tribuitur: medius dies prandio. Quod tempus ita describit Odyss. μ.

> -- Ἦμος δ' ἐπὶ δόρπον ἀνὴρ ἀγορῆθεν ἀνέστη,
> Κρίνων νείκεα πολλὰ δικαζομένων αἰζηῶν.
> *Tunc ad prandium vir à foro venit*
> *Iudicans lites multas litigantium juvenum.*

Sic idem alibi tempus meridianum describit, ὅταν δρυτόμος ἀνὴρ δόρπον
ὁπλίσ-

ἐπλίσσατο, *quando vir quercifeca prandium instruit*. Apud antiquos tria cibi sumendi tempora erant. Jentaculum, cœna, prandium. Palamedes apud Æschylum, citante Athenæo, σῖτον δ' εἰδέναι διώρισα. Ἄριστα, δεῖπνα, δόρπα θ' αἱρεῖσθαι τρίτα. *Et quando cibum capiant præfinivi. jentaculum cœnam, prandium sumant tertium.* Philemon apud Athenæum lib. 1. dicit, ὅτι τροφαῖς ἐχρῶντο οἱ παλαιοὶ, ἀκρατίσματι, ἀρίστῳ, ἑσπερίσματι δείπνῳ, *quod antiqui usi fuerint cibis, jentaculo, prandio, cœna vespertina.* Ubi ἀκράτισμα vocat, πρωϊνὸν ἔμβρωμα cibum matutinum, διὰ τὸ ἐν ἀκράτῳ βρέχειν καὶ προσίεσθαι ψωμούς. *Quia buccellas comedebant mero tinctas.* Ibidem: τὸ μὲν οὖν ἀκρατισμὸν διανηστισμὸν ἔλεγον, τὸ δ' ἄριστον δορπηστὸν, τὸ δὲ δεῖπνον ἐπιδορπίδα. *Ientaculum igitur dicebant, quod jejunis dabatur*, &c. Sic Βουλυτὸς tempus vespertinum erat. Quo juga bobus demerentur. Tempus pomeridianum vocatur Δείλη, quod eo tempore δείλη sive δειλινὸν sumeretur. Homerus Odyss.11. Σὺ δ' ἔρχεο δειελιήσας. Ad quem locum ita scribit Athenæus Dipnosophist. 1. τῆς δὲ τετάρτης τροφῆς οὕτως Ὅμηρος μέμνηται. Σὺ δ' ἔρχεο δειελιήσας. ὃ καλοῦσί τινες δειλινὸν, ὅ ἐστι μεταξὺ τοῦ ὑφ' ὑμῶν λεγομένου ἀρίστου καὶ δείπνου. *Quarti vero Cibi meminit Homerus hoc modo: Tu vero ad merendam venito. Quod tempus quidam* δειλινὸν *vocarunt quod est inter prandium & cœnam* &c. In glossario veter. δείλη de meridiano tempore exponitur. Δείλης *Meridie*. Δειλινὸν *meridie*. Sic ibidem, δειλινὴ *Merenda*. Quod antiquo more dictum existimaverim. Veteres enim prandium quod medio die caperetur merendam dicebant, ut est apud Festum. Videtur ergo vox illa non exactum quoddam tempus denotasse: sed totum illud quod est à meridie ad noctem. Sic idem Gloss. δείλη πρὸς ἑσπέραν *Crepusculum* exponit. Pollux περὶ μερῶν ἡμέρας. Μέρη δὲ ἡμέρας .... πρωΐ, ... μεσούσης ἡμέρας ..... δείλης, δείλης ὀψίας, καὶ μεσημβρινοῦ καιροῦ, καὶ δειλινοῦ καιροῦ. Huc pertinet partitio diei, ante ex Homero citata. Ἠὼς, ἢ δείλη, ἢ μέσον ἦμαρ, *mane, aut vespera, aut medius dies.* Sic Romani antiqui diem diviserunt in tempus antemeridianum, meridiem, & pomeridianum. Censor. cap. x. *Nam in* XII. *Tabulis nusquam nominatas horas invenies ut in aliis postea legibus, sed, ante meridiem, eo videlicet quod partes diei, bifariam tum divisi meridies discernebat.* Plin. lib. VII. cap. 9. XII *Tabulis ortus tantum & occasus nominatur. Post aliquot annos adjectus est & meridies, accenso Consulum id pronunciante.* Postea horarum beneficio diem accuratius distinxerunt; posteaquam Horologia Romam fuerant perducta. Qualis vero prima diei in Horas distinctio fuerit: non satis convenit. Opinantur vulgo, diem ab Orientalibus hominibus in partes 24. fuisse tributam. adeoque diem naturalem in partes 12, & noctem in totidem. Quod ipsum

ipsum confirmare videtur *Macrobius* Saturnal. I. cap. XXI. *Apud eosdem Apollo, qui est Sol, Horus vocatur: ex quo & Horæ viginti quatuor, quibus dies noxque conficitur, nomen acceperunt.* Ego vero existimo, primam atque antiquissimam diei civilis partitionem, fuisse in partes 12. Ita enim Herodot. lib II. πόλον μὲν γὰρ καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δυώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρης παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες. *Polum & Gnomonem & duodecim partes diei à Babyloniis didicerunt Græci.* Sed quoniam hæc paulo obscurius dicta sunt, addemus alium locum. *Galenus lib. de cujuscunque animi peccatorũ notitia & medela,* cap. V. causas dat cur diem in partes duodecim diviserint. Ἀλλὰ τοῦτον μὲν τὸν ἀριθμὸν inquit ὡς χρησιμώτατον προείλοντο. Καὶ γὰρ ἥμισυ ἔχει καὶ δίμοιρον καὶ τέταρτον, ἕκτον τε καὶ δωδέκατον, ἃ οὐδεὶς ἄλλος ἔχει μετ' αὐτὸν ἄχρι τοῦ εἰκοστοῦ τετάρτου. Τοῦτο μὲν ὡς σμικρὸν παραιτησάμενοι, σύμμετρον δ' εἶναι κρίναντες τὸν δωδέκατον, εἰς τοσαῦτα μέρη τὸν χρόνον τὸν ὅλον διέτεμον. Ὅτι δὲ χρήσιμόν ἐστι τῇ τοιαύτῃ τομῇ τῇ πείρᾳ βασανίσαντες, αὐτῇ ἄλλοι τε πολλοὶ καὶ Ῥωμαῖοι χρῶνται, τὴν οὐσίαν ἅπασαν, ὅταν διατίθωνται, εἰς δώδεκα μέρη διαιροῦντες, καὶ τῶν ἐν τῷ βίῳ σταθμῶν τε καὶ μέτρων εἰς δώδεκα μοίρας τέμνονται τὰ πλεῖστα. *Porro numerum hunc tanquam omnium utilissimum delegerunt. dimidium enim continet & duplum & quartum & sextum & duodecimum; quæ nullus alius post ipsum numerus usque ad vigesimum quartum continere videtur. Hunc sanè tanquam exiguum repudiarunt, & duodenarium numerum convenientiorem judicantes, in tot particulas totius tempus diviserunt. Hanc autem partitionem ex usu esse, alii multi & Romani ipsi experientia cõprobantes atq; utentes ostendunt: siquidem hæreditatem omnem cum testamentum condunt in duodecim portiones distribuunt; & ponderum ac mensurarum, quibus in vita opus est, plurimas in duodecim partes dividunt.* Et adhuc clarius Epiphanius Hæres. l. II. quæ est Alogorum. Προστιθέασι γὰρ τῷ σεληνιακῷ δρόμῳ . . . καὶ ἄλλας κατ' ἔτος τέσσαρας ὥρας: ὡς εἶναι εἰς τὰ τρία ἔτη ἡμέραν μίαν. *Apponunt enim cursui lunæ etiã alias, per annũ, quatuor horas, ut sit in tres annos una hora.* Et rursũ, διὰ τὸ ἀφαιρεῖσθαι ἀπὸ τοῦ ἡλιακοῦ δρόμου τῶν τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε ἡμερῶν καὶ ὡρῶν τριῶν· *eo quod auferant à Solari cursu dierũ trecentorũ sexaginta quinq; & horararum triũ, &c.* Vides horas tres Epiphanii æquales esse sex nostris, & 12. diem unũ civilem facere. Quod ipsum hæresi, Marcosior. sive XXXIV. num. XIV. & XIV. Basilianor. sive XXIV. num VII. confirmat. Sed de hoc loco in sequentib. volente Deo accuratius disputabimus: ubi de anno Judaico erit dicendum. Et hæc quidem ratio diei dividendi, cum cœlo ipso convenit. Antiqui enim cum viderent, Lunam, interea dum Sol circulum suum absolvit, duodecies cum Sole conjungi, & ab eodem recedere: Circulum Solis in 12. partes diviserunt, quas Græci postea δωδεκατημόρια vocarunt. Et quod,

libet horum menſtruo ſpacio ſolem abſolvere crediderunt. Quoniam vero menſtruum ſpacium xxx. dierum erat: quo Luna curſum ſuum abſolvere videbatur: quodlibet dodecatemorium juxta dierum rationem in partes xxx. diviſerunt. Hinc circulus Solis in partes CCCLX. & poſt illum omnis Circulus diſpeſcitur. Partem quamlibet gradum vocabant, quod tantum diurno ſpacio Sol progrederetur. Juxta hanc rationem Lunæ itidem Circulus in partes 360. diviſus fuit: quem xxx. diebus juxta antiquos (nemo nunc à me Periodici motus accuratam rationem exigat, antiquis illis ignotam: qui ſenſuum judicio ſaltem ſtabant) abſolvebat. Quovis ergo die XII. gradus ſive partes conficit. Et ſanè tantum in 11. primis & 27. ſecundis &c. errarunt. (Si error dicendus eſſet, ubi minima obſervari nec poſſint nec debeant.) Cum igitur quovis die 12. gradus luna pergeret, diem in duodecim quoque partes diſtribuerunt. Nemo mihi nunc objiciat, demonſtrari non poſſe: ex cœlo hæc antiquos didiciſſe. Opponam his Platonem ſummum virum, de quo Julianus Imperator hymno in Solem ita loquitur. Οὐρανὸν φησὶ Πλάτων ἡμῖν γενέσθαι σοφίας διδάσκαλον. ἐνθένδε γὰρ ἀριθμοῦ κατενοήσαμεν φύσιν ἧς τὸ διάφορον οὐκ ἄλλως ἢ διὰ τῆς ἡλίου περιόδου κατενοήσαμεν. φησί τε καὶ αὐτὸς Πλάτων, ἡμέραν καὶ νύκτα πρότερον, εἶτα ἐκ τοῦ φωτὸς τῆς σελήνης, ὃ δίδοται τῇ θειοτάτῃ παρ' Ἡλίου μετὰ τοῦτο προήλθομεν ἐπὶ πλέον τῆς τοιαύτης συνέσεως, ἁπανταχοῦ τῆς πρὸς τὸν θεὸν τοῦτον στοχαζόμενοι συμφωνίας. *Cœlum dicit Plato nobis fuiſſe factum magiſtrum ſapientiæ, inde enim numeri naturam percepimus: cujus differentiam non aliter quam ex Solis periodo intelleximus. Addit idem Plato, prius diem & noctem, inde lumen Lunæ, quod à Solis divinitate fæneratur, (numerum nobis monſtraſſe.) tandem uberiorem hujus cognitionem adepti: undique illius cum hoc Deo concordiam deprehendimus.* Cum vero numerus hic adeo eſſet commodus, dies naturalis in duodecim quoque partes fuit diviſus, & nox in totidem. Et partes quidem hæ pro dierum ac noctium longitudine nunc longiores erant nunc breviores. Si enim ante quintam noſtram Sol oriretur, dies horarum æqualium erat quatuordecim, ſi ante quartam ſedecim: nox vero horarum decem aut octo. Et tamen ille idem dies in partes duodecim æquales tribuebatur, & nox in totidem. Habebat igitur quælibet hora diei, horam æquinoctialem unam cum minutis 10. aut 20. noctis vero hora quælibet erat ſcrupul. æquinoct. 50. aut 40. Et hac horarum ratione omnes antiqui uſi ſunt: prout ſcribitur in Seder Olam. וכל אחד ואחד מן הימים והלילות אשר אינם שוים נחלקים לדעת כל העולם ב"י בחלקים ווראין לכל חלק וחלק שעה עסולה להפריש ינה ובין חישרה *& omnes dies & noctes qui non ſunt æquales, dividuntur juxta totius mundi ſcientiam in partes*

partes duodecim, & quamlibet partem talem vocant horam æqualem, (inæqualem forte dicere volebat) *ad distinguendum inter illam & horam rectam.* Hisce horis Græci, hisce Romani usi sunt: quæ quidem, pro diversis poli elevationibus, majores fiunt aut minores: Æquinoctiali vero die per universum orbem conveniunt. Horas vero has umbra Gnomonis distinguebant, quam pedibus mensurabant. Unde ἑνδεκάπους σκιά, *umbra undecim pedum*: item εἴκοσι ποδῶν στοιχεῖον, *Index viginti pedum*, apud Athenæum tempus cœnæ est. Hinc voracissimus ille Philocrates, occasionem insignem nactus fuit, toto die comessandi: Suavissima sunt, hac de re, Eubuli Comici carmina: quæ ita restituimus, cum ἀμέτρως in editis legantur. Doctissimus Casaubonus, in Animadversionibus ad Athenæum, alio modo hos ipsos versus restituit. Sed nimis à verbis digreditur. Prima primi versus vox ab Athenæo omissa est, quam arbitror fuisse καὶ; & ita legendum:

Καὶ εἰσὶν ἡμῖν τῶν κεκλημένων δύο
Ἐπὶ δεῖπνον ἄμαχοι Φιλοκράτης καὶ Φιλοκράτης,
Ἕνα γὰρ ἐκεῖνον ὄντα, δύο λογίζομαι
Μεγάλους, μᾶλλον δὲ τρεῖς· ὃν μέν φασί ποτε
Παρακληθέντ' ἐπὶ δεῖπνον πρός φίλου τινὸς
Εἰπόντος αὐτῷ τοῦ φίλου, ὁπηνίκ' ἂν
Εἴκοσι ποδῶν μετροῦντι τὸ στοιχεῖον ᾖ,
Ἥκειν ἕωθεν αὐτὸν, εὐθὺς ἡλίου
Μετρεῖν ἀνέχοντος· μακροτέρας δ' οὔσης ἔτι
Πλὴν ἢ δυοῖν ποδοῖν παρεῖναι τῆς σκιᾶς·
Ἔπειτα φάναι, μικρὸν ὀψιαίτερον
Δι' ἀσχολίαν παρόνθ' ἥκειν ἅμ' ἡμέρᾳ.
Ἀσυμβόλου δείπνου γὰρ ὅστις ὑστερεῖ,
Τοῦτον ταχέως νόμιζε καὶ τάξιν λιπεῖν.

Sunt nobis hospitum duo super
Mensam invicti: Philocrates & Philocrates.
Unus namque cum sit: duos tamen reputo
Magnos, imo potius tres: quem dicunt,
Vocatum ad cœnam ab amico quodam
Dicente ipsi, tempus tum esse quando
Viginti pedum mensuranti gnomon foret,
Venisse mane (sole namque is,
Exoriente umbram metiebatur) adfuisseque
Cum binos pedes longior umbra esset:
Inde dixisse, se paulo tardius

Venisse propter occupationes summo mane.
Asymbolam namque quisquis negligit cœnam
Hunc celerrime ordines deserturum existima.

Præter hanc vero rationem horologia notis Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ζ. &c. signata erant; sicut, ex epigrammate superius laudato manifestum evadit: unde itidem Persius in Satyris,

Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.

Et quoniam horologia his signis notata erant, ipsa hora σημεῖον vocabatur. Julius Pollux lib. 1. cap. περὶ τῶν τῆς νυκτὸς μερῶν. *De partibus noctis.* ὥρα δὲ καὶ ἡμιώρειον σημεῖον ὡς Μένανδρος ὀνομάζεται παρὰ τοῖς παλαιοῖς. καὶ ἀπὸ σκιᾶς δὲ ἐδηλοῦτο οἷον δεκάπους ἡ σκιὰ καὶ ἑνδεκάπους. *Hora autem & semihora* σημεῖον *antiquis vocatur, ut apud Menandrum; & umbra indicabatur, sicut umbra decempedalis* &c. Usus igitur vocis σημείου antiquior esse videtur, quam ὥρας, quamvis & Plato diem in horas diviserit. lib. VI. de legib. καὶ ὁπόταν πρὸς τὸ τῆς Εἰλειθυίας ἱερὸν, ἑκάστης ἡμέρας ξυλλεγόμεναι μέχρι τρίτου μέρους ὥρας, *& ut quotidie tertia parte horæ in Lucinæ conveniant.* Nonbene ergo concludunt illi qui horarum usus antiquis negant, quia vox hora ipsis ignota fuerit; quod summis, etiam viris placuisse video. Si enim Astronomiæ cognitio tanta penes antiquos fuerit, quanta ab Josepho, & iis qui longe ante Josephum vixerunt, fuisse perhibetur: necesse est ut distinctio diei in horas cognita fuerit. Orpheus sane, vel ex ejus mente Onomacritus; de unigenito quodam (quem Isaacum vel potius Abraamum fuisse patet) hæc in pulcherrimo carmine περὶ Θεοῦ profert.

Οὐ γάρ κέν τις ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα
Εἰ μὴ μουνογενής τις ἀπορρὼξ φύλου ἄνωθεν
Χαλδαίων, ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείης
Καὶ σφαίρης κίνημ' ἀμφὶ χθόνα ὡς περιτέλλει.
Nemo enim unquam vidit mortalium hominum imperatorem
Nisi unigenitus quidam oriundus ex antiqua gente
Chaldæorum, sciens enim erat astri cursus
Et ut sphæra circum terram circumvolent.

Idem de Abrahamo testatur Berosus apud Josephum Orig. 1. cap. 8. μετὰ δὲ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ Χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνὴρ, μέγας καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος. *Post diluvium vero decima generatione quidam apud Chaldæos erat justus vir magnus, & sideralis scientiæ peritus.* Quod de Abrahamo explicat Josephus. Si igitur antiqui illi astronomiæ adeo gnari erant: unde ergo illam cognitionem erant indepti? Josephus testatur,

patres

patres antediluvianos binis colũnis, hanc ſcientiam mandaſſe. locus extlat lib 1 c. 3 de du bus columnis. Et hæc ego obſervationes fuiſſe arbitror tam noviluniorum quam Ecclipſeon.ſicut de Chaldæis idem habet Calliſthenes. At qua ratione hæc obſervari & perſcribi poſſent, niſi dies in partes fuiſſent diſtincti? Quid enim exinde commodi? ſi illo die Novilunium factum fuiſſe, hoc eſt lunam eſſe viſam ſcriberent? niſi una tempus diei annotaſſent. Certum igitur eſt diviſionem illam in horas antiquiſſimam eſſe. Sero tandem hujus uſus ad Græcos penetravit, & ſerius adhuc ad Romanos. Primum namque ſciathericum Papyrius Curſor in ædem Quirini intulit; primum in foro uſui vulgi deſtinatum, Catana Siciliæ capta, conſtituit M. Valerius Meſſala: ut eſt apud Plinium lib. VII. cap. IX. & Cenſorin. cap. XXIII. Inter omnia ſolaria ſive Horologia, eminebat illud quod ab Auguſto in Campo Martio collocatum fuiſſe, idem Plinius refert. lib. XXXVI. cap. X. *Ei obeliſco qui eſt in Campo Divus Auguſtus addidit mirabilem uſum ad deprehendendas ſolis umbras dierumque ac noctium magnitudines, ſtrato lapide ad obeliſci magnitudinem, cui par fieret umbra Romæ confecto die ſextâ horâ: paulatimque per regulas, quæ ſunt ex ære inciſæ, quomodo ſingulis diebus decreſceret ac rurſus augeſceret: digna cognitu res & ingenio fœcundo, &c.* Apud antiquos igitur uſus horarũ erat ſed inæqualium: quæ ex ſciathericis, ut dictum fuit, iſti uſui accommodatis, dignoſcebantur: quorum conſtructionem habes apud Athanaſium Kircherum Artis Magnæ lucis & umbræ, lib. IV. cap. II. probl. XIII. quem niſi pigeat conſulere poteris. Quoniam vero Sol non ſemper lumen ſubminiſtrabat nebulis nubibusque tectus: ne ignari temporis quaſi ſine die vagarentur, clepſydras antiqui adinvenerunt: in quibus aqua deſtillans tempus metiebatur, Cic. lib. II. de nat. Deorum. *Aut cum ſolarium, vel deſcriptum, aut ex aqua contemplare; intellige, declarari horas arte, non caſu.* Nec horæ ſolummodo, ſed integræ ſic dies menſurabantur. Harpocratio in Lexico. Διαμεμετρημένη ἡμέρα μέτρον τὶ ὕδατός ἐστι πρὸς μεμετρημένον ἡμέρας διάστημα ῥέον. *Dimenſa dies eſt menſura aquæ ad menſuratum diei ſpatium fluens.* Nox itidem his menſuratur apud Cæſarem lib. V. belli Gallici: *Nos nihil de eo percontationibus reperiebamus, niſi certis ex aqua menſuris breviores eſſe noctes quam in continenti videbamus.* Sic omnium fere actionum tempora ad clepſydram exigebantur: Ad Clepſydram Oratores dicebant. Scholiaſtes Ariſtophanis, ad illa verba in Acharnenſibus, περὶ κλεψύδραν πολλὰ δὴ συμπονήσαντα, ita commenatur: Ἡ κλεψύδρα ἀγγεῖον ἐστὶν ἔχον μικροτάτην ὀπὴν περὶ τὸ πυθμένα, ὅπως ἐν τῷ δικαστηρίῳ μεστὸν ὕδατος ἐτίθετο. πρὸς ὃ ἔλεγον οἱ

ῥήτορες. *Klepſydra vas eſt, minimum habens foramen in fundo, ad quod, plenum aqua in judicio poſitum, rhetores dicebant.* Hinc orta formula iſta, aqua hæret, & aquam perdere, ac ſimiles. Metiches quoque ſcortum amatoribus copiam ſui faciebat, donec aqua tota ex Clepſydra defluxerat. Athenæ. Deipnoſophiſt. lib. XIII. Εὐβούλου Κλεψύδρα, ἐπω δ' ἐκλήθη αὕτη ἡ ἑταίρα, ἐπειδὴ πρὸς Κλεψύδραν συνουσίαζεν ἕως κενωθῇ. *Eubuli Clepſydra, ſic autem nominabatur illa meretrix, quod ad clepſydram ſui copiam faceret, uſque dum evacuaretur.* Sic igitur partes diei menſurabant antiqui, & omnes ipſorum horæ, pro diverſitate dierum & noctium, inæquales erant. Qua vero ratione ad æquales ſive æquinoctiales perduci poſſent, equidem dicendũ eſſet: niſi inſtituti ratio aliò nos vocaret. Jam enim in his nimii fuimus. Hoc tamen adjungemus: Cognita diei alicujus quantitate (quod facillime ex data Solis declinatione & Poli elevatione ſcire poteris, ſicut in ſphæricis explicatur) horas illas quæ duodecim excedunt, in duodecim divide & habebis quæſitum. Sit verbi gratia alicubi maximus dies deprehenſus horarum 16. quatuor ergo horas reſiduas ſuper 12. in duodecim partes æquales diſtribue; & tum quælibet pars erit 20. min. quæ horis diurnis adde, nocturnis detrahe: & vice verſa, in die breviori & nocte longiori. Horas autem rurſum in partes minores ſexaginta diſtinxerunt Mathematici; ſicut etiam omne totum, propter commoditatem numeri iſtius: & quamvis ſexageſimam in alias ſexaginta, atque ſic in infinitum progrediuntur: Epiphanius hæreſi XXXIV. ex mente Marcoſiorum horam in XXX. partes dividit. καὶ τὴν ὥραν φασὶ τὸ δωδέκατον τῆς ἡμέρας ἐκ τριάκοντα μοιρῶν κεκοσμῆσθαι. dicunt quoque horam, diei duodecimam partem, XXX. partibus eſſe inſtructam. Judæi & alii Orientales, horam in partes 1080. diſpeſcunt: cujus numeri auctorem faciunt Iſaſcharem. R. Semuel apud Zachut in Juchaſin. fol. 40. כי יששכר עלה לרקיע והביא תת״רף חלקים quoniam Iſaſcar aſcendit in Cœlum & deduxit 1080. partes. Et has partes Aben Ezra ad caput XII. Exodi vocat חלקי ישראל *partes Iſraelis* &c. Atq; ſic quodlibet ſcrupulum Iudaicum continet tria ſcrupula ſecund. cum 20. Mathematicis. Has partes Rabbi Ada poſtea in minores diviſit, ut quævis milleſima octoageſima pars haberet minora ſcrupula 76. Vide de his Magnum Scaligerum, Canonum Iſagogicorum lib. tertio, in cap. V. &c. Modum vero convertendi ſcrupula Iudaica in Mathematica, & viceverſa, habes apud Scalig. de Emend. temporum lib. I. & Canonum Iſagogicarum lib. I. cap. I. ad finem: ubi tabulam integram hac de re conſtruxit. Nos, cum in hac diſſertatione non tanto uſui futura ſit: illam adſcribere noluimus. Id

dixiſſe

dixisse suffecerit; unum scrupul. primum, continere in se scrupul. Iudai. 18. Unum vero Iudaicum, scrupula secun. 3″ 20‴ Iuxta quam rationem, proportio institui facillime poterit.

Cap. IV.

Temporis duplex consideratio. Hebdomas Iudæorum: Christianorum. Ejus distinctio in dies, juxta ordinem dierum: juxta ordinē Planetarum ex mente Ægyptiorum. Hujus ordinis ratio redditur ex Harmonia Musica: quæ explicatur. Universum hoc, habet in se, ex mente antiquorum, proportionem τῆς διὰ πασῶν, vel juxta Macrobiū quater διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε. Alia ratio juxta numerationem horarum diei. Ogdoas sive Nundinæ Romanorum. Earum auctor. Diebus octo constabant, ut ex veteri Inscriptione probatur. Idem ex Macrobio aliisque confirmatur. Nundina Dea Romanorum. Mares nono, fœminæ octavo à nativitate die nomen accipiunt. Internundinum quid? Nundinæ an feriæ sint. De feriis, fastis, profestis, comitialibus diebus. An, & quid feriis agere Romanis antiquis licitum? Vera legis de sabbatho expositio. &c.

OMne tempus vel separatim consideratur vel conjunctim. Separatim quidem ut dies unus, annus unus: conjunctim verò ut plurium dierum mensium annorum systema. Hoc vel à naturâ monstratur vel ab arbitrio solummodo dependet. Priori modo triginta dierum systema mensis vocatur: quod illo fere tempore Luna vetus & nova fiat. Sic 12. mensium lunarium spacium annus vocatur: illo enim ferè tempore, Sol suum circulum absolvit. Quæ ex arbitrio dependent, varia sunt, apud varias gentes. Antiquissimum dierum systema & cum ipso quasi mundo natum, hebdomas est. Hanc enim ipse creator & instituit, & observari voluit: ut mortales, summi Principis Dei ter maximi, exemplum secuti, senis diebus operi vacarent, septimo quiescerent. Hujus igitur usus apud Iudæos semper fuit: sex enim diebus operabantur: septimus dies erat quies Iucunditatis ac hilaritatis Domino Quorum postea exemplum Christiani sequuti: sicut illi in memoriam creationis septimum diem, ita hi in memoriam

moriam reparationis, vitæ ac justificationis nobis per Christi Dei resurrectionem partæ, primum diem æternâ observatione sacrum esse voluerunt. Distinguuntur vero dies hi apud antiquos numero dierum, ut dies primus sit ille quem nos Solis vocamus, dies secundus Lunæ &c. sic Gen. 1. Fuit mane & vesperi יום ראשון die primo, secundo &c. & sic in commentariis Græcorum aliorumque: quos secuti computistæ Latini, vocarunt diem solis feriam primam, diem Lunæ feriam secundam, Martis feriam tertiam, & sic deinceps. Ægyptii vero, primi, ut videtur, à Planetis nomina diebus indiderunt. Cur vero hoc ordine Planetarũ nomina diebus applicuerint, causam dat Dio Coccejus Hist. Rom. lib. 37. ubi de Iudæorũ Sabbatho agit. Verba ipsius hac de re apposui, quę Xiphilinus Epitomator Dionis integre exscripsit. Τὸ δὲ δὴ ἐς τοὺς ἀστέρας τοὺς ἑπτὰ πλανήτας ὀνομασμένους, τὰς ἡμέρας ἀνακεῖσθαι, κατέστη μὲν ὑπ' Αἰγυπτίων, πάρεστι καὶ ἐπὶ πάντας ἀνθρώπους, οὐ πάλαι ποτὲ ὡς λόγῳ εἰπεῖν ἀρξάμενον. Οἱ γοῦν ἀρχαῖοι Ἕλληνες οὐδαμῇ αὐτό, ὅσα γ' ἐμὲ εἰδέναι, ἠπίσταντο. Ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ πάνυ νῦν τοῖς τε ἄλλοις ἅπασι καὶ αὐτοῖς καὶ τοῖς Ῥωμαίοις ἐπιχωριάζει, καὶ ἤδη καὶ τοῦτο σφίσι πάτριον τρόπον τινὰ ἐστί, βραχύ τι περὶ αὐτοῦ διαλεχθῆναι βούλομαι, πῶς τε καὶ τίνα τρόπον οὕτω τέτακται. Ἤκουσα δὲ δύο λόγους ἄλλως μὲν οὐ χαλεποὺς γνωσθῆναι, θεωρίας τινὸς ἐχομένους, εἰ γάρ τις τὴν ἁρμονίαν τὴν διὰ τεσσάρων καλουμένην, ἥπερ που καὶ τὸ κῦρος τῆς μουσικῆς συνέχειν πεπίστευται, καὶ ἐπὶ τοὺς ἀστέρας τούτους, ὑφ' ὧν ὁ πᾶς τοῦ οὐρανοῦ κόσμος διείληπται, κατὰ τὴν τάξιν, καθ' ἣν ἕκαστος αὐτῶν περιπορεύεται, ἐπαγάγοι, καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς ἔξω περιφορᾶς τῆς τῷ Κρόνῳ διδομένης, ἔπειτα διαλιπὼν δύο τὰς ἐχομένας, τὴν τῆς τετάρτης δεσπότην ὀνομάσειε, καὶ μετ' αὐτὴν δύο αὖ ἑτέρας ὑπερβὰς, ἐπὶ τὴν ἑβδόμην ἀφίκοιτο, καὶ τῷ αὐτῷ τούτῳ τρόπῳ αὐτάς τε ἐπανιὼν, καὶ τοὺς ἐφόρους σφῶν θεοὺς ἀνακυκλῶν ἐπιλέγοι ταῖς ἡμέραις, εὑρήσει πάσας αὐτὰς μουσικῶς πως τῇ τοῦ οὐρανοῦ διακοσμήσει προσηκούσας. Εἷς μὲν δὴ οὗτος λέγεται λόγος. *Quod autem dies ad septem sidera illa, quos Planetas appellarunt, referuntur, id ab Ægyptiis haud ita dudum, ut paucis dicam, institutum, ad omnes homines dimanavit. Nam priscis Græcis, quantum mihi constat, notus is mos non fuit. Et quandoquidem is nunc, & apud omnes homines ubique, & præsertim Romanos, usitatus est: paucis, qua ratione, & quo pacto ita institutus sit, differam: de quo duos sermones accepi, haud ita dissimiles cognitu, contemplationi tamen cuidam innitentes. Nam si quis Harmoniam illam, quæ diatessaron vocatur, quæ etiam in Musicâ primas obtinere creditur, etiam ad isthæc sidera, quibus omnis cœli ornatus constat, ita transferat, quemadmodum ordo conversionis uniuscujusque eorum exigit: factoque ab extremo ambitu, quem Saturno tribuunt initio, dein proximè sequentes duos motus prætereiens, ad septimam conversionem deveniat: atque hoc modo, diebus singulis, eorum inspectores gubernatoresque deos in orbem rediens deligat, assignetque:*

ii inve-

is inveniet omnes dies musicâ quadam ratione cœlesti administrationi congruere. Atque hæc prior fertur ratio. Hæc cum paulo obscuriora sint, explicanda erunt. Pythagoras, ut Macrobio placet, primus numerorum proportionem ad Musicam applicuit. *Ex omni autem innumera varietate numerorum* (verbis hæc potius Macrobii ex lib. II. in Somnium Scipionis cap. I. quam meis exponam) *pauci numerabiles inventi sunt, qui sibi ad conficiendam Musicam convenirent. Sunt autem hi sex omnes: Epitritus, hemiolius, duplaris, triplaris, quadruplus, & epogdous. Et est Epitritus, cum de duobus numeris major habet totum minorem & insuper ejus tertiam partem, ut sunt quatuor ad tria. Nam in quatuor sunt tria, & tertia pars trium, id est unum. Et is numerus vocatur epitritus: deque eo nascitur symphonia quæ appellatur* διὰ τεσσάρων. *Hemiolius est, cum de duobus numeris major habet totum minorem, & insuper ejus medietatem, ut sunt tria ad duo: nam in tribus sunt duo, & media pars eorum, id est unum. Ex hoc numero, qui hemiolius dicitur, nascitur symphonia quæ appellatur* διὰ πέντε. *Duplaris numerus est, cum de duobus numeris minor bis in majore numeratur, ut sunt quatuor ad duo: & ex hoc duplari numero nascitur symphonia, cui nomen est* διὰ πασῶν. *Triplaris autem, cum de duobus numeris minor ter in majore numeratur, ut sunt tria, ad unum; & ex hoc numero symphonia procedit, quæ dicitur* διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε. *Quadruplus est cum de duobus numeris minor quater in majore numeratur, ut sunt quatuor ad unum, qui numerus facit symphoniam, quam dicunt* δὶς διὰ πασῶν, &c. Vid. cap. ejusdem, secundũ, libri laudati. Concordantia igitur sive Harmonia διὰ τεσσάρων procedit ex epitrito, & est, ut tria ad quatuor. Ponantur nunc omnes sphæræ æquales, sibi invicem in circulo succedentes, ut primus sit Saturnus, inde Jupiter, tum Mars, postea Sol, Venus, Mercurius, Luna, rursum Saturnus, Jupiter, Mars, &c. Incipiat igitur aliquis numerare à Saturno, & huic unum diem tribuat: inde, quia vult harmoniam, τὸ διὰ τεσσάρων, sumat τὸ ἐπίτριτον sive illum qui post tertiũ est, hoc est quartũ: Solem nempe & huic sequentem tribuat. Rursum sumat ἐπίτριτον respectu Solis, Lunam: inde, ἐπίτριτον respectu Lunæ, Martem. Sic enim sequuntur se invicem Luna, Saturnus, Jupiter, sunt tres; sequitur quartus Mars, & est post tres illos; & proportio est διὰ τεσσάρων, quia est ut tria ad quatuor. Eodem modo Martem sequitur Mercurius, Mercurium Jupiter, Iovem Venus, & denique Venerem rursum excipit Saturnus. Nec tamen hoc modo, antiqui universum diviserunt. Cœlum enim & universum, harmonia constare dicebant, quæ dicitur διὰ πασῶν. Quæ ex duplari numero constat, & habet se ut quatuor ad duo. Achilles Tatius in Arat. τούτων δὲ τῶν διαστημάτων τῶν

φθόγγων ἀπὸ τῶν κατωτάτω τόπων μέχρι τοῦ ζωδιακοῦ τὸ διάστημα συμφωνίας τῆς παρὰ τοῖς μουσικοῖς λεγομένης διὰ πασῶν. *Horum vero Planetarum soni, ab infimis locis ad Zodiacum, habent differentiam illam quæ est Symphoniæ, apud Musicos dictæ* διὰ πασῶν. Macrobius tamen ad quater διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε progreditur. *Sunt igitur Symphoniæ quinque, id est,* διὰ τεσσάρων, διὰ πέντε, διὰ πασῶν, διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε, καὶ δὶς διαπασῶν. *Sed hic numerus Symphoniarum ad Musicam pertinet : quem vel flatus humanus intendere, vel capere potest humanus auditus. Vltra autem se tendit harmoniæ cælestis accessio, id est usque ad quater* διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε , vid. Platonis Timæum, & in eum locum commentatorem Macrobium, cap. 11. lib. 11. in Somnium Scipionis. Altera ratio simplicior videtur. Εἴπερ δὲ, inquit Dio loc. laud. ὧδε. Τὰς ὥρας τῆς ἡμέρας, καὶ τῆς νυκτὸς ἀπὸ τῆς πρώτης ἀρξάμενος ἀριθμεῖν, καὶ ἐκείνην μὲν τῷ Κρόνῳ διδοὺς, τὴν δ' ἔπειτα τῷ Διῒ, καὶ τρίτην Ἄρει, τετάρτην Ἡλίῳ, πέμπτην Ἀφροδίτῃ, ἕκτην Ἑρμῇ, καὶ ἑβδόμην Σελήνῃ; κατὰ τὴν τάξιν τῶν κύκλων καθ' ἣν Αἰγύπτιοι τοιαύτην νομίζουσι, καὶ τοῦτο καὶ αὖθις ποιήσας, πάσας γὰρ οὕτω τὰς τέσσαρας καὶ εἴκοσι ὥρας περιελθὼν εὑρήσεις τὴν πρώτην τῆς ἐπιούσης ὥραν ἐς τὸν ἥλιον ἀφικνουμένην, καὶ τοῦτο καὶ ἐπ' ἐκείνων τῶν τεσσάρων καὶ εἴκοσιν ὡρῶν κατὰ τὸν αὐτὸν τοῖς πρόσθεν λόγον πράξας τῇ σελήνῃ τὴν πρώτην τῆς τρίτης ἡμέρας ὥραν ἀναθήσεις, καὶ οὕτω καὶ διὰ τῶν λοιπῶν πορεύσῃ, τὸν προσήκοντα ἑαυτῇ Θεὸν ἑκάστη ἡμέρα λήψεται. *Altera hæc est. Horas tam noctis quam diei numera à prima incipiens: eamque Saturno tribue: sequentem Iovi : tertiam Marti, quartam Soli, quintam Veneri, Mercurio sextam, septimam Lunæ. secundum ordinem orbiũ, quem eo, quo perhibui modo, Ægyptii tradunt. Hocque aliquoties facto ubi per viginti quatuor horas circumiveris, primam subsequentis diei horam invenies Soli obtingere. Iam si hujus quoque diei horas viginti quatuor eodem modo tractes, ad Lunam referes primam tertiæ diei horam : sique eodem modo reliquos etiam dies percurreris, quævis dies sibi congruentem Deum accipiet.* Quævis hora diei habet sibi præsidentem Planetam quendam : toti vero diei is præest, qui primæ horæ dominium obtinet, & ex eo dies etiam denominationem habet. Ut vero hæc melius percipi possent; adjunximus tabellam, in qua, primum septem Planetæ notantur : inde horæ subscribuntur juxta ordinem, & 1. hora. monstrat in summo lineæ, quis illi horæ præsit, totique diei nomen det.

Satur.	Iupit.	Mars.	Sol.	Ven.	Merc.	Luna.
1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.
8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.
15.	16.	17.	18.	19.	20.	21.
22.	23.	24.	1.	2.	3.	4.
5.	6.	7.	8	9.	10.	11.
12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.
19.	20.	21.	22.	23.	24.	1.
2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.
9.	10.	11.	12.	13.	14.	15.
16.	17.	18.	19.	20.	21.	22.
23.	24.	1.	2.	3.	4.	5.
6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.
13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
20.	21.	22.	23.	24.	1.	2.
3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.
17.	18.	19.	20.	21.	22.	23.
24.	1.	2.	3.	4.	5.	6.
7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.
14.	15.	16.	17.	18.	19.	20.
21.	22.	23.	24.	1.	2.	3.
4.	5.	6.	7.	8.	9.	10.
11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.
18.	19.	20.	21.	22.	23.	24.

Hæc ergo dierum hebdomadis ratio est: quæ quidem ut ex Dione vidimus, temporibus Commodi, etiã Romanis in usu fuit. Antiqui tamen Romani: non hebdomade, sed ogdoade, videntur fuisse usi: adeoque nonus quisq; dies festus erat apud antiquos, inde nundinæ dicuntur. Constitutionem harum Romulo tribuit Dionysius Halicarnasseus. lib. II. Ἀλλὰ τοῖς αὐτοῖς τόν τε πολεμικὸν καὶ τὸν γεωργικὸν ἔταξε βίον. Εἰ μὲν εἰρήνην ἄγοιεν, ἐπὶ τοῖς κατ᾽ ἀγρὸν ἔργοις ἐθίζων ἅπαντας μένειν, πλὴν εἴ ποτε δεηθεῖεν ἀγορᾶς. τότε δ᾽ εἰς ἄστυ συνιόντας, ἀγοράζειν, ἐνάτην ὁρίζων ἡμέραν τῆς ἀγορᾶς. *Sed iisdem tam bellica, quam rustica injunxit munia; in pace omneis assvefaciens: ut ruri manentes incumberent operi, nisi si quando mercatu opus esset: tunc enim in urbem iri posse, ac emi emenda, non quaque die nundinis assignata.* Et hanc rationem ad tempora usque Augusti durasse, idem lib. VII. testatur. Αἱ δὲ ἀγοραὶ Ῥωμαίοις ἐγίνοντο ὡς καὶ μέχρι τῶν καθ᾽ ἡμᾶς χρόνων δι᾽ ἡμέρας ἐνάτης. Ἐν δὲ ταύταις συνιόντες ἐκ τῶν ἀγρῶν οἱ δημοτικοὶ εἰς τὴν πόλιν, τάς τε ἀμείψεις ἐποιοῦντο τῶν ὠνίων, καὶ τὰς δίκας παρ᾽ ἀλλήλων ἐλάμβανον, τά τε κοινά, ὅσων ἦσαν κύριοι, κατὰ τοὺς νόμους, καὶ ὅσα ἡ βουλὴ ἐπιτρέψειεν αὐτοῖς, ψῆφον ἀναλαμβάνοντες, ἐπεκύρουν. Τὰς δὲ μεταξὺ τῶν ἀγορῶν ἑπτὰ ἡμέρας, αὐτουργοί τε ὄντες οἱ πολλοὶ καὶ πένητες, ἐν τοῖς ἀγροῖς διέτριβον. *Nundinæ autem Romæ fiunt, sicut ad nostra usque tempora continuatum est, nono quoque die. Is plebs agrestis in urbem confluebat, venaliaque permutabat, & jure inter se agebat, & suffragia ferebat de negociis publicis, de quibus leges ipsi arbitrium mitterent, vel senatus ad eam referret. Reliquis septem diebus intermediis ruri degebat, quod magna pars ob paupertatem operaretur manibus.*

nibus. Nundinæ ergo Romanæ, temporibus Dionysii, qui sub Augusto floruit & scripsit, in usu fuerunt: quibus post septem dierum labores plebs feriebatur. Unde manifestum nundinas vocatas fuisse, quæ nono quoque die recurrerent: adeoque vere, ogdoas totum systema fuerit; in quo septem dies labori dicati erant, octavus ocio. Atque hanc dierum divisionem, etiam confirmat Hemerologium Augusti, quod, Romæ, ante aliquot annos, effossum est. Illic enim dies Ogdoadis notantur literis A. B. C. D. E. F G. H. quæ rursum de novo incipiunt, & sic per totum vagantur annum. Hemerologii illius saxo inscripti mensem unum subjunximns.

A.	KAL. IAN. F.	
B.	F.	
C.	C.	
D.	C.	
E.	NON. F.	
F.	F.	
G.	C.	
H.	C	
A.	AGON.	
B.	EN.	
C.	CAR. AP.	
D.	C.	
E.	EID. AP.	
F.	EN. DIES VITIOS.	
G.	CAR.	Ex. S. C.
H.	C.	
A.	C.	
B.	C.	
C.	C.	
D	C.	
E.	C.	
F.	C.	
G.	C.	
H.	C.	
A.	C.	
B.	C.	
C.	C.	
D.	C.	
E.	F.	
F.	N.	
G.	C.	
XXXI.		

Sed inter omnes optimè de nundinis disputat Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. XVI. *Harum* Nundinarum *originem quidam Romulo assignant, quem communicato regno cum T. Tatio, sacrificiis & sodalitatibus institutis nundinas quoque adjecisse commemorant: sicut Tuditanus affirmat. Sed Cassius Servilius Tullium fecisse Nundinas dicit: ut in urbem ex agris convenirent, urbanas rusticasque res ordinaturi. Geminius ait diem nundinarum, exactis jam regibus capisse celebrari: quia plerique de plebe, repetita Ser. Tullii memoria, parentarent ei nundinis: cui rei etiam Varro consentit. Rutilius scribit Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent: nono autem die, intermisso rure, ad mercatum legesque accipiendas, Romam venirent*. Octo diebus; hoc est, si priores nundinæ una comprehendantur: alias septem saltem dies fuere inter duas nundinas, ut ex Dionysio observavimus: quod idem sequentia Macrob. verba confirmant. *Est etiam Nundina Romanorum Dea, à nono die nascentium nuncupata, qui lustricus dicitur. Est autem lustricus dies quo infantes lustrantur, & nomen accipiunt: sed is maribus nonus, octavus est fœminis*. Quis negabit

nonum

nonum diem nativitatis numerari: non illum qui à die natali nonus eſt, is enim ipſius nativitatis decimus foret: ſed octavum? Sit enim Titius Calendis hoc eſt primo die Februarii natus: V. Eidus Februa. ſive IX. dies erit ipſi luſtricus. At inter primum & nonum ſeptem ſaltem dies ſunt. Confirmant hoc idem, Varro in præfatione lib II. *Itaque annum ita diviſerunt ut nonis modo diebus urbanas res uſurparent: reliquis ſeptem ut rura colerent*, & Columella lib. I. in præfat. *Nundinarum etiam conventus, manifeſtum eſt propterea uſurpatos, ut nonis tantummodo diebus urbanæ res agerentur, reliquis adminiſtrarentur ruſticæ.* Miror igitur Antonium Silvium, cap. V. Commen. in leg. XII. Tabularum, novem dies integros nundinis tribuiſſe. Non igitur exacto nono, ſed incipiente, Nundinæ agebantur. Unde & Nundinæ quaſi Novendinæ dictæ ſunt. Plautus in Aulular. act. II. ſcen IV. *Cocus ille Novendinalis eſt; in nonum diem ſolet ire coctum.* Explicat, quid ſit novendinalis cocus, qui in *nonum diem*, non exacto die, ſed in nonum diem, *ſolet ire coctum*. Spacium vero ſeptem dierum, internundinum vocabatur: ut apud Macrobium Saturn. I. cap. XVI. *Ea re etiam candidatis uſus fuit, in comitium nundinis venire & in colle conſiſtere; unde coram poſſent ab univerſis videri. Sed hæc omnia negligentius haberi cæpta, & poſt abolita: poſtquam internundino etiam, ob multitudinem plebis, frequentes adeſſe cæperunt.* Quod autem principio dicebam, nonum quemque diem feſtum fuiſſe, id ex Dionyſi loco argui poſſet. Ἐν δὲ ταύταις συνιόντες ἐκ τῶν ἀγρῶν οἱ δημοτικοὶ εἰς τὴν πόλιν, τάς τε ἀμείψεις ἐποιοῦντο τῶν ὠνίων, καὶ τὰς δίκας παρ' ἀλλήλων ἐλάμβανον, τά τε κοινὰ ὅσων ἦσαν κύριοι, κατὰ τοὺς νόμους, καὶ ὅσα ἡ βουλὴ ἐπιτρέψειεν αὐτοῖς, ψῆφον ἀναλαμβάνοντες ἐπεκύρουν. *His plebs in urbem confluebat, & permutationem rerum venalium inſtituebat: & ſuffragia ferebat, de rebus quidem communibus, quarum domini erant, juxta leges: de aliis, quantum ſenatus ad eam referret.* &c. At verò hæc die feſto agere non licebat. Si enim Macrobio fides. Satur. I. cap. XVI. *Numa dies omnes aut feſtos, aut profeſtos, aut interciſos vocavit. Feſti Diis dicati ſunt. Profeſti hominibus, ob adminiſtrandam rem privatam publicamque conceſſi. Interciſi Deorum hominumque communes ſunt. Feſtis inſunt ſacrificia, epulæ, ludi, feriæ. Profeſtis, faſti, comitiales, comperendini, ſtati, præliares.* &c. Et cum *Faſti* dies *ſint quibus licet fari Prætori tria verba ſolemnia, do, dico, addico*. Inter faſtos igitur nundinæ erunt; quibus jus agreſtibus dicebatur. Imo ne faſti quidem erunt, quandoquidem *faſtis lege quidem agi poſſit, cum populo non poſſit*. At nundinis cum Populo perſæpe actum fuiſſe, antea demonſtravimus. Comitiales igitur erunt, quibus utrumq; licuit: adeoq; faſtis minus ſacri unde nec inter ferias cenſeri

 debent.

debent. Sed & cum nullum opus feriis facere licitum sit; nundinæ, quibus mercimonia maxime vigebant, à feriis merito excludi debent. Litem hanc dirimere videtur Cajus Licinianus lib. secund. ait enim *nundinas Iovis ferias esse: siquidem Flaminica omnibus nundinis in regia Iovi arietem soleat immolare: sed lege Hortensiâ effectum, ut fastæ essent, uti rustici, qui nundinandi causâ in urbem veniebant, lites componerent. Nefasto enim die Prætori fari non licebat.* Atque eapropter apud antiquos Romanæ religionis procuratores controversum erat, utrum ad ferias referri deberent nundinæ, nec ne. Titus enim de feriis scribens, Nundinarum dies non inter ferias retulit, sed tantum solemnes vocavit. Iulius quoque Modestus affirmat, Messala Augure consulente Pontifices, an Nundinarum Nonarumque dies feriis tenerentur, respondisse eos, nundinas sibi ferias non videri. Et Trebatius in libro primo religionum ait, nundinis magistratum posse manumittere, judiciaque adjicere. Sed contra Iulius Cæsar decimo sexto Auspiciorum libro negat, nundinis concionem advocari posse; id est cum populo agi: ideoque nundinis Romanorum, haberi comitia non posse. Cornelius etiam Labeo, primo Fastorum libro, nundinas ferias esse pronunciat. Hæc Macrobius Saturn. I. cap. XVI. Atque sic quidem Romani, natura duce, summi creatoris exemplum sunt sequuti. Is enim, posteaquam senis diebus totius mundi creationem absolvisset, septimo demum quievit, eundemque sanctificavit; mortales suo docens exemplo, requiem aliquando laborum, non optandam modo esse, sed etiam quærendam. Unde & postea, de septimi diei quiete, legem populo suo dedit, ut esset quo homines jumentaque se reficerent: cujus legis tam rigidus custos exstitit, ut reum morte plecti jusserit. Non ergo mirum est, si Iudæi tam rigide Sabbathum observent, ut ne quidem ignem attingere ausint, quamvis illis id necessitas suadeat; quod præsente me aliquando Iudæo obtigit. Cum enim, structo è cespite, ad Belgarum institutum, foco, adsideremus; contigit fortè incensum cespitem in tabulatum decidere: hunc miserrimus ne attingere quidem ullo modo ausus fuit, Hospitam tantum inclamabat. Et hæc tam rigida Sabbathi observatio, maximorum sæpe incommodorum causa exstitit. Etenim hanc propter in Pompeji potestatē venere: propter quā antea gravem etiam Dominum Ptolomæū Lagi acceperant, quod notat Agatarchides apud Ioseph. Originum l. XII. c. I. Ἔστιν ἔθνος Ἰουδαίων λεγόμενον, οἳ πόλιν ὀχυρὰν καὶ μεγάλην ἔχοντες Ἱεροσόλυμα, ταύτην ὑπερεῖδον ὑπὸ Πτολεμαίῳ γενομένην ὅπλα λαβεῖν οὐ θελήσαντες, ἀλλὰ διὰ τὴν ἄκαιρον δεισιδαιμονίαν χαλεπὸν ὑπέμειναν ἔχειν

δεσπό-

δεσπότην. Romani quidem non ita obstricti erant: Credebant tamen ferias pollui, si opus die festo ageretur. Quid vero festo die agere licuerit, & quid non, optime expressit Macrobius, loco sæpius laudato: *Affirmabant autem sacerdotes pollui ferias, si indictis conceptisque opus aliquod fieret. Præterea Regem sacrorum Flaminesque non licebat videre feriis opus fieri. Et ideo per præconem denuntiabant ne quid tale ageretur: & præcepti negligens multabatur. Præter multam vero affirmabant, eum qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum dare debere: prudentem expiare non posse, Scævola Pontifex asseverabat. Sed Umbro negat eum pollui qui opus vel ad Deos pertinens sacrorúmve causa fecisset: vel aliquid ad urgentem vitæ utilitatem respiciens actitasset. Scævola denique consultus, quid feriis agi liceret: respondit, quod prætermissum noceret. Quapropter si bos in specum decidisset, eumque Paterfamilias adhibitis operis liberasset, non est visus ferias polluisse: nec ille, qui trabem tecti fractam fulciendo ab imminenti vindicavit ruina. Unde & Maro omnium disciplinarum peritus, sciens lavari ovem, aut lanæ purgandæ, aut scabiei curandæ gratia, pronunciavit, tunc ovem per ferias licere mersari, si hoc remedii causa fieret.*

Balantumque gregem fluvio mersare salubri &c.

Adjiciendo enim salubri, ostendit avertendi morbi gratia tantummodo, non etiam ob lucrum purgandæ lanæ causa fieri concessum. Et sane, quamquam cibos Sabbatho parare, Judæis lege vetitum fuerat: bovem tamen è fossa Sabbatho educere, pro piaculo non habebatur, cum neque uspiam disertis in scripturâ verbis prohibeatur. Unde & Christus, Judæis, propter sanatum Sabbatho hydropicum, infensis, hoc idem objicit: quod minimè fecisset, nisi tum Iudæis hoc in more fuisset. Unde manifesta fit hodiernorum sycophantia, qui nihil tale Sabbatho committi volunt; non bovem solummodo aut equum, sed & hominem forte, deserturi si Sabbatho vitæ periculum adiret. Sed mittamus istos cum sua devotione: nobis suavissimi servatoris IESU Christi vox certiorem legis de Sabbatho expositionem dabit: qui ita hanc exponit, *quod bonum Sabbatho facere liceat.* Miserum nempe hominem à morbo liberare: ad quod & nobis exemplo suo præivit. Qua autem ratione Sabbathum, sive quies septimi diei in primum hebdomadis translata sit, non hujus loci est dicere. Antiquam sanè Ecclesiam, utrumque diem, paulo solemniori ritu sacrum habuisse, ex Patrum scriptis colligi videtur. sed de his alibi, Deo volente. Quibus vero nominibus ferias hebdomadarum Turcæ ac Persæ distinguant; de iis vide Illustriss. Scaligerum, de emend. lib. 1. &c. ut & de indigenarum Indiæ Occidentalis Triscæ decade. Hæc de diebus in genere, quo-

quorum quivis, uno terræ aut primi mobilis circumgyratione, absolvitur: nunc ad motum secundum digredimur.

CAP. V.

Motus secundus quid? & quotuplex? de motu fixorum, ut & trium superiorum Planetarum. Copernici inventum, pro demonstrando φαινομένῳ Martis. Tychonis Brahæi hypothesis melior. Anni Planetarum juxta antiquos. Achilles Tatius emendatus. Anni eorundem juxta recentiores. Solis & Lunæ motus, in temporibus præcipue observantur. Sol idem qui Liber: & Luna Ceres. Motus Solis accuratius exponitur. De Perigeo & Apogeo: ut & Eccentricitate Solis. Lunæ motus Periodicus & Synodicus: quorum hic saltim in tempore dimetiendo locum habet. Tabulæ, mediorum motuum Solis & Lunæ, Periodo Iulianæ, applicatæ. Usus earum.

MOtus secundus est, quo sphæræ, juxta antiquos, vel stellæ omnes, tam fixæ, quam errantes, proprio motu, ab occasu versus ortum tendunt. Hic quamvis varius esse possit: ad octo tamen classes generales commode reduci videtur. Omnes enim stellæ quæ in extimo cœlo hærent, junctim, ac uno quasi motu ab ortu versus occasum feruntur. Hic motus, quia tardissimus est, ab antiquis observatus non fuit. Primus Hipparchus motum aliquem fixis attribuit; quod postea confirmavit Ptolomæus. Quanto vero tempore, unum, in circulo suo, gradum absolvant, non tam accurate ab antiquis definitum est: Recentiores autem, ex accuratissima observationum collatione tam antiquorum quam recentiorum Astronomorum, deprehenderunt, fixas, uno anno æquali, juxta medium motum, non ultra promoveri, quam 49″ secundis 45‴ tertiis: adeoque, in annis 72¼ unum gradum absolvere. Vide quæ de his accuratissime disputat Clarissimus Longomontanus lib. Theori 1. cap. 1. Comment. 111. sive de stellis fixis.

Proximus, has, longo, sed proximus, intervallo
Saturnus sequitur.

quem Iupiter excipit: & hunc Mars. Et hi tres uno ferè eodemque modo

modo moventur, circulos ſaltem ſuos diſſimilibus temporum ſpaciis abſolvunt. Quod enim Mars biennio, id Iupiter XII. Saturnus XXX. ferè annis, efficiunt. Quæſitum fuit, cur, cum Sole ſuperior Mars ſit: terris tamen interdum propior appareat? quod ipſum Jovi quoque aliquando contingere videtur. Dedit hoc cauſam Copernico, Aſtronomo eminentiſſimo, Solis & terræ loca immutandi. Illo namque ad centrum univerſi hærere juſſo, terram in Ecliptica circa ſolem circumrotavit. Propter quam cauſam, Mars nunc propior, nunc remotior videbatur: quod Schemate quidem rectius demonſtrari poterat: ſi Aſtronomica tractare animus eſſet. Et ingenioſa quidem fuit hæc revolutio; quæ ab omnibus jure admitti debebat, ni ſymmetriam pulcherrimi hujus univerſi planè tolleret: de quo capite ſecundo dictum fuit. Melioribus igitur auſpiciis ac ſucceſſu, æternum ſeculi ac Patriæ ſuæ decus Tycho Brahe Ottonides Nobilis Danus, Aſtronomicarum rerum, ſi quis unquam, longè peritiſſimus, aliam introduxit Hypotheſin: in qua ſitum Planetarum ex mente Ægyptiorum retinet: centra ſaltem circulorum in quibus moventur immutavit. Nam cum ex antiquorum doctrinâ, omnium ſphærarum commune punctum terra eſſet, circa quam omnium centra invenirentur: hic primus ita rem ordinavit, ut Sol quidem & Luna, & ſtellæ fixæ Centra ſua circa terram haberent: reliqui Planetæ omnes Solem mundi oculum, Planetarum omnium regem, obſervarent; & circa ipſum moverentur. Quo quidem pulcherrimo invento id conſequutus eſt: ut & cauſa, diverſi, Martis cæterorumque Planetarum, ſitus daretur: & naturæ ſua συμμετρία conſervaretur. Ita quidem tres ſupremi Planetæ Saturnus, Iupiter, Mars, Solem pro centro habent, à quo tamen tanto remoti ſunt intervallo, ut intra ipſorum circulorum Peripheriam, terra comprehendatur. Inferiores vero bini, Venus & Mercurius etiam circa ſolem moventur: horum tamen circuli terram minime includunt. De tempore, quo Planetæ curſum abſolvant ſuum, ita diſputat Plutarchus ex mente Philoſophorum antiquorum. lib. III. de placitis Philoſophorum tit. περὶ ἐνιαυτοῦ. de annis. Ἐνιαυτός ἐστι Κρόνου μὲν ἐνιαυτῶν περίοδος Λ΄. Διὸς δὲ ΙΒ΄. Ἄρεως δυοῖν, Ἡλίου ΙΒ΄. μῆνες οἱ δὲ αὐτοὶ Ἑρμοῦ καὶ Ἀφροδίτης. ἰσόδρομοι γάρ. Σελήνης ἡμέραι Λ. οὗτος γὰρ ὁ τέλειος μὴν ἀπὸ φαύσεως εἰς σύνοδον. *Annus quidem Saturni eſt Periodus annorum* XXX. *Iovis vero* XII. *Martis duum. Solis* XII. *menſium. iidem Mercurii & Veneris. æqualis enim celeritatis ſunt. Lunæ dies* XXX. *hic enim perfectus menſis à viſione ad Synodum.* Achilles Tatius in Prolegomenis ad Arati Phænomena tit. Τίς ὁ καλούμενος μέγας ἐνιαυτός, quis ſit ille qui vocatur

magnus annus, &c. pag. edit. Floren. 89. Πάλιν, inquit, ὁ πρῶτος ὁ τοῦ κρόνου ἀστὴρ παραγίνεται ἀπὸ ζωδίου ἐπὶ ζώδιον, παχυμερῶς μὲν καὶ πλατυντικῶς ἔτεσι τριάκοντα, ἀπὸ δὲ σημείου ἐπὶ σημεῖον ἀποκαθίσταται ἐν ἐτῶν μυριάσι τριακονταπέντε, καὶ ἔτεσι ἑξακοσίοις τριακονταπέντε. οὗτος δέ ἐστιν ὁ καλούμενος μέγας ἐνιαυτός. ὁ δὲ τοῦ διὸς ἀστὴρ ὁ δεύτερος παραγίνεται ἀπὸ ζωδίου ἐπὶ ζώδιον πλατυντικῶς καὶ παχυμερῶς ἔτεσι ΙΒ. ἀπὸ δὲ σημείου ἐπὶ σημεῖον ἀποκαθίσταται ἐν μυριάσιν ἐτῶν ιζ΄ καὶ ἔτεσι χκ΄. ὁ δὲ τοῦ ἄρεως περιέρχεται ἀπὸ ζωδίου ἐπὶ ζώδιον δι᾽ ἐτῶν δύο, καὶ ἀπὸ σημείου ἐπὶ σημεῖον ἐν μυριάσιν ἐτῶν ΙΒ. ὁ δὲ τῆς ἀφροδίτης (Ita in Florentina editione, quæ nunc nobis ad manum est, legitur, quod nos emendamus, & scribimus pro Ἀφροδίτης, Σελήνης, manifesto sensu, & sic Petavius in sua editione legit, quod post observavimus.) περιέρχεται ἀπὸ ζωδίου ἐπὶ ζώδιον κατὰ μῆνα ἕκαστον. ὁ δὲ ἥλιος ἐν τξε΄ ἡμέραις καὶ λεπτοῖς. ὃς δὴ χρόνος καλεῖται ἐνιαυτὸς ἡλιακός. ὁμοίως δὲ καὶ ὁ τῆς ἀφροδίτης καὶ τοῦ ἑρμοῦ σὺν τῷ ἡλίῳ, δι᾽ ἐνιαυτοῦ ἀπὸ ζωδίου ἐπὶ ζώδιον παραγίνονται. σχεδὸν γὰρ ἰσοταχεῖς εἰσι. *Rursum primus Planeta, qui est Saturnus, promovetur ab uno Zodiaci signo ad idem per annos* XXX. *late loquendo; à puncto vero ad idem punctum restituitur annis* 350635. *hic est qui vocatur annus magnus. Iupiter numero secundus, provehitur à signo Zodiaci ad idem, laxe & late, annis* XII. *à puncto vero ad punctum* 170620 *annis. Mars vero percurrit circulum à signo ad idem* II. *annis. Restituitur eidem puncto post annos* 120000. *Luna vero menstruo spacio à signo ad idem provehitur. Sol vero* CCCLXV. *diebus & particula: quod tempus annus solaris vocatur. Simili modo & Venus & Mercurius, una cum sole, annuo spacio ad idem signum, unde digressi sunt, perveniunt. Æquali enim celeritate fere pollent.* Accuratius ea perscripta habes apud Geminum, in Isagoge pag. 4. Edit. Petavii. ὑπὸ δὲ τὴν τῶν ἀπλανῶν ἀστέρων σφαῖραν κεῖται φαίνων ὁ τοῦ κρόνου προσαγορευόμενος ἀστήρ. οὗτος τὸν μὲν ζωδιακὸν κύκλον ἐν ἔτεσι λ΄ ὡς ἔγγιστα διαπορεύεται· τὸ δὲ ἓν ζώδιον ἐν δυσὶν ἔτεσι καὶ ἓξ μησίν. ὑπὸ δὲ τὸν φαίνοντα κατώτερος αὐτοῦ φέρεται φαέθων ὁ τοῦ ζηνὸς προσαγορευόμενος ἀστήρ. οὗτος δὲ τὸν ζωδιακὸν κύκλον πορεύεται ἐν ἔτεσι ΙΒ. τὸ δὲ ἓν ζώδιον ἐν ἐνιαυτῷ. ὑπὸ δὲ τοῦτον τέτακται πυρόεις ὁ τοῦ ἄρεος. οὗτος δὲ τὸν μὲν ζωδιακὸν κύκλον διέρχεται ἐν δυσὶν ἔτεσι, καὶ ἑξαμήνῳ. τὸ δὲ ζώδιον ἐν δυσὶ μησὶ καὶ ἡμίσει. τὴν δὲ ἐχομένην χώραν κατέχει ὁ ἥλιος, ἐνιαυτῷ διαπορευόμενος τὸν ζωδιακὸν κύκλον, τὸ δὲ ζώδιον ὡς ἔγγιστα ἐνὶ μηνί. κατώτερος δὲ τούτου κεῖται φωσφόρος ὁ τῆς ἀφροδίτης ἀστήρ. οὗτος δὲ ὡς ἔγγιστα ἰσοταχῶς κινεῖται τῷ ἡλίῳ. ὑπὸ τοῦτον δὲ ὁ τοῦ Ἑρμοῦ ἀστὴρ κεῖται, καὶ αὐτὸς δὲ ἰσοταχῶς κινεῖται τῷ ἡλίῳ. κατωτέρω δὲ πάντων φέρεται ἡ σελήνη, ἐν ἡμέραις κ΄ καὶ ζ΄ καὶ τρίτῳ διαπορευομένη τὸν ζωδιακὸν κύκλον, τὸ δὲ ζώδιον ἐν ἡμέραις β΄ καὶ τετάρτῳ μέρει τῆς μιᾶς ἡμέρας ὡς ἔγγιστα. *Sub sphæra stellarum fixarum ponitur stella Saturni: Græcis* φαίνων *id est lucens dicta. Hæc stella Zodiacum circulum in triginta ferè annis peragrat. Vnum vero signum duobus annis & sex mensibus. Sub Saturno, eoque inferius,*

fertur

fertur Iovis stella, quæ Græcis φαίθων vocatur. peragrat autem Iupiter Zodiacum in duodecim annis: unum vero signum in anno uno. Sub Iove sita est stella Martis, Græcis πυρόεις vocata. hæc stella Zodiacum conficit annis duobus & sex mensibus: unum vero signum duobus mensibus & dimidio. Proximum locum obtinet Sol, uno anno Zodiacum peragrans, unum autem signum uno ferè mense. Inferior sole est Lucifer, id est stella Veneris. hæc ferè æquali velocitate cum sole movetur. Sub Venere collocatur Mercurii stella, quæ & ipsa soli est æqualis in motu. Infima omnium est Luna, quæ diebus 27.¦ Zodiacum percurrit & una fere quarta parte unius diei. Et hæc antiquorum observatio fuit. Recentiorum aliæ sunt hypotheses: qui tamen in tribus superioribus fere cum antiquis conveniunt. Saturnus enim ex calculo Longomontani, vel Lansbergii, motum suum in longitudinem absolvit annis Iulianis communibus 29. diebus 155. horis 3. 24 min. Iupiter autem annis Iulianis 11. diebus 313. horis 14. 44 min. Mars anno 1. 321 diebus, 22. horis, 17 min. Solis revolutionem 365. diebus 5. horis & 49 min. Lunæ verò 29. diebus, horis 12. 44 min. 3 sec. terminant. Numeratur vero hujus motus non proprii circuli respectu, sed longitudinis à Sole. De quibus postea. In Veneris ac Mercurii calculo variant. Longomontanus duplicem supponit in Venere & Mercurio Anomaliam. Priorem Eccentrici vocat, quæ utrique stellæ fere convenit: alteram Orbis. Iuxta quam Venus quidem suum cursum absolvit, paulo minus biennio, anno nempe uno & diebus 218. horis 15. 36 min. 39 sec. adeoque cum Marte fere convenit: Mercurius autem spacio quadrimestri fere, diebus nempe 115. hor. 21. 3. minut. 24 sec. Hic est ille motus ipsi cœlo, si antiquis fides, contrarius; quem tamen liberrimo gressu, nullo cogente aut resistente, Planetæ ipsi efficiunt. Habent autē omnes communē quandam viam, atque semitam eandem, per quam eunt redeuntq;. Circulus hic Zodiacus vocatur: qui tamen Zona potius est, quam Circulus: cum latitudinem satis magnam habeat. Luna enim ipsa quinque interdum gradus & ultra declinat. Limes vero communis Ecliptica est, Via solis alias vocitata; quam ubi Luna transiverit sitiens, obscurationem facit: plena patitur. Cum vero de tempore hic agamus, istorum saltem corporum motum exponere animus est, quæ ad temporum dimensionem ab omnibus gentibus maxime adhibentur. Sunt illa duo Sol & Luna, de quibus ita Virgilius:

- - - - - - - - Vos ô clarissima mundi
Lumina labentem cælo qui ducitis annum
Liber & alma Ceres.

Solem & Lunam intelligit. Liber enim ipse est Osiris & Apollo sive Sol: sicut Ceres Isis & Luna, ut est apud Diodorum lib. 1. quod ipsum Orphæus confirmat.

Τήκων αἰθέρα δῖον ἀκίνητον πρὶν ἐόντα
Ἐξανέφηνε θεοῖς ὥραν κάλλιστον ἰδέσθαι.
Ὃν δὴ νῦν καλέουσι φάνητά τε καὶ Διόνυσον,
Εὐβουλῆα τ' ἄνακτα καὶ ἀνταύγην ἀρίδηλον
Ἄλλοι δ' ἄλλο καλοῦσιν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων.
Πρῶτος δ' ἐς φάος ἦλθε, Διόνυσος δ' ἐπεκλήθη,
Οὕνεκα δινεῖται κατ' ἀπείρονα μακρὸν ὄλυμπον, &c.

Liquefaciens æthera divum, immobilem antea existentem
Manifestavi Diis Venustatem pulcherrimam visu.
Hanc alii vocant φάνητα *&* Dionysum, *sive Liberum,*
Bonumque consilio Regem, & resplendentem valde manifestum
Alii vero aliter vocant mortalium hominum.
Primus vero in lucem venit, & Dionysos vocatus fuit,
Quod circumagatur circa immensum magnum Olympum.

Hinc Bæotii, Parnassum montem Apollini consecratum esse memorantes, simul tamen in eodem & oraculum Delphicum & Speluncas Bacchicas uni Deo consecratas colunt. Unde Euripides,

Διόνυσος ὃς θύρσοισι καὶ νεβρῶν δοραῖς
Καθαπτὸς ἐν πεύκαισι Παρνασὸν κάτα
Πηδᾷ χορεύων, &c.

Dionyse, qui Thyrsis & hinnulorum coriis
Tectus inter larices saltans, Parnasso
Desilis - - - - -

Liber igitur Virgilio Sol: & Ceres Luna. Hæc Lumina mundi sunt, quæ labentem cœlo annum ducunt. Horum ergo motum paucis considerasse operæ pretium erit. Moventur vero sicut Planetæ alii, ab occasu versus ortum, & quivis in Circulo proprio. Quem Sol 365. diebus, horis 5. min 49'. quam proxime absolvit. Et motus quidem hic semper est æquabilis. Neq; enim naturę satis videtur conveniens, motum irregularem corpori isti perpetuo tribuere. Nobis tamen ex terra spectantibus, juxtaq; stellarũ loca metientibus, inæqualis apparet. Terra quippe in centro Solis non est: sed ab eo remota, nunc Soli propinquior est, nunc longiùs ab eodẽ distat. Propinquior Sol Perigæus vocatur: remotior, Apogæus: & puncta ipsa cœli Apogæa & perigæa. In illis celerior vadit; quia arcus circuli Solaris, à lineis rectis (quæ à terminis signorum Zodiaci in centrum terræ demittuntur) inter-

tercepti, minores sunt à parte Perigæa, quam Apogæa. Sicut in Schemate melius demonstrari posset si figuras heic Mathematicas inserere integrum esset. Quod qui videre voluerit, adeat inter antiquos Geminum de Apparentiis, cap. 1. ubi & causas hujus rei diductius exponit. Quo propior igitur Apogæo puncto Sol fuerit: eo tardius incedere apparet. Et quo remotior, eo celerius. Atque hinc diversitas temporum orta fuit: qua æstates, dierum numero, hyemes vincunt. Nec tamen in certo cœli loco punctum hoc semper hæret; sed in consequentia signorum progressum, motum, quem anomaliæ vocant, efficit. Anno namque P. Julianæ, 4559. sive sæculo Hipparchi, hæsit Apogæus locus solis in grad. 5. min. 36. Gemin. Anno P. J. 4848. ævo Ptolomæi in Gemin. gr. 10. min. 3. Sæculo autem Albategnii, sive anno P. J. 5598. in Gemin. gr. 22. min. 16. Denique anno P. Jul. 6303, hoc est seculo Tychonis Brahe in Canc. gr. 5. min. 30. deprehensus est. Vide Longomontanum Theoricorum lib. 1. cap. 2. An vero eccentricitas Solis eadem semper sit maneatque, nostri non instituti est, anxie inquirere. Mutatio quidem hujus observationes antiquorum certiores reddit. Propter quod ipsum à Copernico introducta, ne ipsi quidem Tychoni displicuit. Sed nos de Astronomicis rebus nunc minimè scribimus. Neque convenit, arcta hujus libelli spacia, harum rerum tractatione arctiora reddere. Præsupponimus saltem, annum solarem diebus constare 365. horis 5. min. 49. quam proxime: quod nostro instituto satis convenit. Hæc de Sole: sequitur Luna. Consideratur vero hujus motus, pro duplici termino, dupliciter: respectu loci in Zodiaco, vel respectu Solis. Prior motus Periodicus vocatur: & est spacium temporis, quo Luna à certo quodam Zodiaci puncto digressa, ad idem revertitur. Synodicus est, quo Luna Solem relinquens eundem assequitur. Sit enim Luna cum Sole conjuncta in 1 gr. min 0. Arietis: Luna quidem, quia celerius movetur Solem prætervehitur: tandemq; elapsis 27. diebus & dimidia fere, ad primum punctum Arietis, absoluto spacio revertitur: & hic motus Periodicus à confecta periodo vocatur. Quia vero Sol, interea 27. dierum spacio, in consequentia progressus sit; nec ulterius in primo arietis gradu hæreat, sed in 28: Luna, gradus illos residuos biduo & parte diei conficit: tandemq; Solem consecuta, Synodicum motum diebus 29. hor. 12. 4′4. 3″. 12‴. absolvit. Pulcherrima sunt, quæ in hanc rem scribit Doctiss. AbenEzra comment. sup. cap: XII. Exodi: statim initio commentarii. ידענו כי תהלך הלבנה בגלגילה בניקר הידוע כנגד גלגל המולות עד שבה אל הנקודה בעצמה הם

כ״ז יום ושלשי יום בקרב והנה נחשב כי התחבר עם השמש כשהיתה בנקודה הראשונה בתחלת מזל טלה והנה בשבה אל ראש מזל טלה לא מצאה השמש שם כי כבר הלך במהלכו כ״ז מעלות כי מהלך שניהם כראיותם גמורות הוא ממערב למזרח הפך התנועה העליונה והנה הלכה הלבנה באלה המעלות שכבר הלך השמש גם הלכה הלבנה בחלקים כשהלך השמש בלכת הלבנה המעלות הנזכרות שני ימים וקרוב מה שעות התחברו שניהם כסוף כט יום וחצי וב׳ ידות שעה וע״ג הלקים מחלקי ישראל

Novimus quod cursus Lunæ in Circulo suo à puncto quodam dato juxta circulum stellarum, usque dum ad idem punctum revertatur, diebus absolvatur 27. cum una tertia. Et ecce fingatur quod conjunctio Lunæ cum Sole facta sit in puncto primo in principio arietis: & ecce cum revertitur ad principium arietis non invenit Solem illic. Quia pertransit cursu grad. 27. quoniam cursus amborum juxta necessariam demonstrationem ab occasu est versus ortum, contra Sphæram supremam, & ecce percurrit Luna gradus istos quibus jam Sol progressum fecit, tum etiam scrupula quædam emetitur dum Sol graditur, eodem tempore quo Luna gradus illos quos diximus conficit, quod totum dies aufert duos & circiter horas quinque. Conjunguntur ergo Sol & Luna, absoluto die 29. & dimidio & duabus partibus horæ, & scrupulis Israeliticis 73. Hæc ille: nos vero Synodicum saltem consideramus motum. Propter hunc enim manifestas quasdam mutationes subit. Soli enim juncta, plane occultatur: inde falcata apparet, quæ Græcis μηνοειδὴς dicitur: tum dimidiata, sive διχότομος: inde ἀμφίκυρτος, Latinis gibbosa: tandem πανσέληνος & pleno lumine conspicua. Easdem porro mutationes rursus ad Solem properans subit: & sicut paulatim lumine aucta fuit, ita nunc decrescit; easdemq; cõfigurationes iterum assumit. Geminus cap. VII. ὅταν ὑποτροχάσῃ τῷ ἡλίῳ ἡ σελήνη ἀφώτιστος βλέπεται ..... λαμβάνει δὲ τοὺς πάντας σχηματισμοὺς ἡ σελήνη ἐν τῷ μηνιαίῳ χρόνῳ τέσσαρας, δὶς αὐτοὺς ἀποτελοῦσα. εἰσὶ δὲ οἱ σχηματισμοὶ οἵδε· μηνοειδὴς, διχότομος, ἀμφίκυρτος, πανσέληνος. *Cum sub orbem Solis venerit Luna, illunis est ..... Accipit autem omnes configurationes Luna quatuor in menstruo tempore: bis eas efficiens. Sunt vero configurationes hæ: falcata, dimidiata, gibbosa & plena.* Atque hæc cum omnium oculis pateant; temporis quoque mensuram dederunt. Spacium enim illud, quod inter duas conjunctiones, aut φάσεις est, mensem vocarunt: à jugo ad maximam elongationem, διχομηνίαν, sive mensem dimidiatum, &c. Synodicus igitur motus præcipuè nobis erit considerandus. Nec tamẽ hic pari temporis intervallo semper absolvitur. Quando enim Sol in conjunctione circa Apogæum est, Luna celerius Solem consequitur: quod tardius ille moveatur: In perigæo autem, tardius, propter causam contrariam. In locis verò intermediis æquabilis fere est, & absolvitur dieb. 29. hor. 12. min. 44. sec. 3. ter. 12. Hæc de duorum corporũ motu, pro nostri instituti ratione dicta, sufficiant, Qui ipsam Lunę theoriã atq; accuratior a

de his

de his volet, Astronomos adeat: neque enim ista nunc pertractare animus est. Quoniam verò in universa temporum doctrina, ut & in hoc scripto, sæpenumero ad calculos mediorum motuum erit recurrendum; tabulas, tam Solis quam Lunæ, construximus, omnibus seculis, præcipue vero P. Julianæ convenientes. Sicut enim primus annus P. Julianæ est bissextilis, sive dierum CCCLXVI: ita & primum annum in tabulis bissextilem fecimus; inde quintum, tum nonum, postea XIII. & denique XVII. &c. Epocham unam generalem, P. nempe Julianæ, eamque juxta medii Meridiani situm exhibuimus. Et ut commode aliorum locorum temporibus accommodaretur: loca, vel ob historiam, vel Mathematicorum calculos, qui juxta horum longitudinem Epochas ordinarunt, præcipua, adnotavimus: cum horum longitud. tam simplici, quam in tempus conversa: & latitudine. Has igitur heic tibi exhibemus.

CANONES MEDIORUM MOTUUM SOLIS ET LUNÆ PERPETUI.

TABULA I.

In annis expansis usque ad XX. Primus annus est bissextilis. — *In annis collectis à XX. ad VII. M. Juxta quantitatem Period. Julianæ.*

Anni expansi.	Motus Solis. Sex. gr. ′. ″.	Motus Lunæ. Sex. gr. ′. ″.	Anni Collecti.	Motus Solis. Sex. gr. ′. ″.	Motus Lunæ. Sex. gr. ′. ″.
I.	0. 0. 44. 48.	2. 21. 48. 49.	XL.	0. 0. 18. 13.	4. 26. 49. 16.
II.	0. 0. 30. 28.	4. 31. 26. 11.	LX.	0. 0. 27. 19.	0. 40. 13. 54.
III.	0. 0. 16. 9.	0. 41. 3. 33.	LXXX.	0. 0. 36. 26.	2. 53. 38. 32.
IV.	0. 0. 1. 49.	2. 50. 40. 56.	C.	0. 0. 45. 32.	5. 7. 3. 10.
V.	0. 0. 46. 37.	5. 12. 29. 45.	CC.	0. 1. 31. 5.	4. 14. 6. 20.
VI.	0. 0. 32. 18.	1. 22. 7. 7.	CCC.	0. 2. 16. 37.	3. 21. 9. 30.
VII.	0. 0. 17. 58.	3. 31. 44. 29.	CCCC.	0. 3. 2. 10.	2. 28. 12. 40.
VIII.	0. 0. 3. 38.	5. 41. 21. 51.	D.	0. 3. 47. 43.	1. 35. 15. 50.
IX.	0. 0. 48. 27.	2. 3. 10. 40.	DC.	0. 4. 33. 15.	0. 42. 19. 0.
X.	0. 0. 34. 7.	4. 12. 48. 2.	DCC.	0. 5. 18. 48.	5. 49. 22. 10.
XI.	0. 0. 19. 47.	0. 22. 25. 24.	DCCC.	0. 6. 4. 21.	4. 56. 25. 20.
XII.	0. 0. 5. 27.	2. 32. 2. 47.	DCCCC.	0. 6. 49. 53.	4. 3. 28. 30.
XIII.	0. 0. 50. 16.	4. 53. 51. 36.	M.	0. 7. 35. 26.	3. 10. 31. 40.
XIV.	0. 0. 35. 56.	1. 3. 28. 58.	MM.	0. 15. 10. 52.	0. 21. 3. 20.
XV.	0. 0. 21. 36.	3. 13. 6. 20.	MMM.	0. 22. 46. 19.	3. 31. 35. 0.
XVI.	0. 0. 7. 17.	5. 22. 43. 42.	IV. M.	0. 30. 21. 45.	0. 42. 6. 40.
XVII.	0. 0. 52. 5.	1. 44. 32. 31.	V. M.	0. 37. 57. 13.	3. 52. 38. 20.
XVIII.	0. 0. 37. 46.	3. 54. 9. 53.	VI. M.	0. 45. 32. 38.	1. 3. 10. 0.
XIX.	0. 0. 23. 26.	0. 3. 47. 15.	VII. M.	0. 53. 8. 4.	4. 13. 41. 40.
XX.	0. 0. 9. 6.	2. 13. 24. 38.	Epocha initio P. Julianæ.	4. 1. 45. 22.	4. 5. 37. 41.

TAB. II.

Medii motus in menſibus, tam communi anno, quam biſſextili.

In menſibus communis anni. In menſibus anni biſſextilis.

Menſes com.	Motus Solis. Sex.gr.′.″.	Motus Lunæ. Sex.gr.′.″.	Motus Solis. Sex.gr.′.″.	Motus Lunæ à Sole. Sex.gr.′.″.
Ianuarius.	0.30.33.18.	0.17.54.47.	0.30.33.18.	0.17.54.47.
Februarius.	0.58. 9.11.	5.59.15.15.	0.59. 8.20.	0.11.26.41.
Martius.	1.28.42.30.	0.17.10. 2.	1.29.41.38.	0.29.21.29.
Aprilis.	1.56.16.39.	0.22.53.23.	1.59.15.48.	0.35. 4.50.
Majus.	2.28.49.58.	0.40.48.10.	2.29.49. 6.	0.52.59.37.
Iunius.	2.58.24. 8.	0.46.31.31.	2.59.23.16.	0.58.42.58.
Iulius.	3.28.57.26.	1. 4.26.18.	3.29.59.34.	1.16.37.45.
Auguſtus.	3.59.30.44.	1.22.21. 6.	4. 0.29.53.	1.34.32.33.
September.	4.29. 4.54.	1.28. 4.27.	4.30. 4. 3.	1.40.15.53.
October.	4.59.38.12.	1.45.59.14.	5. 0.37.21.	1.58 10.41.
November.	5.29.12.22.	1.51.42.35.	5.30.11.31.	2. 3.54. 1.
December.	5.59.45.40.	2. 9.37.22.	0. 0.44.49.	2.21.48.49.

TAB. III.

Medii motus Solis & Lunæ in diebus.

Dies.	Solis. gr.′.″.	Lunæ. Sex.gr.′.″.	Dies.	Solis. g.′.″.	Lunæ. Sex.gr.′.″.	Dies menſiũ
I.	0.59. 8.	0.12.11.27.	XVII.	16.45.21.	3.27.14.34.	Ianuar. XXXI.
II.	1.58.17.	0.24.22.53.	XVIII.	17.44.30.	3.39.26. 0.	Feb.Simp. XXVII.
III.	2.57.25.	0.36.34.20.	XIX.	18.43.38.	3.51.37.27.	Biſſextil. XXIX.
IV.	3.56.33.	0.48.45.47.	XX.	19.42.47.	4. 3.48.54.	Martius. XXXI.
V.	4.55.42.	1. 0.57.13.	XXI.	20.41.55.	4.16. 0.21.	Aprilis. XXX.
VI.	5.54.50.	1.13. 8.40.	XXII.	21.41. 3.	4.28.11.47.	Majus. XXXI.
VII.	6.53.58.	1.25.20. 7.	XXIII.	22.40.12.	4.40.23.14.	Iunius. XXX.
VIII.	7.53. 7.	1.37.31.34.	XXIV.	23.39.20.	4.52.34.41.	Iulius. XXXI.
IX.	8.52.15.	1.49.43. 0.	XXV.	24.38.28.	5. 4.46. 7.	Auguſtus. XXXI.
X.	9.51.23.	2. 1.54.27.	XXVI.	25.37.37.	5.16.57.34.	Septemb. XXX.
XI.	10.50.32.	2.14. 5.54.	XXVII.	26.36.45.	5.29. 9. 1.	October. XXXI.
XII.	11.49.40.	2.26.17.20.	XXVIII.	27.35.53.	5.41.20.27.	November. XXX.
XIII.	12.48.48.	2.38.28.47.	XXIX.	28.35. 1.	5.53.31.54.	December. XXXI.
XIV.	13.47.57.	2.50.40.14.	XXX.	29.34.10.	0. 5.43.21.	
XV.	14.47. 5.	3. 2.51.40.	XXXI.	30.33.18.	0.17.54.47.	
XVI.	15.46.13.	3.25. 3. 7.				

Medii

Medii motus Solis & Lunæ in horis & ſcrupulis horarum.

TABVLA IV.

Horæ.	*Solis.* ′. ″.	*Lunæ.* gr. ′. ″.	Horæ.	*Motus Solis.* grad. ′. ″.	*Motus Lunæ.* grad. ′. ″.
1.	0. 2.28.	0. 30.29.	31.	1. 16. 23.	15. 44. 47.
2.	0. 4.56.	1. 0.57.	32.	1. 18. 51.	16. 15. 16.
3.	0. 7.24.	1. 31.26.	33.	1. 21. 19.	16. 45. 45.
4.	0. 9.51.	2. 1.54.	34.	1. 23. 47.	17. 16. 13.
5.	0. 12.19.	2. 32.23.	35.	1. 26. 15.	17. 46. 42.
6.	0.14.47.	3. 2.52.	36.	1. 28. 43.	18. 17. 11.
7.	0.17.15.	3.33.20.	37.	1. 31. 11.	18. 47. 40.
8.	0.19.34.	4. 3.49.	38.	1. 33. 39.	19. 18. 9.
9.	0.22.11.	4.34.18.	39.	1. 36. 7.	19. 48. 38.
10.	0.24.38.	5. 4.46.	40.	1. 38. 35.	20. 19. 7.
11.	0.27. 6.	5.35.15.	41.	1. 41. 3.	20. 49. 36.
12.	0.29.34.	6. 5.43.	42.	1. 43. 31.	21. 20. 5.
13.	0.32. 2.	6.36.12.	43.	1. 45. 59.	21. 50. 34.
14.	0.34.30.	7. 6.41.	44.	1. 48. 27.	22. 21. 3.
15.	0.36.58.	7.37. 9.	45.	1. 50. 55.	22. 51. 32.
16.	0.39.26.	8. 7.38.	46.	1. 53. 23.	23. 22. 1.
17.	0.41.53.	8.38. 6.	47.	1. 55. 51.	23. 52. 30.
18.	0.44.21.	9. 8.35.	48.	1. 58. 19.	24. 22. 59.
19.	0.46.49.	9.39. 4.	49.	2. 0. 47.	24. 53. 28.
20.	0.49.17.	10. 9.32.	50.	2. 3. 15.	25. 23. 57.
21.	0.51.45.	10.40. 1.	51.	2. 5. 43.	25. 54. 26.
22.	0.54.13.	11.10.29.	52.	2. 8. 11.	26. 24. 55.
23.	0.56.40.	11.40.58.	53.	2. 10. 39.	26. 55. 24.
24.	0.59. 8.	12.11.27.	54.	2. 13. 7.	27. 25. 53.
25.	1. 1.36.	12.41.55.	55.	2. 15. 35.	27. 56. 22.
26.	1. 4. 4.	13.12.24.	56.	2. 18. 3.	28. 26. 51.
27.	1. 6.32.	13.42.53.	57.	2. 20. 31.	28. 57. 20.
28.	1. 9. 0.	14.13.21.	58.	2. 22. 59.	29. 27. 49.
29.	1.11.28.	14.43.50.	59.	2. 25. 59.	29. 58. 18.
30.	1.13.55.	15.14.18.	60.	2. 27. 55.	30. 28. 47.
Scrup.	′. ″. ‴.	′. ″. ‴.	Scrup.	′. ″. ‴.	′. ″. ‴.
″	″. ‴. IV.	″. ‴. IV.	″	″. ‴. IV.	″. ‴. IV.
‴.	‴. IV. V.	‴. IV. V.	‴.	‴. IV. V.	‴. IV. V.

TAB. V.

Tabula longitud. & latitud. insignium aliquot locorum: quorum, vel apud antiquos Historicos, vel Mathematicos, mentio fit.

	Tempus.		Longitud.		Latitud.	
Alexandria	h.	'.	grad.	'.	grad.	'.
Ægypti.	4.	2.	60.	30.	30.	58.
Arbela Aſſ.	5.	0.	80.	0.	37.	15.
Athenæ	3.	31.	52.	45	37.	15.
Babylon.	4.	52.	73.	0.	35.	0.
Corinthus.	3.	25.	51.	15.	36.	50.
Goëſa Zeland.	1.	42.	25.	30.	51.	31.
Hafnia Daniæ.	2.	27.	36.	40.	55.	43.
Jeroſolyma	4.	24.	66.	0.	31.	40.
Lutetia.	1.	36.	24.	0.	48.	45.
Roma.	2.	26.	36.	30.	41.	56.
Syracuſæ.	2.	42.	40.	30.	37.	30.
Uraniburgum.	2.	27.	36.	45.	55.	54.

Habes heîc tabulas quinque, quarum I. motus Solis & Lunæ continet, in annis, tam expanſis uſque ad XX. quam collectis ad VII.M. quo ſe P. Juliana extendit: ad quam, omnia tempora commodiſſime certiſſimeque applicari poſſunt; & nos in hoc tractatu ſemper applicabimus. Hanc igitur ob cauſam ita calculum ordinavimus, ut primus annus ſit intercalaris, non quartus, ut vulgo fieri amat: primus namque annus Periodi Julianæ eſt intercalaris, ut paulo poſt volente Deo explicabitur. Propter hoc, Epocham quoque Period. Iulianæ, ad calcem tabulæ adſcripſimus. Motus namque nullus conſiderari ſatis aptè poteſt: niſi terminum motionis cognitum habeamus. Terminus, Epocha eſt: hæc enim, tam in Sole, quam in Luna, locum monſtrat, in quo initio temporis hujus, aut Periodi hujus hæſerunt, vel vere vel per πρόληψιν. Huic igitur loco, ſi reliquorum temporum motus fuerint adjecti, monſtrabunt, id quod quæritur, locum nempe Solis medium, & mediam Lunæ à Sole diſtantiam, dato tempori convenientem. In tabula II. III. & IV. motum Solis & Lunæ, in menſibus, diebus & horis, earumque ſcrupulis, habes. Denique

Tabula

Tabula V. meridianorum diversitati inservit. Solent Mathematici, in Epochis constituendis, suis quique meridianis uti. Sic Clariss. Longomontanus, omnia φαινόμενα ad suum, hoc est Hafniensem Meridianum revocavit: Lanspergius, ad Goesanum; Petavius, ad Parisiensem. Ego verò, non ad urbis alicujus, aut regionis situm, Epocham direxi: sed primum totius terræ Meridianum, quem ipsa Natura, magnetica vi, monstrat, quemq; Mathematici ferè omnes primum constituunt, elegi: atque juxta illum, Epocham ordinavi. Scio quidem, inter Geographos de hoc non convenire: sed ego Ptolomæi ac cæterorum Mathematicorum placita sequor: cum perinde sit, unde numerare incipiamus: dummodo, vera distantia certò cognita sit. Quoniam verò illi, qui Orientem versus habitant, plures horas numerant, quam qui his sunt occidentaliores, (ut in Sphæricis fit manifestum) addendæ ergo tot horæ erunt, quot cujusque loci tempus monstrat. Hæc omnia, in ipsa Praxi, manifestiora evadent. Usus itaque tabularum hic est. Vis scire, ad datum tempus, locum Solis & Lunæ medium, certo quodam loco: &c. applica tempus Periodo Julianæ, (quod quomodo faciendum sit, postea explicabitur) & cum illo tabulas ingressus, convenientes tempori motus excerpe: queîs in unam summam collectis Epocham adde: summa quæsitum dabit. Velim scire motum Solis & Lunæ, Anno Christi xxxiv. mensis Martii, die xxv. hor. post mediam noctem xi. cum minutis 53'.40". Annus Christi xxxiv. est P. Jul. 4747. ut postea demonstrabitur. Iam verò, sunt anni 4746. pleni (annus enim 4747. nondum plenus est) & menses duo communes (annus enim xxxiv. Christi est communis, & non intercalaris) & dies xxiv. integri, cum horis xi. & minut. 53'.40". cui quidem tempori hi motus conveniunt: quorum Epocha, & anni ex tabula prima: mensis ex tabula secunda: dies, ex tabula tertia: horæ denique & scrupula, ex tabula quarta, desumuntur. Et hi quidem omnes motus, sibi invicē additi, dabunt loca Solis & Lunæ, isti tempori convenientia. Prodibit quippe summa:

	Motus Solis.	Motus Lunæ.
	Sex.gr. '. ".	Sex.gr. '. ".
Epocha P. Julian.	4. 1. 45. 22	4. 5. 37. 41.
Anni. IV. M.	0. 30. 21. 45	0. 42. 6. 40.
DCC.	0. 5. 18. 48	5. 49. 22. 10.
XL.	0. 0. 18. 13	4. 26. 49. 16.
VI.	0. 0. 32. 18	1. 22. 7. 7.
Mensis Febr.	0. 58. 9. 11	5. 59. 15. 15.
Dies XXIV.	0. 23. 39. 20	4. 52. 34. 41.
Horæ XI.	0. 0. 27. 6	0. 5. 35. 15.
Scrup. 53'.	0 0. 2. 10.	0. 0. 26. 55.
Secund. 40".	0. 0. 0. 2.	0. 0. 0. 21.
	5. 59. 34. 15.	3. 23. 55. 21.

Fuit igitur Sol, isto tempore, in Piscium grad. 29'. cum minutis 34'. 15". adeoque minutis saltem 25'. 45". à medio puncto æquinoctiali distabat: quæ differentia, in tabula horaria, sive IV, competit horis 10. minut. 27'. quam proxime. Tot igitur horis æquinoctium medium aberat. Lunæ autem distantia à Sole media erat sexagen. 3. sive signorum 6. grad. 23. 55'. 21". & cum 3. sexagenar. distantia det præcise plenilunium sive oppositionem, sicut sex 0. grad. 0'. min. 0". Novilunium, sive conjunctionem mediam: distabit Luna à puncto plenilunii medii grad. 23. 55'. 21". quæ si per tabulam horariam IV. Lunæ, in tempus convertantur: dabunt horas 47. sive diem integrum & horas 23. cum minutis 5'. 38". &c. Atque hic modus est, ad quodlibet tempus, motus Solis & Lunæ medios calculandi. Si vero, anno quocunque aut tempore dato, scire discupias, quo die æquinoctia aut solstitia media contingant: collige ad initium anni motus medios, quos aufer à sexagenis sex, seu integro circulo: residuum in menses, dies, horasque conversum, tempus æquinoctii verni dabit: cui si, juxta distantiam debitam, dies sufficientes adjeceris, solstitium, cum æquinoctio autumnali & bruma, comparabis. In exemplo priori, motus Solis, ad initium anni antea dati, XXXIV. Christi, sive P. Iulian. 4747. fuit sex. 4. grad. 38. min 15'. 26". ut ex collectione numerorum patet. Hunc numerum si ab integro circulo, sive gradibus 360, hoc est sexagenis. 6. detraxeris: remanebunt sexag. 1. grad. 21. grad. min. 44'. quod in tempus conversum, dabit menses binos cum diebus 24. Ergo 25. Martii æquinoctium contigit, distat vero solstitium ab æquinoctio grad. 90. fit enim istud initio cancr. sicut illud initio Arietis. Hi ergo gradus in tempus conversi, & priori tempori additi, dabunt solstitium ejus anni medium. In tabula mensium numerus 1. Sex. 28 gr. 42'. 30". est, datis 90 gradibus proxime minor, & respondet fini mensis Martii anni vulgaris, sive diebus 90 plenis. Residuus est gradus 1. cum minutis 17'. 30". quæ in tabula horarum dant horas 31. &c. sive diem unum & horas septem. hos igitur 91. dies si 25. Martii adjeceris quo æquinoctium contigerit, habebis solstitium medium in 24. Iunii fere. Quod si Novilunia aut Plenilunia media mensis cujusdam novisse volupe sit: collige, ad initium mensis Iuliani dati, motus medios Lunæ: hos à sexagenis 6. sive integro circulo aufer in noviluniis, à semicirculo in pleniluniis: Residuum tandem tempus plenilunii aut novilunii medii monstrabit. In exemplo priori, velim scire ad annum Christi XXXIV. P. Iulianæ 4747. Mensis Martii Novilunium: Ad initium mensis Mar-

Martii illo anno hi motus ex tabulis Lunæ colliguntur. Adeoq; Lunæ distantia à Sole deprehenditur, 4. Sex. 25. 18′. 9″. quæ si à Sexageniis 6. sive integro circulo auferantur: residuum dabunt 1. Sex. 34. gr. 41′. 51″. quæ si in tempus convertas: dabunt dies plenos septem, cum horis octodecim, minutis 42. &c. Contigit ergo Novilunium medium sub primo Meridiano Martii 8, horis post mediam noctem 18. 42. min. hoc est 6. vespertina nostra, & si Hierosolymitano meridiano applicetur, horis post mediam noctem 23. 6. nam propter meridianorum differentiam adduntur horæ 4. 24. ut in Tab. V. fit manifestum. Contigit ergo Hierosolymis post horam noctis 11. adeoque tum Iudæis 10. Martii inceperat. Et tantum de usu tabularum, deque mediis motibus: quorum usus in sequentibus satis uber erit. Nunc ad tempus revertimur.

	Sex. gr.	′.	″.	
Epocha. P. Julian.	4.	5.	37.	41.
Anni IV. M.	0.	41.	6.	40.
DCC.	5.	49.	22.	10.
XL.	4.	26.	49.	16.
VI.	1.	22.	7.	7.
Initium Martii.	5.	59.	15.	15.
	4.	25.	18.	9.

CAP. VI.

Annus unde dicatur? quid denotet? Anni Hieroglyphicum. Ἐνιαυτὸς quid? & unde? De menstruis, & quadrimestribus annis antiquorum. Lactantii de iisdem opinio; quæ plerisque doctis probatur. Vberior hac de re disputatio. De annis Patriarcharum antediluvianorum disputatur contra illos, qui menstruos fuisse existimant. Annum Antediluvianorum lunarem fuisse, non accuratum, sed talem qualem Iudæi postea in usu habuerunt. Ejus ratio exponitur. Vnde Sari Chaldæorum originem habuerint? Mensis antiquorum à visione dependebant. Si illa non daretur mensis tricenum dierum erat. Scaligeri, de anno antediluvianorum, opinio diversa examinatur. Locus ex octavo Geneseos. De diebus CL. *queîs aquæ super terram prævaluerunt, explicatur, tam ex*

mente Iudæorum, quam ſententia propria. Scaligeri aſſertio inde refellitur, &c.

MEnſuram temporis, motum perpetuorum corporum eſſe, Solis præcipue, Lunæ ac Terræ, ſatis nos antea demonſtraſſe exiſtimamus. Sicut autem motus duplex eſt, terræ unus, qui fit ſuper centrum proprium, Solis Lunæque alter in Circulo majori: ita etiam duplex tempus eſſe debet. Prius diem vocant: de quo ſatis antea fuit dictum. Poſterius annus appellatur. Annus à circuitu dicitur: veteres enim an pro circum ponere ſolebant; ut Cato in Originibus Oratorum: *An terminum, id eſt circum terminum: & ambire pro circumire,* referente Macrobio cap. XIV. lib. I. Saturnaliorum. Annus igitur circuitum ſive circulum denotare videtur: quod ipſum ex Virgilio confirmatur: *Interea magnum Sol circumvolvitur annum.* Ubi expreſſis verbis, Solis circulum, quem annuo ſpacio abſolvit, annum vocat. Ita ex anno, annulus deminutivum deducitur: quod circellum, ſive parvum annum denotat. Atque optimè nomen hoc tempori motus Solaris & Lunaris competit. Uterque enim iſto tempore annum ſuum, ſive cyclum abſolvit. Unde & Macrobius loc. laud. Menſem unum, annum Lunæ vocat. *Nam ſicut Lunaris annus menſis eſt, quia Luna paulo minus quam menſem in Zodiaci circuitione conſumit: ita Solis annus hoc dierum numero colligendus eſt, quem peragit, dum ad id ſignum ſe denuo vertit ex quo digreſſus eſt. Vnde annus vertens vocatur.* Circulum ergo annus denotat. Unde & Ægyptii annum ſerpente reducto corpore caudam vorante ſignificarunt: ut eſt apud Martianum Capellam lib. I. de nuptiis Philologiæ: quod ex HoroApolline deſumpſiſſe videtur. Et *hoc idem optime* expreſſit Claudianus, ubi ita canit: Panegyrico II. in Stiliconem.

Eſt ignota procul noſtraque impervia menti
Vix adeunda Deis annorum ſqualida Mater.
Immenſi ſpelunca ÆVI. *quæ tempora vaſto*
Suppeditat revocatque ſinu. Complectitur antrum,
Omnia qui placido conſumit numine SERPENS:
Perpetuumque viret ſquamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito religens exordia lapſu.

Quo etiam reſpexiſſe videtur maximus Poetarum Virgilius. lib. Georgicōr II.

In ſe ſua per veſtigia volvitur annus.

Græcis ἐνιαυτὸς eadem ſignificatione vocatur: nec Solis ſaltem curſui, ſed

ſed & reliquorum Planetarum, adeoque Lunæ ipſius tribuitur. Plutarchus de Placitis Philoſophorum, lib III, Paragraphum, in quo de tempore motus Saturni, Solis, Lunæ &c. agit, περὶ ἐνιαυτῶν, inſcribit. Locum me antea adduxiſſe memini, heic igitur adſcribere operæ precium non eſt. Vocatur autem ἐνιαυτὸς quaſi ἐν ἑαυτῷ, ut Plato. in Cratylo, aut ἀπὸ τοῦ εἰς ἓν ἰέναι *quod in unum coeat*, inſtar annuli, ut Arato placet. His igitur motibus annuum tempus antiqui metiebantur. Atque illi quidem, qui in Ægypto vivebant, menſtruo ſpacio annum ſuum abſolvebant, quod ipſum aliæ gentes ſunt imitatæ. Hinc in temporum ratione tanta diverſitas: hinc tot annorum myriades. Plutarchus in Numa Ἐξ ἀρχῆς δὲ χρῆσθαι δέκα μησὶν εἰς τὸν ἐνιαυτόν, ὡς ἔνιοι τῶν βαρβάρων, τρισί, καὶ τῶν Ἑλλήνων, Ἀρκάδες μὲν τέσσαρσιν, ἓξ δὲ Ἀκαρνᾶνες, Αἰγυπτίοις δὲ μηνιαῖος ἦν ὁ ἐνιαυτός, εἶτα τετράμηνος, ὥς φασι. διὸ καὶ νεωτάτην χώραν οἰκοῦντες, ἀρχαιότατοι δοκοῦσιν εἶναι· καὶ πλῆθος ἀμήχανον ἐτῶν ἐπὶ ταῖς γενεαλογίαις καταφέρουσιν, ἅτε δὴ τοὺς μῆνας εἰς ἐτῶν ἀριθμὸν τιθέμενοι. *Romani initio decem menſibus in anno uſi ſunt. Sicut ex Barbaris quidam, tribus, ex Græcis vero Arcades quatuor, Acarnanes vero ſex. Ægyptiis menſtruus annus erat. Poſtea quadrimeſtris, ut dicunt. Ideoque quamvis regionem minime antiquam occupent: antiquiſſimi tamen eſſe cenſentur. Incomprehenſibilem namque annorum multitudinem in Genealogiis, habent, quod menſes pro annis numerent.* Idem iisdem plane verbis refert Stobæus in Phyſicis cap. XI. Diodorus quoque Siculus lib. I. Bibliothecæ ita diſſerit. Μυθολογοῦσι δὲ καὶ τῶν Θεῶν τοὺς μὲν ἀρχαιοτάτους βασιλεῦσαι πλείω τῶν χιλίων καὶ διακοσίων ἐτῶν, τοὺς δὲ μεταγενεστέρους οὐκ ἐλάττω τῶν τριακοσίων. Ἀπίστου δ' ὄντος τοῦ πλήθους τῶν ἐτῶν, ἐπιχειροῦσί τινες λέγειν, ὅτι τὸ παλαιόν, οὔπω τῆς περὶ τὸν ἥλιον κινήσεως ἐπεγνωσμένης, συνέβαινε κατὰ τὴν τῆς σελήνης περίοδον ἄγεσθαι τὸν ἐνιαυτόν. Διόπερ τῶν ἐτῶν τριακονθημέρων ὄντων, οὐκ ἀδύνατον εἶναι βεβιωκέναι τινὰς ἔτη χίλια καὶ διακόσια. Καὶ γὰρ νῦν, δυοκαίδεκα μηνῶν ὄντων τῶν ἐνιαυτῶν, οὐκ ὀλίγους ὑπὲρ ἑκατὸν ἔτη ζῆν. *Fabulantur præterea, Deorum antiquiſſimos* CIↃCC, *& poſteriores non minus* CCC *annis regnaſſe. Cum verò fidem excedat hæc annorum multitudo: conantur quidam dicere, antiquos, quibus nondum motus Solis eſſet cognitus, juxta periodum Lunæ annum menſuraſſe: adeoque, cum anni tricenum ſaltem dierum eſſent, facilè fieri potuiſſe ut quis annos* CIↃCC *expleret: quandoquidem nunc etiam, cum anni duodecim menſibus conſtent, multi centeſimum excedant*, &c. Plinius lib. VII. cap. XLIV. *Annum enim alii æſtate unum determinabant, & alterum hyeme: alii quadripartitis temporibus, ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuere: quidam Lunæ ſenio, ut Ægyptii: itaque apud eos aliqui, & ſingula annorum millia vixiſſe produntur.* Eadem in opinione fuiſſe doctiſſimum togatorum Varronem,

Lactan-

Lactantius Institut. lib. II. cap. XII. fidem facit. Sed ipse sententiam hanc rejicit, quando ita loco laudato disputat. *Sic facta hominum vita est temporaria, sed tamen longa, quæ in mille annos propagatur. Quod divinis literis proditum, & per omnium scientiam publicatum, cum Varro non ignoraret: argumentari nixus est; cur putarentur antiqui mille annos vixitasse. Ait enim, apud Aegyptios, pro anno menses haberi, ut non Solis per duodecim signa circuitus faciat annum; sed Luna, quæ orbem illum signiferum, triginta dierum spacio, illustrat. Quod argumentum perspicuè falsum est. Nemo enim tunc millesimum annum transgressus est. Nunc verò, qui ad centesimum perveniunt, (quod fit sæpissimè) mille certe ac ducentis mensibus vivunt. Et auctores idonei tradunt, ad centum viginti annos perveniri solere. Sed quia ignorabat Varro, cur, aut quando, vita hominis esset diminuta: ipse diminuit, cum sciret, mille & quadringentis mensibus posse vivere hominem.* Lactantium plurimi, imò omnes fere docti sequuntur. Ipse quoque Africanus, antiquissimus Pater, idemque in temporum ratione versatissimus, pro fabulis annos istos habet: ut ex ejusdem excerptis apud Eusebium Chronic. lib. I. patet. Sed tamen, antiqua hæc ut manifeste falsa rejicere, nimis durum est: præstaret potius ex istis solidam quandam veritatem conari elicere: Neque enim successum defuturum spero. Duæ enim inprimis gentes sunt, quæ tantam annorum multitudinem prodere videntur: Chaldæa nempe & Ægyptiaca (de Indis Sinisque nunc non disputo: quia ipsorum chronologia antiquis Græcis cognita non fuit: fortè tamen & ratio quædam dari poterat ista explicandi.) Descripsit vero res Chaldaicas Berosus Chaldæus, qui circa Alexandri magni tempora floruit, archivis Chaldæorum usus. Idem in Ægypto fecit Manetho: qui suam historiam ex sacris Ægyptiorum (ut ipse ait) literis desumpsit. Utriusque scripta perierunt: lemmata tamen quædam & fragmenta apud Iosephum, ut & Eusebium in Chronico exstant: ex quibus, de operis totius præstantia, judicare licet. Et utinam illa ipsa fragmenta integra, & non corrupta ad manus nostras pervenissent: tum sanè, non tantum operæ in iis explicandis esset ponendum. Nunc cum numerorum ratio sibi ipsi minimè constet, foliis Sibyllæ obscuriora apparent. Sed de his volente Deo accuratius nobis in Epochis erit agendum. Menstruo autem tempore annos ab antiquis fuisse circumscriptos, ex laudatis auctorum locis satis liquere arbitror. Nec tamen in ea sum opinione, annos Patriarcharum qui in scripturis sacris perscribuntur, aut menstruos, aut trimestres quadrimestresvé fuisse. Id enim satis ex scripturis ipsis refutatur. Non ego nunc aliorum argumen-

Medii motus Solis & Lunæ in horis & scrupulis horarum.

TABVLA IV.

Hor.	Solis. ′ ″	Lunæ. gr. ′ ″	Hor.	Motus Solis. grad. ′ ″	Motus Lunæ. grad. ′ ″
1.	0. 2.28.	0. 30.29.	31.	1. 16. 23.	15. 44. 47.
2.	0. 4.56.	1. 0.57.	32.	1. 18. 51.	16. 15. 16.
3.	0. 7.24.	1. 31.26.	33.	1. 21. 19.	16. 45. 45.
4.	0. 9.51.	2. 1.54.	34.	1. 23. 47.	17. 16. 13.
5.	0. 12.19.	2. 32.23.	35.	1. 26. 15.	17. 46. 42.
6.	0. 14.47.	3. 2.52.	36.	1. 28. 43.	18. 17. 11.
7.	0. 17. 15.	3. 33.20.	37.	1. 31. 11.	18. 47. 40.
8.	0. 19. 34.	4. 3. 49.	38.	1. 33. 39.	19. 18. 9.
9.	0. 22. 11.	4. 34. 18.	39.	1. 36. 7.	19. 48. 38.
10.	0. 24. 38.	5. 4.46.	40.	1. 38. 35.	20. 19. 7.
11.	0. 27. 6.	5. 35. 15.	41.	1. 41. 3.	20. 49. 36.
12.	0. 29.34.	6. 5.43.	42.	1. 43. 31.	21. 20. 5.
13.	0. 32. 2.	6. 36.12.	43.	1. 45. 59.	21. 50. 34.
14.	0. 34.30.	7. 6.41.	44.	1. 48. 27.	22. 21. 3.
15.	0. 36.58.	7. 37. 9.	45.	1. 50. 55.	22. 51. 32.
16.	0. 39.26.	8. 7.38.	46.	1. 53. 23.	23. 22. 1.
17.	0. 41.53.	8. 38. 6.	47.	1. 55. 51.	23. 52. 30.
18.	0. 44.21.	9. 8.35.	48.	1. 58. 19.	24. 22. 59.
19.	0. 46.49.	9. 39. 4.	49.	2. 0. 47.	24. 53. 28.
20.	0. 49.17.	10. 9.32.	50.	2. 3. 15.	25. 23. 57.
21.	0. 51.45.	10.40. 1.	51.	2. 5. 43.	25. 54. 26.
22.	0. 54. 13.	11.10.29.	52.	2. 8. 11.	26. 24. 55.
23.	0. 56. 40.	11.40.58.	53.	2. 10. 39.	26. 55. 24.
24.	0. 59. 8.	12. 11.27.	54.	2. 13. 7.	27. 25. 53.
25.	1. 1.36.	12.41.55.	55.	2. 15. 35.	27. 56. 22.
26.	1. 4. 4.	13.12.24.	56.	2. 18. 3.	28. 26. 51.
27.	1. 6.32.	13.42.53.	57.	2. 20. 31.	28. 57. 20.
28.	1. 9. 0.	14.13.21.	58.	2. 22. 59.	29. 27. 49.
29.	1. 11. 28.	14.43.50.	59.	2. 25. 59.	29. 58. 18.
30.	1. 13. 55.	15.14.18.	60.	2. 27. 55.	30. 28. 47.
Scrup.	′. ″. ‴.	′. ″. ‴.	Scrup.	′. ″. ‴.	′. ″. ‴.
″.	″. ‴. IV.	″. ‴. IV.	″.	″. ‴. IV.	″. ‴. IV.
‴.	‴. IV. V.	‴. IV. V.	‴.	‴. IV. V.	‴. IV. V.

TAB. V.

Tabula longitud. & latitud. insignium aliquot locorum: quorum, vel apud antiquos Historicos, vel Mathematicos, mentio fit.

	Tempus.		Longitud.		Latitud.	
Alexandria	h.	'.	grad.	'.	grad.	'.
Ægypti.	4.	2.	60.	30.	30.	58.
Arbela Ass.	5.	0.	80.	0.	37.	15.
Athenæ	3.	31.	52.	45	37.	15.
Babylon.	4.	52.	73.	0.	35.	0.
Corinthus.	3.	25.	51.	15.	36.	50.
Goësa Zeland.	1.	42.	25.	30.	51.	31.
Hafnia Daniæ.	2.	27.	36.	40.	55.	43.
Jerosolyma	4.	24.	66.	0.	31.	40.
Lutetia.	1.	36.	24.	0.	48.	45.
Roma.	2.	26.	36.	30.	41.	56.
Syracusæ.	2.	42.	40.	30.	37.	30.
Uraniburgum.	2.	27.	36.	45.	55.	54.

Habes heic tabulas quinque, quarum I. motus Solis & Lunæ continet, in annis, tam expansis usque ad XX. quam collectis ad VII.M. quo se P. Juliana extendit: ad quam, omnia tempora commodissime certissimeque applicari possunt; & nos in hoc tractatu semper applicabimus. Hanc igitur ob causam ita calculum ordinavimus, ut primus annus sit intercalaris, non quartus, ut vulgo fieri amat: primus namque annus Periodi Julianæ est intercalaris, ut paulo post volente Deo explicabitur. Propter hoc, Epocham quoque Period. Iulianæ, ad calcem tabulæ adscripsimus. Motus namque nullus considerari satis aptè potest: nisi terminum motionis cognitum habeamus. Terminus, Epocha est: hæc enim, tam in Sole, quam in Luna, locum monstrat, in quo initio temporis hujus, aut Periodi hujus hæserunt, vel vere vel per σύληψιν. Huic igitur loco, si reliquorum temporum motus fuerint adjecti, monstrabunt, id quod quæritur, locum nempe Solis medium, & mediam Lunæ à Sole distantiam, dato tempori convenientem. In tabula II. III. & IV. motum Solis & Lunæ, in mensibus, diebus & horis, earumque scrupulis, habes. Denique

Tabula

Tabula V. meridianorum diversitati inservit. Solent Mathematici, in Epochis constituendis, suis quique meridianis uti. Sic Clariss. Longomontanus, omnia φαινόμενα ad suum, hoc est Hasniensem Meridianum revocavit : Lanspergius, ad Goesanum; Petavius, ad Parisiensem. Ego verò, non ad urbis alicujus, aut regionis situm, Epocham direxi: sed primum totius terræ Meridianum, quem ipsa Natura, magnetica vi, monstrat, quemq; Mathematici ferè omnes primum constituunt, elegi : atque juxta illum, Epocham ordinavi. Scio quidem, inter Geographos de hoc non convenire : sed ego Ptolomæi ac cæterorum Mathematicorum placita sequor : cum perinde sit, unde numerare incipiamus: dummodo, vera distantia certò cognita sit. Quoniam verò illi, qui Orientem versus habitant, plures horas numerant, quam qui his sunt occidentaliores, (ut in Sphæricis fit manifestum) addendæ ergo tot horæ erunt, quot cujusque loci tempus monstrat. Hæc omnia, in ipsa Praxi, manifestiora evadent. Usus itaque tabularum hic est. Vis scire, ad datum tempus, locum Solis & Lunæ medium, certo quodam loco: &c. applica tempus Periodo Julianæ, (quod quomodo faciendum sit, postea explicabitur) & cum illo tabulas ingressus, convenientes tempori motus excerpe: queîs in unam summam collectis Epocham adde: summa quæsitum dabit. Velim scire motum Solis & Lunæ, Anno Christi XXXIV. mensis Martii, die XXV. hor. post mediam noctem XI. cum minutis 53′.40″. Annus Christi XXXIV. est P. Jul. 4747. ut postea demonstrabitur. Iam verò, sunt anni 4746. pleni (annus enim 4747. nondum plenus est) & menses duo communes (annus enim XXXIV. Christi est communis, & non intercalaris) & dies XXIV. integri, cum horis XI. & minut. 53′.40″. cui quidem tempori hi motus conveniunt : quorum Epocha, & anni ex tabula prima: mensis ex tabula secunda: dies, ex tabula tertia: horæ denique & scrupula, ex tabula quarta, desumuntur. Et hi quidem omnes motus, sibi invicē additi, dabunt loca Solis & Lunæ, isti tempori convenientia. Prodibit quippe summa :

	Motus Solis.	Motus Lunæ.
	Sex.gr. ′. ″.	Sex.gr. ′. ″.
Epocha P. Julian.	4. 1. 45. 22.	4. 5. 37. 41.
Anni. IV. M.	0. 30. 21. 45.	0. 42. 6. 40.
DCC.	0. 5. 18. 48.	5. 49. 22. 10.
XL.	0. 0 18. 13.	4. 26. 49. 16.
VI.	0. 0. 32. 18	1. 22. 7. 7.
Mensis Febr.	0. 58. 9. 11.	5. 59. 15. 15.
Dies XXIV.	0. 23. 39. 20.	4. 52. 34 41.
Horæ XI.	0. 0. 27. 6.	0. 5. 35. 15.
Scrup. 53′.	0 0. 2. 10.	0. 0. 26. 55.
Secund. 40″.	0. 0. 0. 2.	0. 0. 0. 21.
	5. 59. 34. 15.	3. 23. 55. 21.

Fuit igitur Sol, isto tempore, in Piscium grad. 29'. cum minutis 34'. 15". adeoque minutis saltem 25'. 45". à medio puncto æquinoctiali distabat: quæ differentia, in tabula horaria, sive IV, competit horis 10. minut. 27'. quam proxime. Tot igitur horis æquinoctium medium aberat. Lunæ autem distantia à Sole media erat sexagen. 3. sive signorum 6. grad. 23. 55'. 21". & cum 3. sexagenar. distantia det præcise plenilunium sive oppositionem, sicut sex 0. grad. 0'. min. 0". Novilunium, sive conjunctionem mediam: distabit Luna à puncto plenilunii medii grad. 23. 55'. 21". quæ si per tabulam horariam IV. Lunæ, in tempus convertantur: dabunt horas 47. sive diem integrum & horas 23. cum minutis 5'. 38". &c. Atque hic modus est, ad quodlibet tempus, motus Solis & Lunæ medios calculandi. Si vero, anno quocunque aut tempore dato, scire discupias, quo die æquinoctia aut solstitia media contingant: collige ad initium anni motus medios, quos aufer à sexagenis sex, seu integro circulo: residuum in menses, dies, horasque conversum, tempus æquinoctii verni dabit: cui si, juxta distantiam debitam, dies sufficientes adjeceris, solstitium, cum æquinoctio autumnali & bruma, comparabis. In exemplo priori, motus Solis, ad initium anni antea dati, XXXIV. Christi, sive P. Iulian. 4747. fuit sex. 4. grad. 38. min 15'. 26". ut ex collectione numerorum patet. Hunc numerum si ab integro circulo, sive gradibus 360, hoc est sexagenis. 6. detraxeris: remanebunt sexag. 1. grad. 21. grad. min. 44'. quod in tempus conversum, dabit menses binos cum diebus 24. Ergo 25. Martii æquinoctium contigit, distat vero solstitium ab æquinoctio grad. 90. fit enim istud initio cancr. sicut illud initio Arietis. Hi ergo gradus in tempus conversi, & priori tempori additi, dabunt solstitium ejus anni medium. In tabula mensium numerus 1. Sex. 28 gr. 42'. 30". est, datis 90 gradibus proxime minor, & respondet fini mensis Martii anni vulgaris, sive diebus 90 plenis. Residuus est gradus 1. cum minutis 17'. 30". quæ in tabula horarum dant horas 31. &c. sive diem unum & horas septem. hos igitur 91. dies si 25. Martii adjeceris quo æquinoctium contigerit, habebis solstitium medium in 24. Iunii fere. Quod si Novilunia aut Plenilunia media mensis cujusdam novisse volupe sit: collige, ad initium mensis Iuliani dati, motus medios Lunæ: hos à sexagenis 6. sive integro circulo aufer in noviluniis, à semicirculo in pleniluniis: Residuum tandem tempus plenilunii aut novilunii medii monstrabit. In exemplo priori, velim scire ad annum Christi XXXIV. P. Iulianæ 4747. Mensis Martii Novilunium: Ad initium mensis

Mar-

Martii illo anno hi motus ex tabulis Lunæ colliguntur. Adeoq; Lunæ distantia à Sole deprehenditur, 4. Sex. 25. 18′. 9″. quæ si à Sexageniis 6. sive integro circulo auferantur: residuum dabunt 1. Sex. 34. gr. 41′. 51″. quæ si in tempus convertas: dabunt dies plenos septem, cum

	Sex. gr.	′.	″.
Epocha. P. Julian.	4. 5.	37.	41.
Anni IV. M.	0. 42.	6.	40.
DCC.	5. 49.	22.	10.
XL.	4. 26.	49.	16.
VI.	1. 22.	7.	7.
Initium Martii.	5. 59.	15.	15.
	4. 25.	18.	9.

horis octodecim, minutis 42. &c. Contigit ergo Novilunium medium sub primo Meridiano Martii 8, horis post mediam noctem 18. 42. min. hoc est 6. vespertina nostra, & si Hierosolymitano meridiano applicetur, horis post mediam noctem 23. 6. nam propter meridianorum differentiam adduntur horæ 4. 24. ut in Tab. V. fit manifestum. Contigit ergo Hierosolymis post horam noctis 11. adeoque tum Iudæis 10. Martii inceperat. Et tantum de usu tabularum, deque mediis motibus: quorum usus in sequentibus satis uber erit. Nunc ad tempus revertimur.

Cap. VI.

Annus unde dicatur? quid denotet? Anni Hieroglyphicum. Ἐνιαυτὸς quid? & unde? De menstruis, & quadrimestribus annis antiquorum. Lactantii de iisdem opinio; quæ plerisque doctis probatur. Vberior hac de re disputatio. De annis Patriarcharum antediluvianorum disputatur contra illos, qui menstruos fuisse existimant. Annum Antediluvianorum lunarem fuisse, non accuratum, sed talem qualem Iudæi postea in usu habuerunt. Ejus ratio exponitur. Vnde Sari Chaldæorum originem habuerint? Mensis antiquorum à visione dependebant. Si illa non daretur mensis tricenum dierum erat. Scaligeri, de anno antediluvianorum, opinio diversa examinatur. Locus ex octavo Geneseos. De diebus CL. *queîs aquæ super terram prævaluerunt, explicatur, tam ex*

mente Iudæorum, quam sententia propria. Scaligeri assertio inde refellitur, &c.

MEnsuram temporis, motum perpetuorum corporum esse, Solis præcipue, Lunæ ac Terræ, satis nos antea demonstrasse existimamus. Sicut autem motus duplex est, terræ unus, qui fit super centrum proprium, Solis Lunæque alter in Circulo majori: ita etiam duplex tempus esse debet. Prius diem vocant: de quo satis antea fuit dictum. Posterius annus appellatur. Annus à circuitu dicitur: veteres enim an pro circum ponere solebant; ut Cato in Originibus Oratorum: *An terminum, id est circum terminum: & ambire pro circumire*, referente Macrobio cap. XIV. lib. I. Saturnaliorum. Annus igitur circuitum sive circulum denotare videtur: quod ipsum ex Virgilio confirmatur: *Interea magnum Sol circumvolvitur annum.* Ubi expressis verbis, Solis circulum, quem annuo spacio absolvit, annum vocat. Ita ex anno, annulus deminutivum deducitur: quod circellum, sive parvum annum denotat. Atque optimè nomen hoc tempori motus Solaris & Lunaris competit. Uterque enim isto tempore annum suum, sive cyclum absolvit. Unde & Macrobius loc. laud. Mensem unum, annum Lunæ vocat. *Nam sicut Lunaris annus mensis est, quia Luna paulo minus quam mensem in Zodiaci circuitione consumit: ita Solis annus hoc dierum numero colligendus est, quem peragit, dum ad id signum se denuo vertit ex quo digressus est. Vnde annus vertens vocatur.* Circulum ergo annus denotat. Unde & Ægyptii annum serpente reducto corpore caudam vorante significarunt: ut est apud Martianum Capellam lib. I. de nuptiis Philologiæ: quod ex HoroApolline desumpsisse videtur. Et *hoc idem optime* expressit Claudianus, ubi ita canit: Panegyrico II. in Stiliconem.

Est ignota procul nostraque impervia menti
Vix adeunda Deis annorum squalida Mater.
Immensi spelunca ÆVI. *quæ tempora vasto*
Suppeditat revocatque sinu. Complectitur antrum,
Omnia qui placido consumit numine SERPENS:
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.

Quo etiam respexisse videtur maximus Poetarum Virgilius. lib. Georgicōr II.

In se sua per vestigia volvitur annus.

Græcis ἐνιαυτὸς eadem significatione vocatur: nec Solis saltem cursui, sed

ſed & reliquorum Planetarum, adeoque Lunæ ipſius tribuitur. Plutarchus de Placitis Philoſophorum, lib III, Paragraphum, in quo de tempore motus Saturni, Solis, Lunæ &c. agit, περὶ ἐνιαυτῶν, inſcribit. Locum me anteà adduxiſſe memini, heic igitur adſcribere operæ precium non eſt. Vocatur autem ἐνιαυτὸς quaſi ἐν ἑαυτῷ, ut Plato. in Cratylo, aut ἀπὸ τοῦ εἰς ἓν ἴεναι *quod in unum coeat*, inſtar annuli, ut Arato placet. His igitur motibus annuum tempus antiqui metiebantur. Atque illi quidem, qui in Ægypto vivebant, menſtruo ſpacio annum ſuum abſolvebant, quod ipſum aliæ gentes ſunt imitatæ. Hinc in temporum ratione tanta diverſitas: hinc tot annorum myriades. Plutarchus in Numa Ἐξ ἀρχῆς δὲ χρῆσθαι δέκα μησὶν εἰς τὸν ἐνιαυτόν, ὥς ἔνιοι τῶν βαρβάρων, τρισί, καὶ τῶν Ἑλλήνων, Ἀρκάδες μὲν τέσσαρσιν, ἓξ δὲ Ἀκαρνᾶνες, Αἰγυπτίοις δὲ μηνιαῖος ἦν ὁ ἐνιαυτός, εἶτα τετράμηνος, ὥς φασι. διὸ καὶ νεωτάτην χώραν οἰκοῦντες, ἀρχαιότατοι δοκοῦσιν εἶναι· καὶ πλῆθος ἀμήχανον ἐτῶν ἐπὶ ταῖς γενεαλογίαις καταφέρουσιν, ἅτε δὴ τοὺς μῆνας εἰς ἐτῶν ἀριθμὸν τιθέμενοι. *Romani initio decem menſibus in anno uſi ſunt. Sicut ex Barbaris quidam, tribus, ex Græcis vero Arcades quatuor, Acarnanes vero ſex. Ægyptiis menſtruus annus erat. Poſtea quadrimeſtris, ut dicunt. Ideoque quamvis regionem minime antiquam occupent: antiquiſſimi tamen eſſe cenſentur. Incomprehenſibilem namque annorum multitudinem in Genealogiis, habent, quod menſes pro annis numerent.* Idem iiſdem plane verbis refert Stobæus in Phyſicis cap. XI. Diodorus quoque Siculus lib. I. Bibliothecæ ita diſſerit. Μυθολογοῦσι δὲ καὶ τῶν Θεῶν τοὺς μὲν ἀρχαιοτάτους βασιλεῦσαι πλείω τῶν χιλίων καὶ διακοσίων ἐτῶν, τοὺς δὲ μεταγενεστέρους οὐκ ἐλάττω τῶν τριακοσίων. Ἀπίστου δ' ὄντος τοῦ πλήθους τῶν ἐτῶν, ἐπιχειροῦσί τινες λέγειν, ὅτι τὸ παλαιὸν, οὔπω τῆς περὶ τὸν ἥλιον κινήσεως ἐπεγνωσμένης, συνέβαινε κατὰ τὴν τῆς σελήνης περίοδον ἄγεσθαι τὸν ἐνιαυτόν. Διόπερ τῶν ἐτῶν τριακονθημέρων ὄντων, οὐκ ἀδύνατον εἶναι βεβιωκέναι τινὰς ἔτη χίλια καὶ διακόσια. Καὶ γὰρ νῦν, δωδεκαμήνων ὄντων τῶν ἐνιαυτῶν, οὐκ ὀλίγους ὑπὲρ ἑκατὸν ἔτη ζῆν. *Fabulantur præterea, Deorum antiquiſſimos* CIↃCC, *& poſteriores non minus* CCC *annis regnaſſe. Cum verò fidem excedat hæc annorum multitudo: conantur quidam dicere, antiquos, quibus nondum motus Solis eſſet cognitus, juxta periodum Lunæ annum menſuraſſe: adeoque, cum anni tricenum ſaltem dierum eſſent, facilè fieri potuiſſe ut quis annos* CIↃCC *expleret: quandoquidem nunc etiam, cum anni duodecim menſibus conſtent, multi centeſimum excedant,* &c. Plinius lib. VII. cap. XLIV. *Annum enim alii æſtate unum determinabant, & alterum hyeme: alii quadripartitis temporibus, ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuere: quidam Lunæ ſenio, ut Ægyptii: itaque apud eos aliqui, & ſingula annorum millia vixiſſe produntur.* Eadem in opinione fuiſſe doctiſſimum togatorum Varronem,

Lactan-

Lactantius Institut. lib. II. cap. XII. fidem facit. Sed ipse sententiam hanc rejicit, quando ita loco laudato disputat. *Sic facta hominum vita est temporaria, sed tamen longa, quæ in mille annos propagatur. Quod divinis literis proditum, & per omnium scientiam publicatum, cum Varro non ignoraret: argumentari nixus est; cur putarentur antiqui mille annos vicitasse. Ait enim, apud Aegyptios, pro anno menses haberi, ut non Solis per duodecim signa circuitus faciat annum; sed Luna, quæ orbem illum signiferum, triginta dierum spacio, illustrat. Quod argumentum perspicuè falsum est. Nemo enim tunc millesimum annum transgressus est. Nunc verò, qui ad centesimum perveniunt, (quod fit sæpissimè) mille certe ac ducentis mensibus vivunt. Et auctores idonei tradunt, ad centum viginti annos perveniri solere. Sed quia ignorabat Varro, cur, aut quando, vita hominis esset diminuta: ipse diminuit, cum sciret, mille & quadringentis mensibus posse vivere hominem.* Lactantium plurimi, imò omnes fere docti sequuntur. Ipse quoque Africanus, antiquissimus Pater, idemque in temporum ratione versatissimus, pro fabulis annos istos habet: ut ex ejusdem excerptis apud Eusebium Chronic. lib. I. patet. Sed tamen, antiqua hæc ut manifeste falsa rejicere, nimis durum est: præstaret potius ex istis solidam quandam veritatem conari elicere: Neque enim successum defuturum spero. Duæ enim inprimis gentes sunt, quæ tantam annorum multitudinem prodere videntur: Chaldæa nempe & Ægyptiaca (de Indis Sinisque nunc non disputo: quia ipsorum chronologia antiquis Græcis cognita non fuit: fortè tamen & ratio quædam dari poterat ista explicandi.) Descripsit vero res Chaldaicas Berosus Chaldæus, qui circa Alexandri magni tempora floruit, archivis Chaldæorum usus. Idem in Ægypto fecit Manetho: qui suam historiam ex sacris Ægyptiorum (ut ipse ait) literis desumpsit. Utriusque scripta perierunt: lemmata tamen quædam & fragmenta apud Iosephum, ut & Eusebium in Chronico exstant: ex quibus, de operis totius præstantia, judicare licet. Et utinam illa ipsa fragmenta integra, & non corrupta ad manus nostras pervenissent: tum sanè, non tantum operæ in iis explicandis esset ponendum. Nunc cum numerorum ratio sibi ipsi minimè constet, foliis Sibyllæ obscuriora apparent. Sed de his volente Deo accuratius nobis in Epochis erit agendum. Menstruo autem tempore annos ab antiquis fuisse circumscriptos, ex laudatis auctorum locis satis liquere arbitror. Nec tamen in ea sum opinione, annos Patriarcharum qui in scripturis sacris perscribuntur, aut menstruos, aut trimestres quadrimestresvé fuisse. Id enim satis ex scripturis ipsis refutatur. Non ego nunc aliorum argumen-

gumenta tangam; qui ridiculum esse arbitrantur, hominem quinto aut sexto ætatis anno generare. De Malaleel namque refert scriptura, ipsum annos 65. natum generasse filium Jared; & post annos DCCCXXX. è vivis decessisse, adeoque totos DCCCXCV. annos explevisse. Anni totius vitæ non aliter explicari debent, quam generationis. Si igitur hi menstrui sunt, generaverit Malaleel quinque annos natus: quod absurdum videtur. Sed isti quidem objectioni parata responsio est. Possunt quippe hæc non de menstruis solum annis, sed & quadrimestribus explicari: adeoque XX. annos fuerit natus, antequam generare inceperit. Ut taceam codicum Ebræorum & Græcorum varietatem: hi enim, CLXV. Malaleelis anno, Jaredum generatum fuisse dicunt: ut est apud Eusebium in Chronico statim initio libri I. sub. tit. παρὰ τῶν ὁ ἑρμηνευτῶν: ubi legitur: Μαλαλεὴλ γενόμενος ἐτῶν ρξέ γεννᾷ τὸν Ἰάρεδ, *Malaleel natus annos* CLXV. *genuit Iared.* De centenario addendo consentit Josephus, ἀρχαιολογίας I. cap. IV. quamvis triennio erret: nisi forte librariorum id culpa sit factum. Anni namque saltem CLXII. Malaleeli tribuuntur, cum Jaredum generaret. Sed nos Ebraicam veritatem, cum qua Samaritanus Codex in hoc consentit, minimè sollicitamus. Namque & ista exceptio de tempore generationis satis rejecta fuit. Sed manifesta scripturæ verba, inter se invicem collata, satis indicant, annos Patriarcharum minimè quadrimestres esse. In catalogo Patriarcharum ultimus est Noachus: qui annos quingentos vixisse perhibetur, antequam Semum, Chamum aut Japhetum generaret. Heic sanè ad menstruos, vel quadrimestres annos recurrendum esset: si Patriarcharum anni tales esse deberent. Vixit autem adhuc annos C. & sexcentesimo quidem ipsius anno diluvium incepit: Gen. VII. com. XI. At 601. anno ineunte, finito diluvio, exivit. Annum ergo in arca fuerat, non biennium: multo minus triennium. Sic enim non 601. sed 602. aut 603. ætatis anno egredi debebat. At fuit Noachus in arca ultra decem menses: imo duodecim menses solidos: ut in Epocha Diluvii demonstramus. Si ergo annus iste XII. erat mensium: ergo reliqui ipsius ætatis pares erant. Sed de his satis disputatum est. Operæ precium vero facturos nos speramus: si ex ipsius naturæ ratione tempora antiquorum deduxerimus. Nemini dubium esse poterit, quin simpliciora, & sensibus magis obvia, in usum primis mortalibus sint recepta. Erant verò prisci mortales solaris cursus non satis gnari: Quamvis enim sensibus manifestum sit, solem nunc altiorem incedere, nostroque vertici propiorem esse, nunc longius ab eo remotum: quot tamen diebus

cursum suum absolveret, assequi minimè poterant. Neque enim nunc illud facere possumus: nisi Instrumentis quam accuratissimis, ac insuper variis præcognitis, utpote elevatione Poli, Declinatione maximâ Eclipticæ à Zodiaco, aliisque adjuti. Et id quidem in tanta luce. At sine his præsidiis, ne decem quidem diebus, differentia, in motu Solis, deprehendi potest. Præterea antiqui, annum ab Æquinoctio verno, aut circa, incipiebant, quo orbis conditus fuit: ut postea volente Deo disputabitur. Apogæus vero Locus Solis circa Æquinoctium vernum mundi initio hæsit, ut ex Astronomicis notum. Vid. Longomontanum Theoricorum lib. I. c. III. & Petavium libro IX. de Doct. Temp. cap. VII. At tunc quidem Sol quibusdam diebus nullam in motu differentiam facit, & fere immobilis apparet. Tempus ergo, quo Sol Circulum suum absolveret, exacte cognitum habere non poterant. Ad certitudines igitur temporum determinandas, menstruo potius spacio usos fuisse verisimile est. Cum enim isto cœlo quod nubibus raro obscuraretur facillimè videre poterant, quando Luna, primo, post coitum appareret: nec differentia, nisi unius solum diei ferè, illic dari poterat: facillimum fuit, à prima φάσει Lunæ, ad primam sequentis mensis, dies numerare. Qui certiora tradere volebant, cum viderent in die sæpenumero falli multos posse, dierum numerum signabant: sic enim nullus error subesse poterat. Atque hinc ortum duxere Sari Chaldæorum; de quibus volente Deo in sequentibus. Temporis autem mensuratio, quæ per φάσεις Lunares fiebat, maximè imo sola forte in usu civili erat: quæ & sponte se oculis & sensibus ingerebat, & sine difficultate percipi poterat. Neque periculum erat, ne tempora civilia conturbaret: ipsa enim se ipsam emendabat: &, si uni mensium plures justo dies tribuisset, alteri statim, aut tertio mensi, eosdem dies demebat, anticipatione Lunæ monita. Quamvis vero Solis cursus minimè cognitus esset: monstrabat tamen effectu suo in terris, annuum suum motum. Transiens namque æquinoctium, vernũ tempus constituebat: extremum radens Zodiaci limitem, æstatem dabat: rursum in æquinoctio, autumnum: in Tropico opposito hyemem fecit. Et hæc tempora manifestas quoque in ipsa terra mutationes dederunt. Hinc annum integrum esse voluerunt, quo hæc quatuor tempora, continerentur. Cumque statim post æquinoctium vernum fruges maturescerent: inde annum suum inchoabant. Et quoniam inter duas messes, interdum duodecies, interdum terdecies, Luna appareret & occultaretur: annum aliquando XII. aliquando tredecim mensium fecerunt.

cerunt. Poſtea mandatum fuit, ut tempus Abib ſeu frugum matureſcentium obſervarent, & in illo primum menſem anni conſtituerent. Atque hæc ipſiſſima anni ratio eſt, quam Judæi, à majoribus ſuis acceptam, ſemper retinuerunt: ut in anno Judæorum poſtea dicetur: quam etiam Noacho in uſu fuiſſe, Elias Scripturarius in excerptis Clar. Seldeni his verbis docet: זאת המצוה היתה מימים קדומים מזמן נח ואברהם אבינו ע"ה לקדש הירח &c. *Præceptum hoc ſanctificandi Lunam* (obſervandi Menſes ſecundum φάσιν & quæ inde ſequuntur reliqua) *exſtabat ſeculis antiquiſſimis, temporibus Noachi & Abrahami Patris noſtri, (quibus Pax.)* Ita ergo Patres, menſem annoſque conſtituerunt: ut illos binis Lunationibus, hos gemina meſſe terminarent. Adeoque annus antiquorum Lunaris fuiſſe videtur, non quidem accuratus: ſed talis qualis Judæorum poſtea fuit. Hæc antiquiſſimorum Judæorum opinio eſt: cui etiam ipſa hominum natura atque antiquiſſimarum gentium ritus conſentit. Mens namque humana, primò illa percipit, quæ ſenſibus magis obvia ſunt: poſtea ad accuratiora contendit. Illæ etiam gentes, quibus antiquitas in precio erat, hunc ipſum, obſervandi φάσιν Lunæ, ritum poſtea retinuerunt. De Romanis ita Macrobius Saturnaliorum I. cap. XV. *Priſcis ergo temporibus, antequam faſti, à Cn. Flavio ſcriba, invitis patribus, in omnium notitiam proderentur, Pontifici minori hæc Provincia delegabatur: ut novæ lunæ primum obſervaret aſpectum, viſamque regi ſacrificulo nuntiaret. Itaque ſacrificio à Rege & minore Pontifice, celebrato: idem Pontifex, calata id eſt vocata in Capitolium plebe, juxta Curiam Calabram, quæ Caſæ Romuli proxima eſt, quot numero dies à Calendis ad Nonas ſupereſſent, pronuntiabat, & quintanas quidem, quinquies dicto verbo καλῶ, ſeptimanas, repetito ſepties prædicabat.* Vides in Neomenia conſtituenda ritum Iudaicum: apud illos namque etiam convivium apparatum fuit. Inde ubi Luna viſa erat: Præſes Synedrii etiam proclamabat, ſuũ מקודש &c. Sed de his poſtea. Quoniam verò non ſemper Luna videri poterat, cœlo aliquando nebulis nubibusque tecto: ne ſine tempore incerti vagarentur, menſem unum XXX. diebus circumſcripſiſſe videntur. Continuo quippe uſu & obſervatione didicerant Lunam, poſt φάσιν aliam, cœlo ſereno diutius non latere. Si ergo Luna XXX. die videri non poterat: XXXI. à priori φάσει, diem, Neomeniam ſequentis menſis, conſtituerunt. Atque ſic quilibet menſis XXX. erat dierum, niſi Luna ante appareret: quod quidem iſtis in regionibus, alternis fere contigiſſe videtur. Inde factum arbitror; quod antiquiſſimæ gentes, quæ Lunarem annum, utpote antiquiſſimum, retinere in uſu civili volebant, menſibus tricenariis

usi sint. Græcis namque antiquis, cum Deos consuluissent, quomodo rite sacra facerent: responsum fuit, ut κατὰ τὰ πάτρια *juxta patrios ritus* & morem antiquum sacrificarent. Cumque rursum quærerent, quid esset κατὰ πάτρια θύειν, *juxta patrios ritus sacrificare?* responsum fuit: θύειν κατὰ γʹ, *sacrificare juxta tria*. Explicatum fuit oraculum, ut sacrificarent juxta annum, mensem & dies: annum quidem juxta solem, mensem & diem juxta Lunam. Geminus in Isagoge cap. VI. sive περὶ μηνῶν, de mensibus: τὸ γὰρ ὑπὸ τῶν νόμων καὶ τῶν χρησμῶν παραγγελλόμενον τὸ θύειν κατὰ γʹ. ἤγουν τὰ πάτρια, μῆνας, ἡμέρας, ἐνιαυτοὺς· τοῦτο διέλαβον ἅπαντες οἱ Ἕλληνες τὸ τοὺς μὲν ἐνιαυτοὺς συμφώνως ἄγειν τῷ ἡλίῳ, τὰς δὲ ἡμέρας, καὶ τοὺς μῆνας τῇ σελήνῃ. *Quod enim à legibus & oraculis præcipiebatur, ut sacrificarent secundum tria, sive patria, menses, dies, annos: hoc ita acceperunt Græci omnes, ut annos congruenter agerent juxta Solem: dies vero, & menses, juxta Lunam.* Propositum ergo antiquis Græcis erat menses juxta Lunam agere. At iidem illi mensem XXX. dierum habebant, ut testis est Herodotus in Clio, & Geminus hoc eodem loco: quorum verba in anno Græcorum postea adducemus. Annus igitur Patriarcharum talis fuisse videtur: ut menses à prima φάσει inciperent, si φάσις haberi poterat: sin minus, tum XXXI, à priori φάσει, dies, primus mensis sequentis esset: annus vero à messe dependeret: quæ, si XII. mense expleto, nondum matura esset, integer mensis anno adderetur: adeoque XIII. mensium annus esset. Opponit autem se huic sententiæ Illustriss. Scaliger Lib. III. de Emendat. Temp. tit. de anno priscorum Hebræorum Abrahameo ubi ita disserit: *Mira persuasio non solum Iudæorum, sed hominum pietatis Christianæ, annum priscorum Hebræorum fuisse unicum tantum, qui hodie est, hoc est Lunarem . . . . Sed tamen, si illis ostendero habuisse annum mensibus tricenum dierum distinctum: non habebunt, quare unicum annum lunarem statuant. Nam aut unicum æquabilem habuisse, qualis est Ægyptiacus, aut duos, æquabilem & Lunarem, omnino necesse est.* Demonstrat postea ex scripturis, menses temporibus Noachi fuisse tricenarios. Ita vero ratiocinatur. *Moses scribit diluvium cœpisse* XVII. *mensis secundi: centum quinquaginta dies aquas invaluisse: & diem proximum à centesimo quinquagesimo, hoc est centesimum quinquagesimum primum, fuisse decimum septimum mensis septimi. Iam quadraginta sex dies ante diluvii initium fluxerant, & post, usque ad decrementa aquarum, centum quinquaginta unus: qui fiunt manifesto 197; & per 30. divisi, relinquunt menses sex præteritos.* Inde concludit. *Certè in mensibus tricenum dierum continuis Luna locum habere non potest: neque annus Lunaris esse, qui 365. dies haberet, quos ita in descriptione diluvii æquus lector invenire poterit. Die primo mensis*

mensis decimi hoc est die 271. à capite anni, juga montium nudata sunt, & ex aquis in emersum prodierunt. Expectavit 40. dies Noah, cum jam 311. dies à capite anni fluxissent. Mox emisit corvum, quem libere ire redire permisit, donec aquæ omnino exuctæ fuissent. Non designat hoc longum spacium Moses: sed prudenti lectori ex simili loco conjiciendum relinquit, quantum intervallum illud fuerit. Nam eodem modo, postquam exspectasset septem dies, tunc emisit columbam: & reversam iterum post alteros septem dies emisit. Sic sane alteri quadraginta dies ad illos priores sunt addendi, & sic fient dies 351. Quibus adde XIIII. posteriores, quibus bis Columba emissa. Fiunt sine dubio dies 365. Post illos XIIII. dies, ex quo columba non rediit, ab illa inquam vespera putat diem primum anni sequentis Moses, his verbis statim: Anno uno & sexcentesimo ætatis Noæ prima die primi mensis, aquæ desiccatæ sunt, &c. Sed si contra tot scriptores antiquos, quique melius hæc novisse poterant quam ille, disputare velit: vel negabit ipsorum hypotheses, vel ex iisdem disputabit. Prius non faciet, quia super experientiam longo usu confirmatam ac demonstratam sunt fundatæ. Posterius ergo uti faciat necessum est. Judæi, sicut ex Talmude, aliisque ipsorum libris fit manifestum, non juxta Enneadecaeteridem aliumve Cyclum Neomenias celebrabant, sed juxta φάσιν: ut in anno Judæorum demonstrabitur. Is ritus celebrandi neomenian tamdiu duravit quamdiu synedrium in terra Israelis fuit. Carraim, sive scripturarii, adhuc juxta φάσιν lunæ Neomenias observant & sanctificant. Utraque secta, in aliis satis diversa, in hoc convenit, quod mensis cavus esse nequeat sine φάσει: plenus possit. Si igitur Luna debito tempore visa non fuerit: mensis prior erat XXX. dierum. sin debito tempore, saltem XXIX. Hæc in anno Judaico postea probanda erunt; ubi etiam de insigni differentia inter Carræos & Rabbinos agetur. Conveniunt etiam in hoc, quod non plures in anno pleni menses esse possint, quam VIII. vel juxta Scripturarios X. nec pauciores quam IV. &c. Legitur in codice Erachin, qui est quintus in Seder Kodascim cap. II. אין פוחתין מארבעה חדשים המעוברים בשנה ולא נראה יתר על ח׳ *Non erunt minus, quam quatuor menses intercalares sive pleni, in anno: neque plus, quam octo.* Annus ergo ipsorum non semper erat 354. dierum, sive Lunaris communis; sed interdum 352. interdum 356. pro multitudine mensium plenorum & cavorum. Scripturarii id solum vitare student, ne plures menses pleni sint continui, quam quatuor. Hoc in anno Judaico, stante templo secundo, obtinebat; quod idem Patriarcharum temporibus obtinuisse Iudæi affirmant. Locum ergo Mosaicum ita explicant, & Talmudici & Scripturarii: die XVII. mensis

II ingressus est arcam Noah. die XVII mensis VII quievit arca: & tum quidem Noacho manifestum fiebat, aquas imminui: Diebus ergo 150. prævaluisse aquam Moseh ait, & centesimo quinquagesimo deficere incepisse. Includunt ergo utrumque terminum & 17. mensis secundi & 17. mensis septimi. adeoque si 17. mensis VII. auferatur: restabunt dies 149. qui in V. menses divisi dabunt IV. quidem mensibus, dies XXX. quinto vero, XXIX. Et sane ipsius temporis observatio idem confirmare videtur. Dicunt Iudæi, mensem tricenum fuisse dierum, nisi Luna videretur, aut plures quam quatuor menses pleni continui esse deberent: quod raro imo nunquam contigisse existimaverim, nisi temporibus Diluvii. Videri vero poterat Luna, post mediam zyzygiam, in terra Israelis & circa ista loca XI. horis & dimidia. Sed etiam tum occultari poterat, propter varias causas: utpote quod vel ipsa vel Sol circa Apogæum hæreret, sicut postea disputabitur. Nunquam verò latere poterat ultra 27. horas cum dimidia, post syzygiam mediam, quin videretur. Elias Scripturarius apud Cl. Seldenum, de anno Civil. Veterum Iudæorum CAP. XIII ita concludit: סוף דבר בהיות בין המולד השקיעה יותר מיא׳ שעות וחצי עד עשרים וחמש שעות וחצי אפשר שיראה ואפשר שלא יראה ובהיות בין המולד והערב השלישי יותר מארבעה עשר שעות פחות ששית שעה עד עשרים ושבעה שעות וחצי אפשר שיראה ואפשר שלא יראה ואם יהיה יותר מזה דע שעל כל פנים יראה אם לא יהיה מניעה והנה לפי זה כשיהיה בין השמש והירח במעלות ישרות שמנה מעלות ועשרה ראשונים לא יראה וכל שכן פחות האלה וכשיהיה ביניהם במעלות ישרות ארבעה עשר מעלות על כל פנים יראה וכל שכן יותר: *Summa verborum est: quoties inter coitum Solis & Lunæ mediũ sive æqualem & occasum intercedant horæ XI½. aut quæ usque in XXV½. excrescunt: fieri posse, ut φάσις habeatur; uti & posse fieri, ut non habeatur. Quod itidem dicendũ, si inter coitũ ejusmodi: & Vesperam tertiã intercedant plures quam XIV horæ (sexta parte horæ dempta) aut quæ usque in XXVII. & ½ excrescunt. Quod si harum excessus fuerit horarum, haberi potest omnino φάσις, nisi impediatur. Vnde etiam fit, ut quoties inter Solem & Lunam intercipitur arcus tantum graduum VIII. min 10'. aut minor. φάσις nulla habeatur. Quoties verò arcus ille fuerit graduum XIV. aut major: haberi possit.* Consentiunt ferè cum his Traditionales sive Talmudici, ut ex Maimonide patet, quod postea dicendum erit. Examinemus nunc, juxta rationem hanc, omnia Novilunia, quæ temporibus Diluvii contigere. Generale istud Diluvium incepit anno DC. Noachi ineunte, mense secundo, die XVII. mensis. Iosephus antiquitatum I. dicit, illud contigisse mense Marchesvan apud Ebræos: qui post æqui-

noctium

noctium autumni incidit. Huic consentit Scaliger, qui Tisrin primum mensem ponit. Ex hujus ergo ratiociniis nos argumentabimur. Erat annus P. Iulianæ 2326, ut postea, volente Deo, probatum dabimus: cujus Nisan incepit Babylone, aut circa ista loca, die Aprilis XIII hora à med. nocte X. 22'. 14". æquinoctium medium contigit XI. Aprilis: verum X. Novilunium igitur, quod incidebat post Æquinoctium, sive tempore messis imminente, erat mensis Nisan. Primus ergo Tisri incidit in Octobris septimum. In hunc usum, laterculum apposui XII. Neomeniarum illius anni, à Tisri ad Tisrin numerando. Adscripsi, præter tempus, quo media Syzygia contigit, etiam illud, post quod dubium erat an videretur; & aliud, post quod latere non poterat, nisi nubibus impediretur. Asterismi vero signant, visionem non eodem die sed sequentibus contingere. Ipsa vero quantitas mensiũ ex ratione diei Iudaici dependet. Hoc ergo ita se habet:

Nomina mensium Iudaicorum.	Nomina mensium Iulianorum.	Neomenia media Babylone. Dies	horæ.	min.	sec.	tempus visionis primæ.	tempus visionis necessariæ.	Neomenia mensis Civil.	Quantitas mensium.
		Post mediam noctem.				h. m.	h. '.		
Tisri.	Octob.	VII.	14	46	32	2.16.*	16.16.*	VIII. Octob.	XXIX.
Marchesv.	Novemb.	VI.	3	30	35	15. 0.	5. 0.*	VI. Novemb.	XXX.
Kislev.	Decemb.	V.	16	14	38	3.44.*	17.44.*	VI. Decemb.	XXX.
Tebeth.	Ianuar.	IV.	4	58	41	16.28.	6.28.*	V. Ianuar.	XXIX.
Schebath.	Februar.	II.	17	42	44	5.12.*	19.12.*	III. Februar.	XXX.
Adar.	Martii.	IV.	6	26	47	17.56.	7.56.*	V. Martii.	XXX.
Nisan.	Aprilis.	II.	19	10	50	6.40.*	20.40*	IV. April.	XXIX.
Iiar.	Maji.	II.	7	54	53	19.26.	9.26.*	III. Maji.	XXX.
Siwan.	Maji.	XXXI.	20	38	56	8. 8.*	22. 8.*	II. Iunii.	XXIX.
Tamuz.	Iunii.	XXX.	9	22	59	20.52.	10.52.*	I. Iulii	XXX.
Ab.	Iulii.	XXIX.	22	7	2	9.37.	23.37.*	XXXI. Iulii	XXIX.
Elul.	August.	XXVIII.	10	51	5	22.21.	12.21.*	XXX. Aug.	XXX.
Tisri.	Septemb.	XXVI.	23	35	8	11. 5.*	1.5.**	XXVIII. Sept.	XXIX.
Marchc.	Octob.	XXVI.	12	19	11	23.49.	13.49.*	XXVII. Octo.	

In hac tabula videre licet, qua ratione in anno Lunari tot pleni menses se invicem insequi possunt, debita anni lunaris quantitate minimè immutata. Marchesvan namque mensis die XVII. incepit diluviũ. residui erant XIII. dies, qui cum decimoseptimo quo diluvium incepit dant XIV. quæ addita mensi Kislev, dant dies XLIV: mensi Tebeth, CXXIII. mensi Schebath, CIII. Adar, CXXXIII. quibus si addantur XVIII dies Nisan.

ſan, erunt junctim dies CL. Hinc ergo manifeſtum evadit, quomodo Rabbinorum aſſertio, illæſa ſcripturæ auctoritate, defendi poſſit. Quamvis verò ſatis cōmodè Scaligeri argumentis ita reſponderi poſſet: tamen iſta reſponſio mihi ipſi minime poteſt placere. Cauſa eſt, quod ſcriptura expreſſis verbis diſtinguat, inter tempus illud, quo aquæ prævaluerunt ſuper terram: & alterum illud, quo, imminutis aquis, arca ſuper montes Ararat reſedit. Die XVII. menſis II. (hoc eſt ex mente Ioſephi & Scaligeri Marcheſvan) incæpit pluvia: & continuavit dies quadraginta. Poſtea non ita continuo pluvit: interruptis tamen vicibus, uſque ad finem CL. dierum, multæ aquæ deciderunt. Tum enim pluvia inhibita fuit. Gen. VIII. commate. 23. Et per has pluvias, ut & rupturas fontium Abyſſi, ita aquæ multiplicatæ ſunt, ut montes omnes tegerentur, ac XV. ulnis aquæ montibus eſſent altiores: quod facillimè poſtea obſervare poterat Noachus in ipſa arca. Hæc namque XXX. cubitos alta, dimidia parte aquis immerſa fuerat: & cum in Cacumine altiſſimi montis Ararat ſive Tauri, imminutis aquis conſiſteret: facile apparebat, aquas ipſas iſtius montis cacumen, XV. cubitis exceſſiſſe. Prævalebant vero aquæ ſuper terram, ut nihil quidem imminui ſentirentur, CL. diebus. Poſt dies illos CL. imminui apparebant: eo quod arca, quæ antea fluctuabat, immota maneret: quod contigiſſe refert XVII. die menſis VII. commate 4. cap. VIII. At verſu 3. dicit, quod aquæ minui cæperint מקצה חמשים ומאת יום, *in fine quinquaginta & centum dierum*: & tum ſtatim arcam quieviſſe ſubjungit; ergo arca primum quievit poſt exactos CL. dies: & quia dies quietis arcæ erat XVII. menſis VII: ergo XVII. menſis VII. erit dies CLI. adeoque II. III. IV. V. VI. menſes erant omnes *τριακονθήμεροι* & pleni. Nec tamen ideo ſententia Scaligeri, ullo modo confirmatur: diximus namque antea, antiquos, ſi Lunam videre non poſſent, menſem XXX. dierum conſtituiſſe: ſi verò vidiſſent; à prima *φάσει* ſequentem menſem fuiſſe auſpicatos. Iam vero, XVII. die menſis ſecundi, pluere incæpit: & aquæ non ſunt retentæ ante finem CL. dierum. Quamvis enim diebus ſaltem quadraginta pluviſſe dicatur: id tantum de continua pluvia intelligendum erit, ut antea monuimus. Cœlum ſane CL. diebus pluvioſum fuiſſe, nemo mihi negabit. Iſtis ergo diebus, Lunam videre Noachus non poterat. Secundum ergo menſem III. item & IV. quintumque ac ſextum, tricenarios facere coactus fuit: quod Luna nuſquam videretur. Poſt XVII. diem menſis VII. aquæ detentæ ſunt: Sol liberius radios diffundebat: quo aquas eo melius exſiccaret. Ac poſtea

cœlum

cœlum ſerenum fuit : Tum igitur Lunam videre poterat. Recurramus nunc ad prius Laterculum, in quo Neomenia Marcheſvan incidit in VI. Novembris. XVII ergo dies menſis Marcheſvan erit XXII. Novembris. Hoc ergo die incepit pluere. Adde dies CL. habebis diem XXI. Aprilis diei XVII. Niſan ſive menſis VII. convenientem. Vidit autem Noachus Lunam III. Maji neceſſario, cœlo ſereno, ut tum fuit. Ergo inde VIII. menſem incepit, & prior menſis ſaltem XXVIII. dierum fuit: inde menſes alterni Pleni & Cavi, quod Luna iſtis temporibus videretur: ut in laterculo habes. Hinc ergo totius anni quantitatem elicere facile erit. Primus namque menſis, XXIX. dierum erat. Poſt eum quinque pleni ſive dierum XXX. dant dies CLXXIX. Menſis VII. eſt dierum XXIIX. ſequens dierum XXX. ſecundo namque Iunii Luna viſa fuit. IX menſis eſt dierum XXIX. Iulii namque I. die viſa Luna Neomeniam, menſis X illic conſtituit. X. menſis eſt dierum XXX. XI dierum XXIX. XII dierum XXX. Summa omnium dier. CCCLV. Is ergo annus decem diebus ſolari minor erat, quod ipſum pulchre in ipſa ſcriptura monſtratur. Volebat namque Deus ter maximus, ut eodem in ſtatu, terras Noachus deprehenderet, quo reliquerat. Eodem ergo die, juxta Solis rationem, (unde omnia in terris dependent) quo ingreſſus erat, etiam egredi debebat: ideoque, cum XXII. Novembris ingreſſus fuiſſet: etiam XXII. Novembris egredi debebat. At dies ille fuit XXVII menſis II. Neomenia Tiſri incidit in Septembr. XXVII, ut ex laterculo patet. & Marcheſvan I. eſt XXVII. Octobris Unde XXVII. Marchesvan. erit XXII. Novembris. Hæc ergo genuina anni ratio erat. Quomodo vero Scaliger ſummam iſtam dierum 365. conficiat, non ſatis percipio. Quis enim ipſum docuit, 46. dies à capite anni ad diluvii initium effluxiſſe. Hypotheſis illa Scaligeri eſt; à nemine unquam, niſi Scaligero & qui eum ſequuntur conceſſa. Hinc tota argumentatio, de ſenis menſibus tricenariis, corruit. Sed abſurdior altera argumentatio, de diebus 40. Dicit, *die primo menſis X. hoc eſt 271. à capite anni*: hoc unde probat? Dies primus menſis X. incidit in I Iulii Iuliani. Ab VIII Octobris, ſive Neomenia Tiſri, ad I Iulii incluſive ſunt dies ſaltem 267. Differentia dierum IV. Hæc ergo probaſſe oportuit, non pro conceſſis ſumere: præſertim ubi tot ac tam antiquos ſcriptores, quique rectius hæc noviſſe poterant, quam ipſe, refutare conatur. Sed extrema verba non ſatis percipio. *Expectavit 40 dies Noah cum jam 311 à capite anni fluxiſſent. Mox emiſit corvum, quem libere ire redire permiſit, donec aquæ omnino exuctæ fuiſſent. Non deſignat hoc longum ſpacium Moſes, ſed prudenti lectori*

 ex ſi-

ex simili loco conjiciendum relinquit, quantum intervallum illud fuerit. Nam eodem modo postquam exspectasset septem dies tum emisit columbam, & reversam iterum post alteros septem dies emisit. Sic sanè alteri quadraginta dies ad illos priores sunt addendi, & sic fient dies 351. Quibus adde XIV. *posteriores quibus bis columba fuit emissa. Fiunt sine dubio dies 365.* Videtur sane statuere, 40. dies post corvum, primam columbam fuisse emissam: idque bis saltem fuisse factum. Scriptura vero aliter disputat. Dicit, 10. die mensis primi, cacumina montiũ apparuisse: 40. dies postea, Noah fenestram arcæ apperuit, & emisit corvum, qui non reversus fuit. Postea columbam emisit: quæ, cum locum non inveniret, ubi pedem figeret, reversa est ad Noachum. Postea inquit scriptura expectavit alios septem dies, ויחל עוד שבעת ימים אחרים ויוסף שלח *& expectavit adhuc alios* VII. *dies, & adjecit sive perrexit emittere, hoc est iterato emisit columbam.* Quid aliud denotat Phrasis illa, *expectavit alios* VII. *dies*, nisi VII. dies antea quoque ipsum expectasse, quam columbam emitteret? Ita enim versu 12. explicatur, *& exspectavit adhuc alios* VII. *dies*, &c. Manifestum est, septem illum dies post emissum corvum exspectasse, & tum emisisse columbam: quæ postquam reversa fuerat, rursum post alios VII. dies fuit emissa. Quod idem post alios septem dies factum fuit, & tum columba reversa non est. Dies igitur à corvo emisso, ad ultimam columbæ emissionem, postquam reversa non fuit, sunt universim XXI. ut nesciam unde 54. illos dies exsculpat. Quia vero Neomenia Tamuz sive mensis X. quæ incidit in Iulii I. capita montium apparebant: ergo 40. dies post, hoc est, IX. vel X. Augusti corvus avolavit: & si XXI. dies adjeceris; Columba ultimo emissa fuerit Augusti XXXI. qui est Elul, sive mensis XII. dies II. Residui ex anno erant dies XXVIII. Verba igitur ista, *& fuit anno* DCI, *primo die, mensis primi, terra arefacta fuit*, non sunt ita explicanda, quasi immediatè columbæ emissionem ista fuerint secuta: non magis, quam ista, *& emisit corvum, & non reversus est: & misit columbam, &c*, commate 7. & 8. de continuis diebus erunt intelligenda: inter quæ tamen Scaliger 40. dierum ponit discrimen, nos ex scripturis VII. dierum διάστημα deduximus. Notandum vero est, terram, cum columba ultimò emitteretur, aridam totam non fuisse, sed adhuc aquis ex parte tectam: Avis tamen una aut altera facile illic vivebat, quippe quæ in arboribus latere, & in cacuminibus montium victum quærere poterat. Tandem vero 28. diebus post, die nempe I. Tisri, Septembris mensis XXVII. aquæ exsuctæ fuerunt. Et tum terræ aridæ apparebant, adhuc tamen limosæ & desolatæ: nihil enim

illic

illic tum erat, unde homines aut bestiæ vivere poterant. Unde scriptura optime illud exposuit per vocem חרב, quod & arescere, & desolatum esse denotat. Hanc ob rem Deus LVI. dies adhuc Noachum in arca detinuit, & tum demũ, elapso integro anno Solari, in terras emisit. Et hactenus ex mente Scaligeri disputavimus: quid ipsi de Epocha diluvii sentiamus, postea dicemus. Stat igitur immota prior nostra, de anno Lunari antiquorum assertio: quæ Orientalium ac præcipue Judæorum, quibus maxima his in rebus fides, assertione confirmatur. Caput vero anni quod attinet, de eo heic nil dicere interest. Explicabitur illud, tum in anno Judaico, tum postea tractatu de Epocha Orbis conditi. Mansit autem, multis seculis, hæc eadem anni ratio penes Orientales, Iudæos præcipue & Arabas: ejusdemque vestigia, satis manifesta, apud gentes Occidentales, exstant. Hinc enim menses Græcorum τριακονθήμεροι fuere nati, ut in sequentibus dicetur. Postea vero, cum nimis vulgaris & incerta hæc ratio videretur: alia excogitata fuit, quæ à media Synodo procederet. Et cum Græci Oraculo moniti, menses secundum Lunam, annos secundum Solem, agere deberent; ut antea dictum fuit: variis modis, lunarem anuum Solari applicare conati sunt: indeque Cycli varii originem habuere, ut trieteris, octaeteris, Heccaidecaeteris, & demum Enneacaidecaeteris; quæ omnium optima fuit, & in qua saltem 1. horæ & 28. min. discrimẽ, inter Solis Lunæq; rationes erant. De his igitur, ut & de temporis inter se collatione, paucis nobis sequenti capite erit agendum.

CAP. VII.

De Cycli Lunaris Origine. de Trieteride, Octaeteride, Enneacaidecaeteride. hujus ratio explicatur. De Cyclo Metonis, & emendatione Calippi. Cyclorum Lunarium in Ecclesia usus. Origines & causæ dissidii Christianorum in celebrando Paschatis festo, à primis principiis deducuntur. Eusebius emendatus. Canones Apostolorum Epiphanio non fuisse visos: nec genuinos esse. Alexandrini Enneacaidecaeteride usi sunt ante Nicænum Concilium. Anatolii difficillimus locus explicatur, ibidemque Petavii opinio examinatur. Differentia inter Cyclum Anatolii, Alexandrinum, Dionysii, & Latinum. Cur Cyclus Alexandrinus triennio Latinum anti-

ticipet? Cycli solaris constructio, & vulgaris ejusdem Epochæ ratio. Alius Cyclus proponitur naturæ magis conveniens. Ejus usus declaratur; methodusque inveniendarum feriarum in annis, mensibus, diebus exponitur. &c.

TEmpus omne, vel in se consideratur: vel respectu eorum, quæ in tempore geruntur. In se, sive juxta naturam suam consideratum, duplici se modo sensibus offert. Vel enim natura saltem ejus explicatur: sicut ratio anni, mensis &c. in prioribus fuit explicata: vel etiam cum alio tempore confertur, & quæ inter hæc duo ratio sit, explicatur. Exposuimus autem hucusq; naturam temporum; quid nempe sint dies, menses, anni: nunc quam χέσιν inter se habeant videbimus. Primum vero mensium, & qui hinc nascuntur annorum lunarium ad Solarem annum rationem tractabimus: Inde hunc cum diebus conferemus. Veteres in Græcia civitates, cum viderent, Lunam in anno interdum terdecies oriri, idque persæpe alternis fieri; ex duobus annis unam Periodum instituere: in qua unus XII erat Lunationum: alter XIII. Ipsam vero Periodum, quod tertio quoque anno recurreret, Trieterida vocarunt. Deprehensum vero postea fuit, Periodum istam cum cœlo non convenire. Aliam igitur, rationibus Solis, Lunæque, magis convenientem quæsivere. Ac primum se obtulit Octaeteris: in qua rationes Solis & Lunæ optime convenire videbantur. Nec sanè magna in uno Cyclo differentia fuit. Lunæ quippe rationes, saltem uno die cum semisse, Solis rationes vincunt. Id vero, antiquis illis, adeo observatum non fuit; quin octaeteris & in temporum usum civilem admitteretur, & diutissime in eodem esset. Sed posteaquam à peritis animadversum est; nimium in Octaeteride aberrari: quippe in binis octaeteribus differentia trium dierum erat, & sic in reliquis: aliam Meto Adtheniensis adinvenit, quam Enneacaidecaeteridem nuncupavit. De Heccaidecaeteride heic nihil dico: quod illa binis saltem Octaeteribus constaret. Habent vero novendecim anni Lunares dies 6939. hor. 16. 32′. 24″. Etenim, cum mensis medius sive æqualis sit dierum 29. horar, 12. 44′. 3″. 12‴. ut antea definivimus: Annus igitur Lunaris simplex qui XII. lunationibus absolvitur, erit 354 dierum, horarum 8. 48. 38. adeoque Novendecim tales anni erunt dierum, 6732. 23. horarum, cum 24′. 2″. Sed quoniam annus Solaris lunari major est diebus 10. cum horis 21. 11′. 22″. excrescunt hi dies, III annis, ultra XXX dies sive integram luna-

lunationem: adeoque in annis III. erunt lunationes XXXVII. & mensis integer tertio anno infindetur. Et hoc septies in annis XIX. contingit, ut Solis superflui dies Lunę rationes excedant: sicut ex calculo patet. VII igitur menses, novendecim annis lunaribus erunt addendi, ad solis rationes exæquandas. Adde igitur prioribus 6732 diebus, 23 hor. 24′. 2″. dies 206. horas 17. 8′. 22″. prodibit quantitas XIX annorum Lunarium, dierum 6939. hor. 16 32′. 24″. Novendecim vero anni Solares (quatenus 365. dies. horæ 6. sine scrupulis appendicibus, communiter, pro anno Solari, adhibentur) erunt dies 6939. cum horis 18. De Metonico invento nunc non disputo, sed saltem rationes Solis & Lunæ confero. Est vero excessus anni Solaris supra dies 365, non 6. horarum: sed saltem 5. cum scrup. 49′ quam proximè. Detrahenda ergo sunt, anno Iuliano sive communi Solari, scrup. horaria 11′. quæ in XIX. annis faciunt horas 3. cum minutis 29′. quæ si à priori summa 6939. 18. hor. auferantur, relinquunt horas 14. cum scrup. 31. Minores ergo sunt anni Solares XIX. Lunaribus totidem hor. 2. & scrup. 1′. 24″. Majores vero vulgares Iuliani, totidem Lunaribus hora 1. 27′. 36″. Sed Meto minutias illas persecutus non fuit: neque enim tum cognitum erat, annum Solis 365. diebus, horis 6. esse minorem. Imo & gravius erravit. Nam cũ in annis Iulianis XIX. tantum intercalandi essent 4. dies & horæ 18: is, nullo senum horarum habito respectu, 5 solidos dies addidit. Adeoque Cyclum suum constituit 6940. dierum præcise. Sed sex horæ istæ in IV. Cyclis sive annis LXXVI. integrum diem dabant, quem sustulit Calippus, docens in quatuor Metonicis Cyclis diem detrahi debere. Hæc Cyclorum ratio in anno Græco fuit; quæ postea ad Ecclesiæ usum est accommodata. Nam & Octaeteride, & Heccaidecaeteride, & demum Enneacaidecaeteride, prisci Christiani ad Paschatis festivitatem investigendam usi sunt. Et cum diu in Ecclesia Christi quæsitum erat, qua ratione Pascha ritè celebrari deberet: tandem in Concilio Nicæno definitum fuit: ut die Dominico, qui primum, post Æquinoctium vernum, plenilunium, proxime sequeretur, Pascha ageretur. Et ne de Plenilunio rursum disputatio oriretur: Alexandrinis, inter omnes, tum Christianos, sideralis scientiæ peritissimis, id negocii datum fuit: ut Epiphaniarum die, Christiano Orbi, per literas, imminentis Paschatis tempus significarent. Etenim, cum magna animorum contentione quæstio hæc de Paschate antea fuisset mota; magnarumque litium ac malorum causa in Ecclesia Dei exstitisset, summa vi adnitendum sibi existimarunt, ut hæc è medio tolleretur; ne Ecclesiam Dei in partes scinderet.

deret. Quoniam verò, inter omnes quæſtiones, quæ inter Catholicos motæ fuerunt, nulla nobilior ſit, quam quæ de Paſchate agit: nos illam à primis principiis deducemus. Apoſtolos Domini & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti, primis, poſt glorioſiſſimam Magiſtri aſcenſionem, temporibus, in ea fuiſſe opinione, quod ſolis Judæis verbum Dei annunciari deberet: ſatis ex Actis Apoſtoorum apparet. Cur enim Petrum objurgaſſent, quod Gentilibus verbum Dei annunciaſſet: niſi perſuaſum habuiſſent, ſicut vetus ita & novum fœdus, cum ſolis Iudæis fuiſſe factum? Poſtea quamvis voluntatē Dei, de Gentium vocatione, melius eſſent edocti: Gentiles tamen ad Iudæorum ritus conformare allaborabant. Id certum eſt, multa imo omnia ferè Iudæorum illos retinuiſſe, ut Iudæos lucrifacerent. Sic Paulus, qui ipſe in Epiſtola ad Galatas dicit, eum qui circumcidatur, reum eſſe totius legis: Timotheum tamen in gratiam Iudæorum circumcidit. Atque ſic Sabbatha, aliaſque ſolemnitates, cum Iudæis celebrabant. Unde ſanctus Iohannes, aliique Apoſtoli, qui in Aſia inter plurimos Iudæos vixerunt, Paſcha Iudæorum more ſemper obſervarunt. Teſtatur id Irenæus, Epiſtola ad Victorem Epiſcopum Romanum, quæ exſtat apud Euſebium, Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. v. cap. κϛ'. οὔτε γὰρ ὁ Ἀνίκητος τὸν Πολύκαρπον πεῖσαι ἐδύνατο, μὴ τηρεῖν, ἅτε μετὰ Ἰωάννου τοῦ μαθητοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, καὶ τῶν λοιπῶν Ἀποστόλων, οἷς συνδιέτριψεν, ἀεὶ τετηρηκότα. *Neque tamen Anicetus Polycarpo perſuadere poterat, ut iſtum ritum* (celebrandi Paſchatis) *omitteret, quem cum Ioanne Diſcipulo Domini noſtri & reliquis Apoſtolis (quibus cum vixit) obſervaverat,* &c. Polycrates vero, qui Synodo Quartadecimanorum in Aſia præfuit, ita in Epiſtola ad Victorem loquitur. Ἡμεῖς οὖν ἀῤῥαδιούργητον ἄγομεν τὴν ἡμέραν, μήτε προστιθέντες, μήτε ἀφαιρούμενοι. καὶ γὰρ κατὰ τὴν Ἀσίαν μεγάλα στοιχεῖα κεκοίμηται (ἅτινα ἀναστήσεται τῇ ἡμέρᾳ τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου, ἐν ᾗ ἔρχεται μετὰ δόξης ἐξ οὐρανῶν, καὶ ἀναστήσεται πάντας τοὺς ἁγίους) Φίλιππος εἷς τῶν δώδεκα Ἀποστόλων, (ita locum emendo. vulgo legitur, Φίλιππον τὸν δώδεκα Ἀποστόλων, nullo cenſu: alii εἷς τῶν ἑπτὰ διακόνων legendum putant; ſed omnes editiones priorem lectionem probant: nec conſultum eſt tantam heic mutationem facere, nulla præſertim neceſſitate cogente) ὃς κεκοίμηται ἐν Ἱεραπόλει, καὶ δύο θυγατέρες αὐτοῦ γεγηρακυῖαι παρθένοι, ... ἔτι δὲ Ἰωάννης ὁ ἐπὶ τῷ στήθει τοῦ Κυρίου ἀναπεσών, ὃς ἐγενήθη ἱερεὺς, τὸ πέταλον πεφορεκὼς, καὶ μάρτυς καὶ διδάσκαλος ...... οὗτοι πάντες ἐτήρησαν τὴν ἡμέραν τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης τοῦ Πάσχα κατὰ τὸ Εὐαγγέλιον, μηδὲν παρεκβαίνοντες, ἀλλὰ κατὰ τὸν κανόνα τῆς πίστεως ἀκολουθοῦντες. *Nos igitur integre ac incorrupte diem obſervamus, neque aliquid apponentes, neque detrahentes. Nam & in Aſia præclaræ iſtæ Eccleſiæ columnæ obdormiverunt, (qui reſurgent die adven-*

adventus Domini, quando veniet cum gloria è cœlis & resuscitabit sanctos) Philippus unus duodecim Apostolorum, qui sepultus est Hierapoli, & duæ filiæ ipsius quæ virgines consenuerunt, ... & Iohannes qui super pectus Domini recubuit, qui fuit sacerdos & laminam gestavit, qui fuit Martyr & discipulus, ... hi omnes observarunt diem Paschatis, XIV. luna, juxta Evangelium, nulla ratione transgressi, sed canonem fidei sequuti. Qui vero in Occidentem pervenerunt Apostoli, cum Iudæos illic lucrifacere non possent; Christiana libertate usi sunt, gentibusque mandatum dederunt, Pascha, die Solis sive feria prima, celebrandi. Irenæus loco citato: οὔτε μὴν ὁ Πολύκαρπος τὸν Ἀνίκητον ἔπεισε τηρεῖν, λέγοντα, τὴν συνήθειαν τῶν πρὸ αὐτοῦ πρεσβυτέρων ὀφείλειν κατέχειν. *Neque Polycarpus Aniceto persuasit, (ut Pascha cum Asiaticis celebraret.) quod hic morem à Presbyteris antecessoribus suis observatum retineri debere contenderet.* Atque sic utraque secta antiquitatem & traditionem Apostolicam suæ opinioni prætexebat. Socrates lib. Hist. Eccl. v. cap. κβʹ, ubi de hac materia diductius agit, ita loquitur: τεσσαρεσκαιδεκατῖται δὲ φασὶν ὑπὸ Ἰωάννου τοῦ Ἀποστόλου τὴν παρατήρησιν τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης παραδεδόσθαι αὐτοῖς. οἱ δὲ κατὰ τὴν Ῥώμην, καὶ τὰ ἑσπέρια μέρη, τοὺς Ἀποστόλους Πέτρον καὶ Παῦλον τὴν ἐκεῖ παραδεδωκέναι συνήθειαν λέγουσιν. ἀλλ' οὐδεὶς μὲν τούτων ἔγγραφον ἔχει παρασχεῖν τὴν περὶ τούτων ἀπόδειξιν. *Tessarescaidecatitæ eum observandi morem à Ioanne Apostolo sibi traditum dicunt. qui autem Romam & alias partes Occidentis incolunt, Petrum & Paulum Apostolos, consuetudinem, quam tenent, sibi reliquisse affirmant. Verum nemo istorum omnium scriptum de his rebus testimonium proferre potest.* Postrema hæc verba ex Epihanio argui posse videntur. Is enim hæresi LXX. quæ est Audianorum, num X. Εἰς τοῦτο δὲ οἱ αὐτοὶ Αὐδιανοὶ προφέρουσι τὴν τῶν Ἀποστόλων διάταξιν, οὖσαν μὲν τοῖς πολλοῖς ἐν ἀμφιλέκτῳ ἀλλ' οὐκ ἀδόκιμον ..... τὸ δὲ ῥητὸν ἀφ' οὗ λαμβάνοντες περὶ τοῦ Πάσχα κακῶς παρερμηνεύουσιν οἱ προειρημένοι, καὶ ἀγνοοῦντες ἑτέρως ὑπολαμβάνουσιν. ὁρίζουσι γὰρ ἐν τῇ αὐτῇ διατάξει οἱ Ἀπόστολοι, ὅτι, ὑμεῖς μὴ ψηφίζετε, ἀλλὰ ποιεῖτε ὅταν οἱ ἀδελφοὶ ὑμῶν οἱ ἐκ περιτομῆς. μετ' αὐτῶν ἅμα ποιεῖτε. *Audiani vero, (qui 14. Luna Pascha celebrabant, ut antea num. 9. docuerat) ad institutum suum quandam ex Apostolorum constitutione auctoritatem accommodant. Qui liber tametsi dubiæ apud multos fidei sit, non est tamen improbandus .... Sed quod ad locum illum attinet, quo suam de Paschate sententiam firmare conantur, hunc illi perperam interpretantur & ad alienum sensum per inscitiam traducunt. Etenim Apostoli in illa constitutione ita definiunt. Vos, inquiunt, temporum rationes ne subducite: sed eo tempore celebrate, quo frates vestri qui ex circumcisione prodierunt. Cum iis itaque Pascha peragite.* Non ergo scripto testimonio Tessarescadecatitæ carebant: siquidem ex Apostolorum decretis sive Canonibus opinionē suam

ſuam confirmarent. Nec eos ſolidè refutat Epiphanius quid enim argutia illa in vocibus ἐκ & ἐν? Qui ἐν περιτομῇ, hoc eſt, qui, Epiphanio Interprete, Iudæi adhuc erant, fratres vocari non debebant. Opponit ergo Canon τοὺς ἐκ περιτομῆς τοῖς ἐν ἀκροβυστίᾳ, &c. Solidior igitur altera reſponſio eſt: quæ Canones iſtos in dubium vocat. Et ſane, canones Apoſtolorum, qui vulgò circumferuntur, non eos eſſe, cujus meminit Epiphanius, exinde liquet: quod nec verba ipſa, nec ſenſus verborum, quæ heic adducit, in noſtris exſtant. Contra ſententia Nicæni Synodi manifeſtis verbis in noſtris proponitur. Canone namque VIII. diſertis verbis Conſtitutiones mandant: ne Paſcha, ante æquinoctium, ἢ μετὰ τῶν Ἰουδαίων, *aut cum Iudæis* (ita enim legendum: non ut in vulgatis, omiſſa particula ἢ, ſi Apoſtolorum temporibus convenire debeant: neque enim tum Judæi ante æquinoctium Paſcha celebrabant, (ut poſtea dicemus.) agerent; quod Teſſareſcadecatitarum opinioni manifeſte adverſatur: hi enim cum Judæis celebrabant. Canones igitur Apoſtolorum, qui vulgo circumferuntur, Epiphanio viſi non ſunt. Unde nec mirum, quod admodum Reverendus D. Doctor Brochmannus, Selandiæ Epiſcopus, Canones iſtos pro ſpuriis rejiciat, in Lychno Λόγου προφητικοῦ Sectione III. cap. V. quem vide. Prævaluit tamen, per univerſum Occidentem, imò & alias terræ partes, ſententia de Paſchate, primo die Dominico poſt Plenilunium Niſan, celebrando: ut patet ex Epiſtola Conſtantini Magni ad Eccleſias. Exſtat apud Euſebium in vita Conſtantini lib. III. cap. XVIII. Ἐστι δὲ τάξις εὐπρεπὴς ἣν πᾶσαι αἱ τῶν δυτικῶν τε καὶ μεσημβρινῶν καὶ ἀρκτῴων τῆς οἰκουμένης μερῶν παραφυλάττουσιν ἐκκλησίαι, καί τινες τῶν κατὰ τὴν ἑῴαν τόπων. οὗ ἕνεκεν, ἐπὶ τοῦ παρόντος, καλῶς ἔχειν ἅπαντες ἡγήσαντο, καὶ αὐτὸς δὲ τῇ ὑμετέρᾳ ἀγχινοίᾳ ἀρέσειν ὑπεσχόμην, ἵν᾽ ὅπερ δ᾽ ἂν κατὰ τὴν τῶν Ῥωμαίων πόλιν τε καὶ Ἀφρικὴν, Ἰταλίαν τε ἅπασαν, Αἴγυπτον, Σπανίας, Γαλλίας, Βρεττανίας, Λιβύας, ὅλην Ἑλλάδα, Ἀσιανήν τε διοίκησιν, καὶ Ποντικὴν, καὶ Κιλικίαν, μιᾷ καὶ συμφώνῳ φυλάττεται γνώμῃ, ἀσμένως τοῦτο καὶ ἡ ὑμετέρα προσδέξηται σύνεσις. *Eſt verò modus ille eximius ac decorus ſervandus, quem omnes Eccleſiæ ſervant, quæ Orbis partes vel verſus Occidentem, vel verſus Meridiem, vel verſus ſeptentrionem ſitas incolunt, ac nonnullæ quoque, quæ in locis ad Orientem ſpectantibus habitant: idcirco in præſentia hoc recte omnes ſe habere arbitrati ſunt: Ipſeque etiam in me recepi, veſtram ſapientiam facile aſſenſuram: quod in Vrbe Roma, in Africa, in Italia, tota Ægypto, Hiſpania, Gallia, Britannia, Libya, tota Græcia, in diœceſi Aſiatica & Pontica, & Cilicia, una & conſentiente ſententia conſervatur: id etiam veſtram ſapientiam libenter approbaturam.* Concluſum tandem in Concilio Nicæno fuit, ut omnes

eodem die Pascha celebrarent. Ut vero Pascha sibi perpetuo conveniret: tria legitimi Paschatis κριτήρια Nicæni Concilii Patres ordinarunt: nempe ut Dominica, quæ, primũ, post æquinoctium vernum, plenilunium, immediate subsequeretur, festivitas Paschalis celebraretur. Epiphanius hæresi LXX. sive Audianorum: Ἐκ τριῶν γὰρ συνέστηκεν ὁ τοῦ Πάσχα σύνδεσμος, ἔκ τε τοῦ ἡλιακοῦ δρόμου, διὰ τὴν Κυριακὴν καὶ τὸν μῆνα, ἔκ τε τοῦ σεληνιακοῦ δρόμου, διὰ τὸ κατὰ τὸν νόμον, ὅπως ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῆς σελήνης τυθῇ τὸ Πάσχα, ὥς εἶπεν ὁ νόμος. οὐκ οὖν δύναται ἀχθῆναι ἐὰν μὴ ὑπερβῇ ἰσημερία. *Tria enim sunt præcipuè quibus Paschatis celebritas alligatur. Solis imprimis cursus propter Dominicam, ac mensem. Tum Lunæ itidem cursus, idque propter legem, quæ decima quarta Luna immolari Pascha præcipit: Itaque neque celebrari antea potest, quam Æquinoctium confectum sit.* Duobus igitur Cyclis, Christianis opus erat, ad Paschatis festum ritè celebrandum: uno qui motus Solis Lunæque, altero qui ferias monstraret. Ad priorem usum, varii Cycli sunt adhibiti. Et Hippolytus quidem Octaeteride usus fuit: quam postea Dionysium Alexandrinum emendasse, Cl. Petavius existimat. Sane, Octaeterida quandam proposuisse Dionysium, Eusebius Hist. Eccl. l. 7. c. κ'. testatur. Ἔτι καὶ τὰς φερομένας ἑορταστικὰς τὸ τηνικαῦτα συντάττει, πανηγυρικωτέρους ἐν αὐταῖς περὶ τοῦ Πάσχα τῆς ἑορτῆς ἀνακινῶν λόγους, τούτων τὴν μὲν Φλαβίῳ προσφωνεῖ, τὴν δὲ Δομετίῳ καὶ Διδύμῳ. ἐν ᾗ καὶ κανόνα ἐκτίθεται ὀκταετηρίδος, ὅτι μὴ ἄλλοτε ἢ μετὰ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν προσήκει Πάσχα ἑορτὴν ἐπιτελεῖν παριστάμενος. *Composuit & ἑορταστικὰς, sive epistolas de festis, in quibus de Paschatis festivitate plenius disserit. Harum, unam quidem Flavio, alteram Domitio & Didymo dicavit. Canonem quoque octo annorum exponit, in quo probat, festum Paschatis, non alio anni tempore, quam post vernum Æquinoctium, celebrari debere.* Et hoc ante Concilii Nicæni tempora. Post illud, Octaeteridis meminit Epiphanius citata toties Hæresi Audianorum: cujus integrum quoque contextum exponit num. XV. de quo nos fortè alibi dicemus. Alexandrini verò, utpote artis magis periti, Enneacaidecaeteride usi sunt. Quæ etiam quam proxime cum utroque sidere convenit: ut ex calculo antea proposito fit manifestum. Hanc ante Nicæni Concilii tempora, in usu fuisse, fidem facit Anatolius. Is namque apud Eusebium Historiæ Ecclesiasticæ lib. VII. cap. XXVI. de hac disputat. Ἔχει τοίνυν ἐν τῷ πρώτῳ ἔτει τὴν νουμηνίαν τοῦ πρώτου μηνός, ἥτις ἁπάσης ἐστὶν ἀρχὴ τῆς ἐννεακαιδεκαετηρίδος, τῇ κατ' Αἰγυπτίους μὲν Φαμενὼθ ἕκτῃ καὶ εἰκάδι, κατὰ δὲ τοὺς Μακεδόνων μῆνας Δύστρου δευτέρᾳ καὶ εἰκάδι, ὡς δ' ἂν εἴποιεν Ῥωμαῖοι, πρὸ ἕνδεκα καλανδῶν Ἀπριλίων. εὑρίσκεται δὲ ὁ ἥλιος ἐν τῇ προκειμένῃ Φαμενὼθ ἕκτῃ καὶ εἰκάδι, οὐ μόνον ἐπιβὰς τοῦ πρώτου τμήματος, ἀλλ' ἤδη καὶ τετάρτην ἡμέραν ἐν αὐτῷ διαπορευόμενος. τοῦτο δὲ τὸ τμῆμα

πρῶτον δωδεκατημόριον καὶ ἰσημερινὸν καὶ μηνῶν ἀρχὴν καὶ κεφαλὴν τοῦ κύκλου, καὶ ἄφεσιν τοῦ τῶν πλανητῶν δρόμου καλεῖν εἰώθασι. *Constituit verò in primo anno Neomeniam primi mensis (qui est principium Enneacaidecaeteridis) 26. mensis Phamenoth, juxta Ægyptios, juxta Macedones vero mensis Dystri 22. juxta Romanos autem ante* XI. *Calendas Aprilis. Deprehenditur vero Sol prædicto die mensis Phamenoth 26. non modo transivisse in primum Segmentum (Zodiaci) sed etiam quarto jam die in eodem hærere. Hoc vero primum dodecatemorion & Æquinoctiale, & mensium principium, & initium sive caput Cycli, & carceres Planetarum à quibus moveri incipiant vocari solet.* Difficilis hic locus, pessima fide à Ruffino translatus, Scotorum Pictonumque errori diu patrocinium dedit. Nam cum illi à Wilfrido Episcopo arguerentur, quod Canones Concilii Nicæni violarent; utpote qui XIV. Luna (si in diem Dominicum incideret) Pascha celebrarent; responderunt per Colmerinum, Episcopum Scotorum, *Nunquid Anatolius Vir sanctus, & in præfata historia Ecclesiastica multum laudatus legi vel Evangelio contraria sapuit, qui à* XIV. *usque ad* XX. *Pascha celebrandum scripsit?* Quā alienus vero ab hoc errore Anatolius fuerit, diducte Clariss. Petavius demonstrat, Comment. ad Hæresin LI. Epiphanii. Quoniam vero intricatus hic admodum locus est, atque explicatu difficilis: conatur idem summus Vir duplici via eandem explicare. Primum existimat, Anatolium putasse æquinoctia in quartis signorum partibus confici, sicut Eudoxus in sextis, alii in octavis, adeoque juxta Anatolium, Sol principium Arietis fuerit ingressus die XIX. Martii. quod sanè & eruditioni Anatolii ac in Mathematicis peritiæ, & ipsius Petavii opinioni plane adversatur. Etenim cur præstātissimus Mathematicus, idemque Alexandrinus, Hipparchi & Ptolomæi, præstantissimorum in hac scientia artificum, quique ambo Alexandriæ vixerant, sententiam rejiceret; & alteram cum veritate minimè convenientem sequeretur? Ipsi vero Petavio contrariam hanc esse assertionem, alia verba fidem fecerint. Dicit enim, per illa verba τὴν νουμηνίαν τοῦ πρώτου μηνὸς, *neomeniam primi mensis*, non mensem Lunarem, sed solarem esse intelligendum, Neomeniam nempe Krionos. At verò, Neomenia Κριῶνος nihil aliud est, quam dies, quo Sol Arietem ingreditur, primumque ipsius gradum occupat. Dicit vero Anatolius, Neomeniam hanc fieri Phamenoth sexta & vicesima, Martii 22. Ergo primus in Arietem introitus fiebat Martii 22. adeoque 19. Martii contingere non poterat. Sed & satis refutatur explicatio hæc de Numenia Krionos. Si enim de illa, & non de Lunari ageret: vicesimo secundo Martii, Sol, primum Arietis signum

occu-

occupare cæperit. Qua ergo veritate dicere poterat, quartum eum diem in ariete harere? Nec altera explicatio commodior eſt; in qua monet, pro ἕκτῃ legendum eſſe ἐνάτῃ. Quomodo enim verba cohærerent, ſi ita legendum eſſet, *Invenitur vero Sol* ἐν τῇ προειρημένῃ Φαμενὼθ ἐνάτῃ καὶ εἰκάδι, *in hoc ipſo 29. die Phamenoth*: cum de 26. proximè fuerit locutus? Nec video, unde opinionem illam, de refutatione eorum, qui xxv. Martii ſemper ęquinoctium fieri volebant, deducat: nihil enim tale in textu invenitur. Grates tamen ipſi agendæ ſunt, quod primus difficillimū hunc locum explicare fuerit conatus, aliisq; ad idem faciendum, exemplo ſuo præiverit. Nos vero auxiliante Deo experiemur, quid in hoc intricatiſſimo loco præſtare poſſimus. Corruptum eſſe locum primo intuitu apparet. Neque enim temporibus Anatolii Neomenia Niſan in xxII. Martii incidebat, ſed xxIII: quod ex calculo patet. Floruit namque Anatolius temporibus Diocletiani, paulo ante perſecutionem, ut teſtatur Euſebius. At ſi annum CCLXV. Chriſti Per. Jul. 4979. (qui primus Cycli illius eſt, qui proximis ante perſecutionem annis eſt abſolutus, quo etiam Anatolium floruiſſe certum eſt) ſub calculum vocemus: deprehendimus, Neomeniam contigiſſe Alexandriæ Martii menſis xxIII. poſt meridiem. unde & in Cyclo Alexandrino Numerus aureus I. adſcribitur ad diem Martii xxIII. non xxII. Nec tamen locus vitioſus eſſe poteſt, cum tribus characteribus ſignetur, 26. Phamenoth. 22. Martii & 22. Dyſtri. (Dyſtrus namque heic plane Julianus eſt, ſicut in infinitis aliis locis apud Euſebium, de quo poſtea.) Obſervandum vero eſt, Anatolium, utpote Mathematicum, diem non vulgi more à media nocte, ſed Aſtronomorum, à meridie incipere. xxII ergo dies Martii, incipit medio die, ſive circa horam xII, diei xxII Martii vulgaris; & terminatur xxIII die Martii, meridie. Atque ſic 12. quidem horæ conveniunt cum xxII vulgari: 12 vero cum xxIII. Contigit autem Neomenia media, Alexandriæ, die xxIII Martii, hora poſt med. noctem 14. 3′. 49″. hoc eſt Anatolio, hora 2. 3′. 49″. Sed Anatolius, utpote inſignis Aſtronomus, non mediam, ſed veram Syzygiam conſiderat. Contigit autem vera Syzygia Alexandriæ die Martii xxIII, hora poſt mediam noctem 3. & 26′. &c. hoc eſt Anatolio xxII. Martii, hora 15. 26′. Recte ergo Anatolius Neomeniam, veram ſcilicet, in xxII Dyſtri Juliani, hoc eſt, xI. Calend. Aprilis, ſive Phamenoth xxvI. Ægyptiaco, collocat. Alterum quod dicit Solem nempe 22. die Martii, quartum diem in ariete agere, etiam juxta veros motus erit intelligendum. Nec tamen veros ſimpliciter, ſed eos

quos apparentes vocant. Ratio namque Lunæ melius cognita erat quam Solis. Obſervaverat quippe Hipparchus in CCC. annis Lunam uno die Novilunia civilia anticipare. Tum & ipſius Anomalias (eas dico quæ longitudinem, & diſtantiam à Sole ſpectant) certius exploratas cognitasque habere poterant, propter & ſyderis propinquitatem, & motus redintegrationem, frequentioresque Ecclipſes &c. In Solis vero rationibus admodum hæſitabant, ut notum eſt. Obſervaverat igitur Anatolius æquinoctium vernum Inſtrumentis, idque Alexandriæ. Scimus autem; Alexandriæ armillas iſtas æquatoreas fuiſſe, quibus & Hipparchus, & Ptolomæus æquinoctia ſæpius obſervaverant. Et easdem ad tempora Anatolii illic manſiſſe, adeoque ipſummet Anatolium his obſervaſſe, admodum veriſimile fit. At quam vitioſæ hæ fuerint, ſatis ex Ptolomæo ipſo docti demonſtrant. Imo maximos, antiquorum obſervationibus, errores adhæſiſſe, egregie docet ac demonſtrat Longomontanus, Theoricorum lib. I. Comment. de Sole, tit. Examen Æquinoctiorum Hipparchi. num. II. Verba ipſa adſcribam, quæ ita habent. *Nec etiam pleraque ad tempora aſſignata obſervatione cœlitus accepta eſſe, præcipue vero autumnalia, eo quod ortui & occaſui aſſcribantur, manifeſto arguitur, dum pleraque nullum conſonum refractionis indicem præ ſe ferant, quum tamen refractio Solis, in Horizonte Alexandrino, autumnale æquinoctium retardarit, vernale verò promoverit, ultra ſemiſſem diei ad minimum, etiam vaporum ſpiſſitudine circa finitorem (qui cauſa refractionis exiſtunt) multum ibidem attenuata, & parrallaxi Solis excluſa.* Vides ad ſemiſſem diei integri, imo & ultra in obſervationibus erratum, propter refractionum doctrinam ignoratam. Dico ergo Anatolium die XX, circa matutinum tempus ſolisque exortum, per armillas iſtas obſervaſſe; & tum quidem Sol altior multo apparebat, propter refractiones; quæ quantam vim habeant, Eclipſis illa Lunæ docere poteſt, quæ, teſte Plinio, utroque luminari, ſupra Horizontem conſpicuo, contigit: imo & ipſe Ptolomæus teſtatur, bis eodem æquinoctiali die cavas ſuperficies armillarum fuiſſe illuminatas. Vide eundem lib. III. cap. 2. Contigit autem medium æquinoctium Alexandriæ, die Martii XXIII. hora poſt mediam noctem 1. 56'. hoc eſt Anotalio XXII. Martii hora 13. 56'. & tum ex tabulis Pariſinis, erat Anomalia Solis 9. Signor. 17. grad. 1'. 36". Ergo Prosth. Addenda 1. gr. 56'. 10". quod ſpacium Sol biduo fere integro abſolvit, die nempe 1. hor. 23. 8'. ergo biduum erit auferendum à dato tempore. Adeoque Æquinoctium vernum contigit Alexandriæ XXI. Martii, hora poſt mediam noctem 2. cum ſcrup. 48'.

At Ana-

At Anatolius Solem 18. vel 19. horis antea obſervaverat & tum æquinoctium fieri viſum fuit, propter magnas, circa finitorem, refractiones, & ipſius inſtrumenti vitium. Obſervavit ergo Anatolius Æqinoctium Alexandriæ die Martii xx. circa horam vi. vel vii. ante meridiem: at tum Anatolio adhuc erat dies xix. Martii, qui uſque ad meridiem diei xx durat. Obſervatum ergo æquinoctium Anatolio, indicabat Solem, xix. die Martii, in 1. ſignũ, quod Arietis vocant, fuiſſe ingreſſum. Ideoque, xxii. Martii, quartum diem, Sol in primo ſegmento agebat. Hæc eſt difficillimi hujus loci explicatio, quod ſi aliquid in textu emendandum eſſet, ſaltem pro τετάρτην ſcribendum eſſet τ̀ τρίτην, & ſic omnia ex hoc ratiocinio planiſſima eſſent. Neque hæc emendatio ſenſui textus repugnat; & notum quam celerrimè, præcipue in numeris, labantur librarii, dum quid pro quo ſcribant. Cui ergo prior explicatio non ſatisfacit, is poſteriorem ſequatur, & ita ſcribat, τ̀ τρίτην ἡμέραν &c. ſi enim xx. die æquinoctium obſervatum fuit, xxii. Martii tertium diem in ariete Sol aget. Patet igitur in ipſo Cyclo conſtituendo, Anatolium cum Alexandrinis convenire: & Cyclum Alexandrinum, illum ipſum eſſe, quem Anatolius heic uſurpat. Primus namque annus Cycli habet Neomeniam Niſan mediam in xxiii. Martii, neque in toto Cyclo Neomenia ulla magis cum Anatolio convenit, quam prima Cycli Alexandrinorum. xii quidem Cycli Neomenia notatur in Laterculo menſium Alexandrinorum ad Martii diem xxii, ſed incidit in Martii xxi. ut ex calculo patet. In hoc tamen diſentire videtur Anatolius, quod primum Cyclum, non à primo Thoth, ut Alexandrini, ſed à Menſe Paſchali ſive Niſan ſequenti incipiat. Cur vero Alexandrini primum Cycli annũ illum conſtituerint, qui Neomeniam Niſan in xxiii. Martii haberet, hæc cauſa fuiſſe videtur: quod in illo Neomenia & initium anni ipſorum ſive primus Thoth convenirent. Anno enim P. Julianæ 4978. xxix. Auguſti, hoc eſt Thoth 1, fuit Syzygia media. Sed cum Cycli ita jure ordinari deberent, ut anni intercalares Cycli juxta hunc ordinem collocarentur, iii. vi. viii. xi. xiv. xvii. xix: Dionyſius Exiguus Abbas Romanus primum annum Cycli, non à Thoth, ſed à xiv. menſis Paſchalis præcedentis inchoavit. Neque enim rationi conſonum videbatur, in primo Cyclo dies ſuperfluos anni præcedentis numerare: quandoquidem, finito Cyclo, nihil remanere debebat. Cur vero à menſe Paſchali inceperit, ipſe latius explicat Epiſtola ad Petronium, quam cum aliis ad Paſchatis rationem pertinentibus Petavius edidit, & Tom. II. operis de doctrina

temporum ad calcem inseruit. Primus ergo Cyclus Dionysii est decimusnonus Anatolii, & incipit quidem XIX. Alexandrinorum sive communi, sed finitur Cyclo primo, quod antea I. capite fusius demonstratum fuit, cujus nunc causam dedimus. Cyclus ergo Dionysii cum Metonis & Judaico communi in quibusdam optime convenit. Alexandrina vero, ut & hodierna nostra illum annorum intercalarium ordinem non habet. Illic enim his annis intercalatur, aut saltem intercalari debet, II. V. VII. X. XIII. XVI. XVIII. finientibus, si annos Judaicos consideres. Inceperit namque primus annus Judaicus à Neomenia Nisan XXIII. Martii, anno Cycli I. sequens annus incipiet XII. Martii: adeoque prior annus erit mensium XII. Rursum annus secundus incipit XII. Martii, annus tertius XXXI. Secundus ergo annus erit mensium XIII. sive intercalaris. & sic in sequentibus. Sed tamen si vel à Thoth, vel à Ianuario, quod à computistis postea factum fuit, numerare inceperis: tum debite anni III. VI. VIII. XI. XIV. XVII, intercalares erunt: si solius mensis Paschatis rationem habueris. Quod si in aliis mensibus idem illud observare velis: prior ratio locum habebit. Et ita quidam Alexandrini Cyclum XIX. annorum ante Nicæni Concilii tempora habuerunt, & ad Paschatis festivitatem investigandam usi sunt. Postea verò, quum Concilium Nicænum rationem Cycli Decemnovenalis approbasset: (sicut opinio fert) etiam Latini aliique Enneacaidecaeteride usi sunt. In Epocha vero cum Alexandrinis non conveniebant. Qui enim Cycli Alexandrini IV. annus est, is, Cycli Latinorum, & Græcorum hodiernorum, I, appellatur. Quænam hujus rei causa sit, pulchrum est inquirere. Cyclus Alexandrinus ante tempora, uti diximus, Concilii Nicæni institutus erat. Hujus ergo ordinem Alexandrini nequaquam immutare volebant. Latinorum vero cæterorumq; Cyclus à Concilio Nicæno incipiebat: in quo, annus I. erat I. post Concilium inchoatum: unde cum statim post initia Concilii Nicæni, XXIX. nempe Augusti, IV. Cycli Alexandrini iniret: factum est ut qui Alexandrinorum quartus esset, is Latinorum primus constitueretur. Anno enim Christi vulgari CCCXXV. sive quod idem est Anno Alexandreo Seleuciaco DCXXXVI. mense Iulio, Concilium Nicænum incepit. Fluebat tunc annus III. Cycli Alexandrini, & sequenti XXIX. Augusti, incepit Cyclus IV. qui anno CCCXXVI. duravit, quem primum Cycli sui, Latini constituere videntur. In his ergo omnibus Cyclis hæc Methodus est, ut dato Cyclo communi, qui à Calendis Ianuariis incipit, si dies usque ad XXIX. Augusti superioris anni detraxeris

xeris, habeas initium Cycli Alexandrini: ſi uſque ad xiv. Paſchalem ſuperioris anni fueris progreſſus; habeas initium Cycli Dionyſiani: Deniq; ſi tres anni Alexandrino auferantur, habebis Cyclum Græcorum & Latinorum: qui, Epocha eadem, videntur fuiſſe uſi. Erat vero præterea differentia quædam inter Latinos & Alexandrinos in Paſchatis celebratione. Latini enim non ſolum xiv. Lunam ſed etiam xv. obſervabant, & ſi in xv. Lunam dies Dominicus incideret iſto tempore Paſcha non obſervabant. Cauſa erat, quod Servator xiv. Luna paſſus erat, & xvi. uti illi exiſtimabant ſurrexerat, ergo ante xvi. Lunam Paſcha ἀναςάσιως celebrari non debebat. Vide Dionyſii Exigui Epiſtolam primam Patri Petronio Epiſcopo ſcriptam. De Scotorum ſecta antea diximus. Sicut enim Latini in exceſſu ita hi in defectu peccabant, etiam xiv. Luna Paſcha celebrantes, ſi dies Dominicus eſſet. Sed ſancta Syodus de ea re nihil concluſiſſe videtur: ſaltem prima, poſt primi menſis quartamdecimam, Dominica, Paſcha celebrari mandavit. Vide Clariſſ. Patavium de Doctr. Tempor. lib. 2. cap. 64. & lib. 6. cap. 5. ubi totius Cycli ordinationem in anno Iuliano, & juxta Kalendarium Romanum deſcriptam habes, quæ heic apponi, propter operis anguſtiam, minimè poteſt. Hic ergo primus Cyclus, ad Solis Lunæque rationes inveſtigandas, à Chriſtianis fuit adhibitus: nunc de alio, quem Solis appellant, quique feriæ inveniendæ inſerviebat, diſputabimus. Annus Solaris, diebus abſolvitur 365. hor. 5. min. 49'. Hic cum ad uſum civilem parum aptus ſit, pro eo aſſumitur 11'. minutis major, 365 nempe dierum, & horarum 6. Has horas, cum unoquovis anno obſervare difficile eſſet, integro diei reſervatæ ſunt, ut quatuor annis elapſis, intercalarentur. Julius autem Dictator primum annum ſuum intercalarem conſtituit, & poſt illum v. ix. &c. Habent igitur iii. ſemper anni dies 365. iv. vero 366. Jam vero cum feriæ hebdomadis, ex ſeptenarii ratione dependeant; quot igitur dies, in anno, ſupra ſeptenarios, fuerint, tot etiam hebdomadi ſuperiori erunt addendi. Incipiat enim hebdomas à quacunque feria, v. g. iii. ſive die Martis, ubi ad feriam ſecundam ſive diem Lunæ perveneris: hebdomas una eſt finita, & rurſum alia incipit à die Martis. Jam vero dies anni communis 365. per ſeptem diviſi, reſiduam dant unitatem: biſſextilis vero anni ſive 366. binarium. Unde communis annus, eadem qua incipit feria, eadem etiam terminatur: una namque feria, ſuper hebdomades abundat. Ideoque ſequens annus à feria ſequente inibit. Si enim, verbi gratia annus communis à feria iv. inceperit; poſt 364. dies omnes hebdomades

mades sunt finitę, atque sic nova hebdomas incipit trecentesimo sexagesimo quinto die, à feria IV. unde necesse est, ut annus sequens à feria sequente, hoc est V. ineat. Contra si annus bissextilis fuerit: non eadem feria, qua incepit, terminatur, sed sequente. Si enim annus à feria V. inceperit, 365 dies rursum incipit à feria V; & 366. est feria sexta, quo annus ille finitur: adeoque annus sequens à VII. feria inchoabitur. Si ergo anni omnes saltem 365 essent dierum: dies anni, in eandem feriam post VII. annos inciderent. Si enim primus annus à feria III. inceperat: debebat etiam feria tertia terminari. Et tum annus secundus à IV. feria incipiet: & sic septimus à feria secunda: & octavus, hoc est primus, rursum à III. feria. Sed propter diei, quarto quovis anno, adjectionem, ratio immutatur: & quod VII. annis alias fieri poterat, propter quarti anni intercalationem, non ante IV. septenos hoc est XXVIII. annos contingit. Et tum feriæ eodem planè se modo habent, ut prius. Hinc ergo natus est Cyclus Solis, qui XXVIII. annis explicatur, in quo septem litteræ Alphabeti A B C D E F G retrorsum numerati ferias indicant. Ex adposita namque litera initialem feriam cujusvis anni colligere licet, sive annus ille, juxta computum Latinorum, à Calendis Januarii, sive à Calendis Octobris anni sequentis incipiat. Sint enim literæ A G F E D C B. quæ denotant totidem ferias, A. quidem feriam 1, G. feriam secundam, & sic, post reliquas B. feriam 7. Quod si igitur annus habeat literam E. adscriptam: incipient Calendæ Januarii à feria quarta; & Calendæ Octobris à feria eadem; nisi fortè annus sit bissextilis, tum enim duæ literæ adscriptæ sunt: quarum prior calculo inservit usque ad XXV. Februarii: post illum diem altera litera valet, & Octobris Calendæ inde dependent. Nunc de Epocha sive primo anni Cyclo disputandum esset. Equidem cum in Cyclo nullum principium sit, nullus finis: perinde videtur, unde ejus initium sumatur. Rationi tamen maximè consentaneum est, ut is Cyclus primus sit, qui à feria prima incipit. Et cum quartus, post concilium Nicænum, (à quo Cycli Solares dependent) annus incipiat à Calendis Ianuarii feria prima: ergo hic etiam primus Cycli annus esse debebat. Sed Christiani annos, um à Calendis Septembris maxima ex parte inchoabant, unde Indictio procedebat. Ambrosius in Epistola quam scripsit ad Episcopos Æmiliæ de mense Paschali ita loquitur. *Hic autem mensis & primus est secundum Ægyptiorum proventus, & primus est secundum legem, & octavus est secundum consuetudinem nostram. Indictio enim Septembri mense incipit.* Ergo cum Indictione annus illorum incipit.

Sed

Sed cum nullum Septembrem in istis annis invenire poterant, qui à feria prima inciperet, pro Septembri Octobrem substituere, atque hunc Cycli primum constituerunt; quo Calendæ Octobris in feriam primam inciderent. Vide Isaacum Argyrum cap. III. pag. 362. edit. Petavii, ad finem cap. qui aliam ridiculam causam dat, ex qua tamen nostra sententia confirmatur. Primus ergo Cycli annus fuit iste, qui à Calendis Octobris, feria prima incipiens, Januarium à feria secunda inchoaret. annusq; esset bissextilis. Primus ergo annus Cycli communis est bissextilis, habens literas Dominicales G. F. & incipit à feria 2. Nos vero ad Naturam ipsam Cyclũ quendam effinximus, cujus etiam constructionem usumque paucis exponemus. Naturæ usuique civili consonum est, ut quartus quisque annus sit Intercalaris. Neque enim intercalari aliquid debet, antequam residuum sit. Nunc vero primo anno, quicunque tandem is numeretur, nihil ex rationibus Solis residuum est, præter horas sex: ergo isto Cycli anno dies integer intercalari non debet. Quod si dicatur, superiorum annorum superfluas horas, intercalari debere: eo ipso hic annus primus non erit; quia ante illum Cyclus expletus non fuit. Consonum igitur & naturæ conveniens videtur, ut quartus Cycli annus bissextilis sit, & is Cycli primus, qui ante bissextilem quartus est, vel qui annum bissextilem proximè sequitur. Rationi etiam consentaneum videtur: ut principium anni, quod apud nos Calendæ Ianuarii sunt, in primam feriam incidat. Erit ergo annus primus Cycli, primus post bissextilem: & incipiet à feria prima. Hi duo Characteres nulli in toto Cyclo solari annorum XXVIII. competere possunt: nisi anno Cycli vulgaris XXII. In toto namque Cyclo quatuor saltem anni à feria prima incipiunt; quorum primus est annus Cycli XI, sive tertius à bissextili, alter XVII; hic ipse est bissextus: tertius ille est, de quo loquimur, XXII. & quartus annus XXVIII, sive quartus à bissexto. Annus ergo Cycli communis XXII, erit primus Cycli Solis Naturalis, & incipiet VII. annos ante Cyclum vulgarem. Unde, *si annis Cycli vulgaris, septem adjeceris: habebis annum Cycli nostri.* Annus Christi MDCXLVIII, quo hæc scribo, est quintus Cycli vulgaris, adde VII, habebis XII annum Cycli nostri. Nunc usum hujus exponemus. Cyclus Solis, eam ob rem, inventus fuit, ut sciri commode posset, in quam feriam hebdomadis, dies mensis alicujus incideret. Id ergo quo facilius haberi possit, duo antea scire nos convenit, feriam nempe initialem anni, & mensis. Si vis ergo feriam initialem anni novisse, necesse est, ut scias, quisnam Cycli annus sit, de quo quæris. Id qua ratione facillime, & sine labore,

indagare possis, postea dicemus. *Dato autem Cyclo adde, pro quovis bissexto expleto, diem unum; summæ septem detrahe quoties poteris: residuum dabit feriam, à qua annus incipit.* Sit annus, verbi gratia, Cycli Duodecimus: jam XII. cum binis diebus, qui propter duos bissextos exsuperant, (tertius enim bissextus nunc saltem incipit) dant 14. aufer 7. remanent 7. Ergo Calendæ Januarii incidunt in feriam VII. sive Sabbathum. Aliud Exemplum. Sit annus Cycli vulgaris XVII: velim scire à qua feria incipiat. Si VII. adjeceris, erit XXIV annus Cycli mei. Adde dies V. pro bissextis V in annis XX, habebis XXIX. cui si quater septem sive XXVIII detraxeris, remanebit feria prima, à qua annus iste incipiet. Et hæc de initiali anni. Ad sciendum autem verum diem initialem mensis, præter feriam initialem anni, etiam Epactis mensium opus est. *Sunt verò Epactæ mensium, dies qui XXVIII excedunt.* Epactæ Januarii sunt III. habet enim Januarius dies XXXI. quibus si XXVIII detraxeris remanent tres. Epactæ Februarii in mense bisextili I. in cavo nullæ. Ex numero igitur dierum mensis Epactæ facile cognoscuntur. Tabulam Epactarum adjunximus, in cujus prima linea Epactæ cujusque mensis speciatim proponuntur: in secunda conjunctæ cum aliis, anno bissextili: in tertia anno communi. Si vis ergo scire diem initialem mensis cujusdam: *adde Epactas mensis præcedentis diei initiali, summæ septem detrahe, quoties poteris: residuum dabit feriam initialem mensis.* Annus V. Cycli vulgaris, XII Cycli nostri, incipit à feria VII. velim scire initium Octobris. adde Epactas Septembris 1, quia annus est bissextilis. Ergo Octobris primus dies incidit in feriam 1. Rursum annus XVII. Cycli Vulgaris, XXIV. nostri, incipit à feria prima. velim scire feriam Calendarum Aprilium. addo

Tabula Epactarum mensium.

Menses.	Epactæ separat.	coniunct. biss.	com.
Ianuarius.	III.	3.	3.
Februar. Biss.	I.	4.	3.
Martius.	III.	7.	6.
Aprilis.	II.	2.	1.
Majus	III.	5.	4.
Junius.	II.	7.	6.
Julius.	III.	3.	2.
Augustus.	III.	6.	5.
September.	II.	1.	7.
October.	III.	4.	3.
November.	II.	6.	5.
December.	III.	2.	1.

addo 7. Epactas Martii in anno bissextili. Ergo Aprilis incepit feria I. Hæc usu reddentur facillima; Exemplis ergo pluribus illustrare, opus non est, cum ipsa satis perspicua sint. *Cognito autem initiali mensis cujusque die, adde diem quemcunque mensis unitate diminutum: producto, aufer septem quoties fieri potest: habebis feriam diei isti convenientem.* Velim scire feriam XVII. diei Octobris Anni Cycli vulgaris V. nostri XII, qui, ut antea vidimus: incipit à feria VII, & October à feria I. Ablata unitate remanent XVI. quæ addita feriæ I. dant 17. hæc per 7. divisa residuum dant III. Ergo XVII. Octobris incidit in feriam primam. Quod si Græcorum Constantinopolitanor. Cyclum Calculo applicare animus fuerit: *aufer Cyclo Græcorum* V. *habebis Cyclum nostrum. tum perge ut antea, habebis quæsitum.* Et hoc in Octobri, Novembri, & Decembri mensibus valet. In reliquis vero, Januario, Februario &c. IV. saltem Cyclo Constantinopolitano sunt detrahenda. Causa est, quod Annus Constantinopolitanus ab Octobri incipiat: noster vero, à Ianuario sequenti: ideoque October, November, December, in annum priorem Cycli nostri incidunt, reliqui menses in annum sequentem. Exemplum. Isaacus Argyrus cap IV. refert, Cyclo Constantinopolitano XXI, Octobris diem XXVI in feriam III incidisse. videbimus, quid Cyclus noster præstet. Aufero à Cyclo XXI Græcorum, V, quia mensis est October: remanent XVI Cyclus meus. cui si tres dies, propter tres intercalares annos adjeceris, habebis XIX. aufer bis septem sive 14. relinquetur feria V. à qua annus XVI Cycli mei incipit. Adde Epactam septembris bissexti I, prodibit VI. feria, unde October incipit: adde XXV, prodeunt XXXI: quibus si quater septem hoc est 28. dempseris, remanebunt 3. Ergo XXVI Octobris à feria tertia incipit. Quia vero Cyclus vulgaris, in scriptis explicandis, magni persæpe usus sit: nos integrum cum diebus initialibus omnium annorum mensiumque heic proponere voluimus: ut sine omni negocio, feriam cujusvis anni invenire, & loca scriptorum examinare quivis posset.

Cyclus Solis integer, cum initialibus diebus omnium annorum ac mensium.

Num. annorum Cycli.	Literæ Domin.	Dies initiales omnium mensium. Ianuar.	F.	M.	A.	M.	I.	I.	A.	S.	O.	N.	D.
I.	G.F.	2	5	6	2	4	7	2	5	1	3	6	1
II.	E.	4	7	7	3	5	1	3	6	2	4	7	2
III.	D.	5	1	1	4	6	2	4	7	3	5	1	3
IV.	C.	6	2	2	5	7	3	5	1	4	6	2	4
V.	B.A.	7	3	4	7	2	5	7	3	6	1	4	6
VI.	G.	2	5	5	1	3	6	1	4	7	2	5	7
VII.	F.	3	6	6	2	4	7	2	5	1	3	6	1
VIII.	E.	4	7	7	3	5	1	3	6	2	4	7	2
IX.	D.C.	5	1	2	5	7	3	5	1	4	6	2	4
X.	B.	7	3	3	6	1	4	6	2	5	7	3	5
XI.	A.	1	4	4	7	2	5	7	3	6	1	4	6
XII.	G.	2	5	5	1	3	6	1	4	7	2	5	7
XIII.	F.E.	3	6	7	3	5	1	3	6	2	4	7	2
XIV.	D.	5	1	1	4	6	2	4	7	3	5	1	3
XV.	C.	6	2	2	5	7	3	5	1	4	6	2	4
XVI.	B.	7	3	3	6	1	4	6	2	5	7	3	5
XVII.	A.G.	1	4	5	1	3	6	1	4	7	2	5	7
XVIII.	F.	3	6	6	2	4	7	2	5	1	3	6	1
XIX.	E.	4	7	7	3	5	1	3	6	2	4	7	2
XX.	D.	5	1	1	4	6	2	4	7	3	5	1	3
XXI.	C.B.	6	2	3	6	1	4	6	2	5	7	3	5
XXII.	A.	1	4	4	7	2	5	7	3	6	1	4	6
XXIII.	G.	2	5	5	1	3	6	1	4	7	2	5	7
XXIV.	F.	3	6	6	2	4	7	2	5	1	3	6	1
XXV.	E.D.	4	7	1	4	6	2	4	7	3	5	1	3
XXVI.	C.	6	2	2	5	7	3	5	1	4	6	2	4
XXVII.	B.	7	3	3	6	1	4	6	2	5	7	3	5
XXVIII.	A.	1	4	4	7	2	5	7	3	6	1	4	6

Hæc de Cyclis Paschalibus pro nostri instituti ratione dicta sufficiant: nunc ad majores Cyclos pergamus.

CAP.

Cap. VIII.

Cyclus magnus Cyrilli annorum XCV. *Alius annorum* DXXXII, *qui utrumque Cyclum & Solis & Lunæ in se comprehendit. Ejus auctor Victor vel Victorius Aquitanus. Cyclus maximus Constantinopolitanus componitur ex Cyclo Solis, Lunæ & Indictionum. Quid sint Indictiones? Initia harum duo constituuntur: vulgo enim vel ab Augusto vel Constantino deducuntur. Chronicon Alexandrinum castigatur. Epocha Antiochenorum. Maximi Monachi, Constantini Prophyrogennetæ, Cedreni &c. de Indictione opinio. Sententia propria exponitur, & demonstratur Indictiones* XV. *annorum ab Hadriano originem habere. Decennalia & quinquennalia Imperatorum unde orta? De tempore Concilii Nicæni inchoati. De tempore ejusdem Concilii finiti, in quo Petavius, defectu, Scaliger, excessu, peccat. Vicennalia, Constantini Magni, duplicia. Ejusdem Initium, ut & Maxentii demonstratur. Eusebius in Chronico castigatur. Æra Hispanica. Panegyristes Constantini emendatur. Collatio Cycli Græcorum cum vulgari. Periodus Iuliana quid? ejus auctor Scaliger. Qua ratione annis Christi, adeoque usui vulgari applicetur. Methodus, tam hujus, quam Periodi Constantinopolitanæ, monstratur in applicandis iis ad annos Christi &c. Methodus nova & facilis inveniendi, sine operosiori calculo, ad quodvis tempus, Cyclos Solis, Lunæ & Indictionum, tam in Periodo Iuliana, quam Constantinopolitana.*

PRæter illos, quos hactenus tractavimus, Cyclos, alii majores ab antiquis sunt inventi, qui Paschatis festo, sine molestia & calculo operiosiore inveniendo, inservirent. Inter majores Cyclos primus fuisse videtur, sancti Cyrilli, annorum XCV. Theophili quippe scriptum, Theodosio seniori oblatum, non Cyclum quendam continuisse, sed Paschalem solummodo mensem diemque in annis centum exposuisse videtur. Ita enim de eo Dionysius Exiguus, Epistola ad

Petronium Episcopum scribit: *Papa denique Theophilus, c annorum cursum, Theodosio seniori Principi dedicans, & sanctus Cyrillus, Cyclum temporum* XC. *&* V. *annorum, componens hanc sancti Concilii traditionem, ad observandas quartasdecimas Lunas Paschales, per omnia servaverunt.* Sed cum cyclus Cyrilli non magnæ utilitatis esset: alius inventus fuit Annorum DXXXII. qui ex cyclo Lunari & Solari componitur, & optime eosdem perpetuo exhibet. Compositus namque est ex XXVIII. cyclis Lunaribus sive XIX. solaribus; adeoque finito hoc cyclo, aureus numerus, & Cyclus Solis cum literis Dominicalibus, eodem se modo habent, ut prius. Inventum hoc plerique tribuunt Dionysio: sed à Victorio Aquitano, instinctu Hilarii Papæ, constructum fuisse, annis LX. & amplius antequam suum cyclum Dionysius ederet, Historici docent. Marianus Scotus ad annum CCCCLXIII. *Victorius, jubente Papa Hilario, scripsit Paschalem circulum 532 annorum.* & Gennadius: *Ita ut à quingentesimo tricesimo tertio anno reincipiat Paschalis solemnitas: eodem mense & die, eademque Luna, qua primo Passionis ac Resurrectionis Dominicæ anno facta est.* Vide Petavium de Doct. Temp. lib. 2. cap. 67. Videtur tamen Dionysius, præter cyclum XCV. annorum, etiam hoc fuisse usus. Eundemque ad Vulgaris cycli annos accommodasse. Victoris enim cyclus incipiebat cyclo Solis 10. Lunæ 11. Litera Dominicali B. Qui vero nunc sunt computistæ eundem à cycli Solis 1. Lunæ 1. liter. Dom. G. F. inchoant. Hic magnus cyclus Latinorum fuit. Græci vero Constantinopolitani alium cyclum maximum habent: quem ab orbis conditu cœpisse volunt, seu verè, seu per θέσιν. Continet vero periodus ista tres alios cyclos, Solis nempe, Lunæ & Indictionum. Indictiones post Constantini ævum magno in usu, non in Occidente solum, sed & in Oriente esse cœperunt: Origines vero harum in obscuro sunt. Quamvis enim in his exquirendis Docti Viri multum operæ ponant: minimè tamen aliquid certi hac de re producere possunt. Conveniunt ferè in hoc Recentiores, Indictiones fuisse largitiones quasdam ac celebritates Imperatorum, & hoc sensu Græcis vocatur ἐπινέμησις. Qua vero occasione Christiani has Indictiones quibus nunc utimur, numerare cœperint: id vero nimis incertum est. Nec mirum, cum apud antiquos, qui recentioribus præire debebant, meræ tenebræ sint. Scaliger libro de Emendatione Temporum v. à Constantini Magni vicennalibus earum originem deducit. Confert vero Vicennalia, in annum Vulgaris Æræ Christi CCCXXVII: quo, & Concilium Nicænum finitum esse vult, tertio postquam inceperat anno, &c. Et hanc primam Indi-

Indictionum originem esse arbitratur. Quod enim in fastis Siculis notatur, de Indictionum initio, circa tempora Augusti: id προληπτικῶς saltem dictum vult. In Canonibus vero Isagog. lib. 3. comment. in cap. 11. num. 7. dicit: *Antiquitus proprie Indictio erat lustrum pensionum, quæ ut diximus quinquenniis vertentibus fiebant: quæ Imperatorum temporibus ceptæ fieri lustro quadriennali Iuliano, à bissexto ad bissextum. Postea Indictio dicta est Systema trium lustrorum quinquennalium, qui sunt anni XV.* Sunt & alia de Indictione Antiochena, quæ cum prioribus videntur non satis convenire, nisi forte dicendum sit: ipsum statuere, Indictiones XV annorum non ante Constantini tempora cœpisse: quatuor vero aut quinque annorum antiquiores esse. Petavius de origine harum nihil concludit: saltem ab anno Christi CCCXII. vulgares procedere monstrat. Quid alii ex recentioribus sentiant, heic proponere animus non est. Quod si antiquiores consulamus, duo ab illis Indictionum initia constitui deprehendimus: quorum primum ad tempora Augusti spectat, posterius ad Constantini. Chronicon Constantinopolitanum, quod Radero Alexandrinũ vocatur, ad Consulatum Lepidi & Planci, ita scribit: Ἀπὸ πρώτου ἔτους τοῦ Γαΐου Ἰουλίου Καίσαρος, καὶ τῶν προκειμένων ὑπάτων Λεπίδου καὶ Πλάγκου, ἤγουν δωδεκάτης καὶ αὐτῆς τοῦ Ἀρτεμισίου μηνὸς, Ἀντιοχεῖς τοὺς ἑαυτῶν χρόνους ἀριθμοῦσι. Καὶ αἱ ἰνδικτοι δὲ χρηματίζειν ἤρξαντο ἀπὸ πρώτης καὶ αὐτῆς τοῦ Γορπιαίου μηνός. *A primo anno Caji Iulii Cæsaris & præcedentium Consulum Lepidi & Planci, XII mensis Artemisii, Antiocheni tempora sua deducunt: Et Indictiones indicari cœperunt à primo die Mensis Gorpiæi.* Vides à Consulatu Lepidi & Planci, sive anno P. Jul. 4672. Urbis conditæ DCCXI. Indictiones eum deducere. At idem Cæsari Julio imperium tunc tribuit, ejusque primum annum numerat. Sed temporum ratio in Chronico isto, hoc præcipue loco, admodum confusa est. Existimo, nisi admodum corrupta hæc sint, Cæsarem Octavianum heic intelligi. Nam & ille nomen Cæsaris assumpsit. Ipsum namque Iulii Cæsaris initium debito satis loco ponitur. Nam ante consulatum, quem solus sine collega, Dictator II. M. Antonio Mag. Equitum gessit, ita legitur: ΑΡΧΗ ΓΑΙΟΥ ΙΟΥΛΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ. *Initium Caji Iulii Cæsaris.* Tum tres sequentes Consulatus enumerat satis bene, unum saltem omittens, quem cum M. Antonio Mag. Equitum Dictator V. gessit, quo & Cæsar occisus fuit. Intelligendus ergo hic locus erit de Augusto: cujus primus annus tunc incepit; à Consulatu nempe, quem cum Quinto Pedio gessit à X. cal. Octobris ad cal. Januarias, anno proxime ante Lepidum & Plancum. Sed tamen dum ita de Octaviano hallucinatur; errat in Epocha Antio-

Antiochenorum: quam à primo Iulii Cæsaris Eusebius deducit: ab Anno nempe Urbis DCCV. quo Coss. fuere Γ. ΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΤΟ Β. Π. ΣΕΡΟΥΕΙΛΙΟΣ ΒΑΤΙΑ ΙΣΑΥΡΙΚΟΣ. *C. Iulius Cæsar II. & P. Servilius Vatia Isauricus.* Ad quæ verba ista adscribit. Ἀπὸ πρώτου ἔτους τοῦ Γαΐου Καίσαρος, Ἀντιοχεῖς τοὺς ἑαυτῶν χρόνους ἀριθμοῦσι. *A primo anno Caji Iulii Cæsaris, Antiocheni tempora sua numerant.* Et hoc cum Anonymo Olympiadum scriptore convenit, qui ad annum secundum, Olympiadis CLXXXIII. ita scribit: Ἐντεῦθεν ἀριθμοῦνται τῆς Καίσαρος αὐταρχίας χρόνοι. καὶ ὁ τῶν Ἀντιοχέων χρηματισμὸς ἄρχεται. *Hinc numerantur anni monarchiæ Cæsaris, & Antiochenorum æra incipit.* Ad annum vero IV. Olympiadis CCLXXII. vel ut ipse scribit ΣΟΓ'. ΟΛΥΜΠΙΑΣ. ΥΠ. ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΑΥΓΟΥΣΤΟΥ ΤΟ Γ'. καὶ ΛΙΚΙΝΝΙΟΥ ΤΟ Β'. CCLXXIII. *Olympias. Coss. Constantino Augusto III. & Licinio II.* hæc adnotat. ΙΝΔΙΚΤΙΩΝΩΝ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΙΑΝΩΝ ΕΝΤΕΥΘΕΝ ΑΡΧΗ. *Indictionum Constantinianarum Initium.* Apparet ergo juxta hujus mentem duplices esse Indictiones: quarum aliæ ab Octaviano; aliæ à Constantino originem habeant. Maximus sanè Monachus, & qui eum sequitur Georgius, Indictionum origines à secundo Augusti anno repetunt. Ita enim ille Γέγονε δὲ (ἡ ἐπινέμησις) κατὰ τοὺς ἱστοριογραφοῦντας ἀπὸ Αὐγούστου Καίσαρος, τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς βασιλείας αὐτοῦ. τότε ἦν τῆς κοσμογενείας τὸ ευξ'. ἅπερ εἰς τὸ ιε' λύομενα, τὸ τέλος τῆς Ινδικτιῶνος παρίστησιν, ἤγουν αὐτὸ τὸ ιε' ἔτος. ἐν ᾧ, ταύτης ἐκεῖνος κατὰ τὴν δόξαν θέμενος τὴν ἀρχὴν, πρῶτον τὸ τελευταῖον πεποίηκεν. *Orta est autem Indictio ut Historici prodiderunt anno primo Augusti Cæsaris, ejus Imperii secundo, qui fuit annus mundi 5460. Hi per 15 divisi, ultimum Indictionis annum, id est annum quintumdecimum exhibent: in quo hujus initium ille statuens, ultimum esse primum voluit.* Constantinus quoque Porphyrogenneta, Cedrenus & alii, originem hujus ad Augustum referunt, & quidem ad Victoriam Actiacam: vocem namque Indictio dictam volunt, quasi in Actio, ab Actio promontorio: & quamvis ridicula vocis notatio sit, satis tamen patet, eos ab Augusto Indictiones deduxisse. Nos, quamvis quid statuendum sit, certo cognitum non habeamus; opinionem tamen nostram, vel potius conjecturam Doctis dijudicandam proponemus. Dio ad Annum Urbis DCCXXVI. quo Coss. fuere Octavius August. Cæsar. III. & Agrippa III. refert, Augustum in senatu orationem habuisse de Imperio deponendo. Sed cum reclamantibus universis Imperium retinere cogeretur: ordinatis distributisq; provinciis, potestatem Reipublicæ constituendæ in decennium suscepit: professus, se, si provincias pacare citius posset, Impe-

Imperio cessurum. Decennio confecto, quinquennium decretum est: quo evoluto, aliud quinquennium: post, decennium: inde aliud decennium: adeo ut totum Monarchiæ tempus, per quinquennia decenniaq; conficeretur: καὶ διὰ τοῦτο concludit Dio καὶ οἱ μετὰ ταῦτα Αὐτοκράτορες, καὶ τοι μὴ ἐς τακτὸν χρόνον, ἀλλ' ἐς πάντα καθάπαξ τὸν βίον, ἀποδεικνύμενοι, ὅμως διὰ τῶν δέκα ἀεὶ ἐτῶν ἑώρτασαν, ὡς καὶ τὴν ἡγεμονίαν αὖθις τότε ἀνανεούμενοι. καὶ τοῦτο καὶ νῦν γίγνεται. *Quam ob causam posteriores quoque Imperatores, etsi non ad certum tempus, sed quoadusque viverent, Imperio praeesse deberent, semper tamen anno decimo festivitatem agunt: quasi rursus principatum innovarent: & hoc nunc quoque fit.* Idem ex aliis confirmatur. Anonymus scriptor Olympiadum, ad annum II, Olympiadis CCIII, Tiberii XX, ita scribit: ἐν τῇ Ῥώμῃ οἱ Ὕπατοι τῆς τοῦ Τιβερίου ἀρχῆς δεκετηρίδα δευτέραν ἑώρτασαν, *Coss. Romæ decennalia Tiberii iterum celebrarunt.* Eusebius Hist. Ecclesiasticæ lib. VIII. cap. XII. ubi de Romano Martyre agit, ita de vicesimo, principatus Diocletiani, anno loquitur. Τέλος, τῆς ἀρχῆς εἰκοσαετηρίδος ἐπιστάσης, κατὰ νομιζομένην δωρεὰν τῶν ἐν τοῖς δεσμοῖς πανταχῆ πάντων ἐλευθερίας ἀνακηρυχθείσης. *Tandem, imminente vigesimo principatus anno, quo ex decreto gratuito, omnibus qui in vinculis erant, libertas undiquaque annunciabatur, &c.* Idem Constantini & sequentium quorundam Imperatorum temporibus obtinuit. De Constantino legimus apud Eusebium in Chronico, ad annum Christi CCCXVII. Εἰκοσαετηρὶς Κωνσταντίνου Αὐγούστου. quod ita transtulit Hieronymus. *Vicennalia Constantini Nicomediæ facta, & sequenti anno Romæ edita.* Et idem Hieronymus ad annum CCCXXVII. hæc scribit: *Tricennalibus Constantini, Dalmatius Cæsar appellatur.* De Theodosio Iuniore & Honorio hæc habes apud Marcellinum Comitem. *Indictione* IX. *Theodosio* IIII. *Coss. Theodosius Iunior decennalia: Honorius, Romæ, Vicennalia dedit.* Encænia ergo Imperatorum decennalia erat: quibus exemplo Augusti, Imperium quasi renovabant. Sed & quinquennalia dabantur. Id enim Panegyristes Constantini innuere videtur. *Quinque annorum nobis reliqua remisisti. O lustrum omnibus lustris felicius! O lustrum, quod merito hanc tui Imperii æquavit ætatem!* Clarius Marcellinus Comes. *Indictione* IV. *Arcadio & Prob. Coss. Theodosius Iunior Quinquennalia dedit.* Ita ergo Imperatores exemplo Augusti per quinquennalia & decennalia totum Imperii sui tempus partiebantur. Et quia his temporibus libertatem, tributorum remissiones, aliasque largitiones proponebant: ipsa Encænia ἐπινομίσεις sive largitiones sunt vocata. De quindecennalibus autem, nihil me legisse memini antiquius, eo quod est apud Anonymum, ad annum I. Olympiadis CCXXIV.

ubi scribit: Ἀδριανὸς ἐλθὼν εἰς τὴν Ῥώμην ἀφῆκε τὰ ὀφειλόμενα τῷ τε βασιλικῷ καὶ τῷ δημοσίῳ τῷ τῶν Ῥωμαίων, ἑκκαιδεκαέτη ὁρίσας χρόνον, ἀφ' οὗ τε καὶ μέχρις οὗ τοῦτο ἔμελλε. *Adrianus Romam veniens, remisit ea quæ debebantur & Imperatorio & publico Romanorum fisco, sedecim annorum tempus constituens, à quo, & ad quod hoc debebat fieri.* Ἑκκαιδεκαέτη χρόνον tempus Indictionum nominat, eadem ratione, qua Olympiades Πενταετηρίδες appellabantur, quod absolutis quatuor annis, quinto incunte celebrarentur. Erit ergo Indictionum Cyclus talis, qui absolutis XV annis, sextodecimo rursus incipiat. Sane, Indictiones in Codice Iustiniani nil aliud sunt, quam tributorum indicationes: ut ex lib. X. tit. XVI. (qui est de Indictionibus) paret. Indictionibus igitur tributa nova indicebantur: & si prius indicta soluta non essent, & debitores totum solvere non possent: Imperatores partem debiti, interdum & totum remittebant. Vide rescriptum Theodosii de Græcis, Codicis Iustin. lo. laud. Hic mos ab Adriano originem habuit: ipsæque adeo Indictiones quindecennales Adrianum auctorem agnoscunt. Unde & Cycli Indictionum ab anno I. Olympiadis CCXXIV quo, teste Anonymo, Adrianus hunc Cyclum instituit, omnino dependent: quod & cum calculo, optime convenit. Annus primus Olympiadis CCXXIV inivit à diebus æstivis anni P. Iul. 4830. Hoc anno largitio sive remissio illa tributorum ab Adriano proposita fuit. Annus sequens 4831. est primus Indictionum, qui quidem à Cal. Septembris anni P. Jul. 4830. inceperat. divide 4831. per 15. habebis Indictionem primam. De die autem initiali Indictionum disputant eruditi. Beda lib. de temp. ratione, cap. XLVI. *Incipiunt* inquit, *Indictiones, ab VIII. Cal. Octobris, ibidemque terminantur*: quod in Romana Ecclesia illis temporibus obtinuisse apparet. At Græci omnes à Cal. Septembris Indictiones inchoant. Idem antiquiores apud quos Indictionum mentio exstat faciunt. Ambrosius Epistola ad Episcopos Æmyliæ. *Hic autem mensis primus est secundum Ægyptiorum proventus: & primus est secundum legem: & octavus est secundum consuetudinem nostram. Indictio enim Septembri mense incipit.* Loquitur Ambrosius de mense Paschali sive Aprili, hunc Octavum vocat. Quia Indictiones mense Septembri incipiunt. Sane si à XXIV. Septembris inciperent: initium & tota illa portio Aprilis, quæ Paschali mensi convenit, non Octavus mensis esset, sed Septimus. De Calendis igitur & initio mensis Ambrosius loquitur. In Actis Concilii Chalcedonensis, quod sub Theodosio Iuniore celebratum fuit, Actione IX, ubi de actis Ibæ Edesseni agitur: anno Christi CCCXLVIII cujus titulus & quasi index, est Consulatus Zenonis & Postu-

Postumani, v. Kal. Majas currebat Indictio prima. Postea Actione x. eodem anno, Kal. Septembris, numeratur Indictio II. ergo Indictio à Cal. Septembris incipit. Imo & annus totus à Septembri inchoatur. Nam cum Aprilis, ut ex Ambrosio probatur, mensis sit VIII, primus ergo anni mensis erit September. Quod ipsum & Albategnius & Græci computistæ confirmant. Ille enim cap. XXXII. de Tarek Arabum, Romanorum, Persarum & Alcept sive Coptitarum hoc est Ægyptiorum, ita disputat. *Romanorum autem mensium nomina secundum Græcorum & Ægyptiorum principia sunt. Elul, Tisrin primus, Tisrin secundus, Kanun primus, Kanun secundus, Siebath, (qui tribus annis XXVIII. dierum est, quarto autem anno XXIX. & tunc annus bissextilis est) Adar, Nisan, Hiar, Haziran, Thamuz.* Mensium nomina corruptissima in editione vulgata sunt. Nos hujus lectionis causam postea dabimus. Hi vero menses per universum Orientem apud Christianos nunc in usu sunt, qui à Julianis nihil plane differunt, quod ex Siebath sive Februario patet, quem tribus annis 28. dierum; quarto autem 29. esse prodit. At si Siebath est Februarius: ergo Elul September erit, à quo annum Romanorum orditur; quod & postea apertius dicit. Iubet enim annis Alkept sive Ægyptiorum addere tres dies, pro initio anni Romanorum. Annus Ægyptiorum fixus incipiebat à XXIX. Augusti, ut postea demonstrabimus. Annus ergo Romanorum juxta Albategnium incipiet à Cal. Septembris. At juxta Iulii Cæsaris constitutiones à Januario inchoari debebat. Nec responderi potest Romanos, Albategnio, Græcos esse & Constantinopolitanos, qui à Constantinopoli sive Nova Roma Rumi Arabibus vocantur: cum eos de quibus loquatur à Græcis distinguat. Nec ipsi Græci annum antiquitus à Septembri sunt auspicati: sed quidam eorum ab æstatis initio; alii ab autumno: ut volente Deo in sequentibus dicetur. Tandem post admissam rationem anni Juliani, annum à Septembri incepisse videntur. Existimo, Adrianum decretum hoc de Indictionibus Calendis Septembris proposuisse: & cum ab istis Calendis, & remissionum & exactionum tempora dependerent, Romanos ab istis præcipue Calendis annos fuisse auspicatos. Ordinariæ ergo Indictiones à Calendis Septembris semper incipiebant: idq; per totum Romanum Imperium. Operæ precium autem est, etiam de altero initio sive VIII. Calendas Octobris inquirere. Occurrunt vero in universum apud scriptores tria saltem Indictionum initia; quorum primum ab Augusto deducitur; nec à certo quodam tempore incipit, sed saltem cujusvis Imperatoris quinquennalibus decennalibus, &c.

 con-

convenit: alterum ab Adriano est quod per universum Orbem Romanorum obtinuit, & à Calendis Septembris init, prout nunc diximus: tertium denique ad Constantinum refertur. Indictiones ergo Constantinianæ illæ erunt, quæ ab VIII. Octobris incipiunt. Primæ namque Indictiones, sive Encænia Imperatorum, primo Imperii die semper incipiunt, adeoque certum initium non habent. Sunt vero duo certa Indictionum initia, quorum alterum in Urbe obtinuit, alterum per totum Imperium Romanum. Illius meminit Beda, hujus omnes scriptores qui Indictionum mentionem faciunt. Illa ergo specialis erit, hæc generalis. Deducunt vero omnes scriptores Indictionum Constantinianarum initium ab anno Christi CCCXII. vulgari, sive P. Julianæ 5025. Eusebius in Chronico ad annum IIII. Olympiadis CCLXXII. Ἰνδικτιώνων Κωνσταντινιανῶν ἐντεῦθεν ἀρχή, *Indictionum Constantinianarum initium*. Idem habes apud Auctorem Chronici Constantinopolitani. Quo quidem anno Constantinus nihil eximium edidit, præter illud, quod Romam à Maxentii Tyrannide liberavit. Proposuerat namque Maxentius hastam in foro, sub qua bona civium Romanorum venundabantur, ipsi in exsilium pellebantur: quo in loco Constantinus Crucem, in cujus signo vicerat, cum hac inscriptione proposuit:

SALUTARI. HOC. SIGNO. TANQUAM. VERE. FORTITUDINIS ARGUMENTO. URBEM. VESTRAM. JUGO. TYRANNI. EREPTAM LIBERAVI S.P.Q.R. AUCTORITATI. PRISTINÆ. DIGNITATIQUE RESTITUI.

Maximo ergo beneficio Urbem Romam Constantinus illo anno affecit, quod & S.P.Q.R. agnovere, arcumque Triumphalem, ob id ipsum in Suburra, sub Palatii radice, ipsi dedicarunt; cum hac inscriptione:

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO. MAXIMO
P. F. AUGUSTO. S.P.Q.R.
QUOD. INSTINCTU DIVINITATIS. MENTIS
MAGNITUDINE. CUM. EXERCITU. SUO
TAM. DE. TYRANNO. QUAM. DE. OMNI EIUS
FACTIONE. UNO. TEMPORE. IUSTIS
REMPUBLICAM. ULTUS. EST. ARMIS
ARCUM. TRIUMPHIS. INSIGNEM. DICAVIT
LIBERATORI. URBIS. FUNDATORI. QUIETIS.

Hanc igitur ob Victoriam Indictiones Constantinianæ apud Romanos in usum receptæ sunt. Et cum illæ ab VIII. Calendas Octobris incipiant, Maxentius ergo isto die occubuerit, quod ipsum Pantagathus & Onuphrius ex auctoribus probare conati sunt: quamvis nullum

lum idoneum testem adferant: optimè tamen historiæ convenit. Nos, cum alibi de his dicendi occasio non detur, ea omnia quæ ad Constantini tempora pertinent, pertexemus: idq; eo libentius, quod summi in hac scientia Magistri, Scaliger & Petavius, minime conveniant: & neuter lectori φιλαλήθει satisfaciat. Disputant vero illi de Initio Constantini Magni, tempore Consessus Nicæni soluti, & Vicennalibus hujus. Hæc cum à se invicem dependeant; paucis nobis erunt pertractanda. Refert Eusebius, scriptor doctissimus, quique illa de quibus disserebat ipse viderat, Concilio Nicæno finito, xx quoque annum Constantini ad finem fuisse perductum, lib. III. de vita Constantini cap. XIV. Ὧν δὴ πραχθέντων, δευτέραν ταύτην νίκην ἄρασθαι εἰπὼν βασιλεὺς, κατὰ τοῦ τῆς Ἐκκλησίας ἐχθροῦ, ἐπινίκιον ἑορτὴν τῷ Θεῷ συνετέλει. Κατὰ τὸ αὐτὸ δ' αὐτῷ καὶ τῆς βασιλείας εἰκοσαέτης ἐπληροῦτο χρόνος, ἐφ' ᾧ πάνδημοι μὲν ἤγοντο πανηγύρεις τοῖς λοιποῖς ἔθνεσι &c. *Quibus ad exitum perductis, secundam istam victoriam Imperator se contra Ecclesiæ hostem consecutum affirmavit, & propter ea festum triumphale Deo consecravit. Eodem tempore vigesimus ejus regni annus completus est, in quo conventus celebres etiam apud reliquas gentes agebantur.* Convenit Synodus Nicæna anno Alexandræo DCXXXVI, ut Titulus, Canonibus Græcis, præmissus docet. Κανόνες τῶν τριακοσίων δέκα καὶ ὀκτὼ ἁγίων πατέρων, τῶν ἐν Νικαίᾳ συνελθόντων, ἐν ὑπατείᾳ Παυλίνου καὶ Ἰουλιανοῦ τῶν λαμπροτάτων, ἔτους χλς' ἀπὸ Ἀλεξάνδρου, ἐν μηνὶ Δαισίῳ, ἐννεακαιδεκάτῃ, πρὸ δέκα τριῶν Καλανδῶν Ἰουλίων. *Canones CCCXVIII. SS. Patrum qui Nicææ convenerant, Coss. Paulino & Iuliano Clariss. anno DC XXXVI ab Alexandro, mensis Dasii XIX. ad XIII. Calendas Iulias.* Coss hi conveniunt anno Christi vulgari CCCXXV. sive anno Urbis M. LXXVI. P. Iul. 5038. ut manifestum sit, annos Alexandri non illos esse quos Censorinus Philippæos vocat, quique ab excessu Alexandrini procedunt; sed Seleucidarum & successorum Alexandri. Josephus Ægyptius, qui in Bibliotheca Oxoniensi exstat, ita de hac re apud Seldenum, Commentario in Eutychii origines, disserit: فرافا منهم الي مدينة نيقيه في مدة يسبوه الفين وثمانيه ولربعين لسقفا وذلك في سنه سته وثلثون وستمايه من سنين الاسكندر وهي سنه ثلثمايه وثلثه وسبعون من سنين انتيوخس الانطاكي في تسعه اتام من شهر حزيران *Hoc est: Et convenerunt ex eis in Civitatem Nicæam numero bis mille quadraginta octo Episcopi. Et contigit Anno sexcentesimo tricesimo sexto æra Alexandrinæ, qui fuit annus trecentesimus septuagesimus tertius æra Antiochenæ, nono die mensis Haziran.* Æra

 Antio-

Antiochenorum incipit, ut ex Eusebio & Anonymo patet, anno quo Pompejus devictus est, Coss. Cæsare II. & P. Servilio Vatia Isaurico, Anno P. Iul. 4666, cujus æstate Olympias CLXXXII. fuit celebrata. Adde ergo juxta methodum annos Antiochenorum ad Annum P. Jul. 4665. habebis annum P. Julianæ convenientem Anno Antiochenorum. Contra dato anno P. Julianæ, aufer 4665. habebis annum Antiochenum incipientem à Majo dati anni Per. Iulianæ. Iam vero, ex priori Coss. Charactere demonstravimus, tempus Concilii convenire cum anno 5038. P. Iul. aufero ergo 4665; remanet annus Antiochenus, qui à Majo anni 5038. P. Iul. inivit, annus nempe 373. omnino ut prius. Anni vero Alexandræi, sive Seleucidarum (nam de his sermo est) anno P. I. 4402. mense Octobri incipiunt. Adde 636 ad annos P. I. 4401. habebis 5037. cujus Octobri annus 636 incepit, & terminatur Octobri anni, 5038. Anno ergo 5038. post Majum, & ante Octobrem, incepit Concilium Nicænum: quod & optime convenit cum XIX Iulii; quo primam sessionem celebratam fuisse, Canones dicunt. Quanto vero tempore consessus hic duraverit, exacte dici non potest. Videtur tamen integrum annum durasse: quod inde probamus. Dicit Eusebius, finito Concilio, antequam Episcopi decederent, omnes fuisse à Constantino convivio exceptos, idque propter festivitatem tam profligatæ hæreseos, quam vicennalium Imperii. Verba ex parte antea adduximus: plura qui volet, videat Eusebium loco laudato. At quo tempore hæc vicennalia sint celebrata: nemo nos melius hoc eodem Eusebio docere potest. Notat vero ille ad annum II Olympiadis CCLXXVI. Εἰκοσαετηρὶς Κωνσταντίνου Αὐγούστου. *Vicennalia Constantini Augusti.* Annus II. Olympiadis CCLXXVI incipit à diebus æstivis anni P. I. 5039. sive Christi 326. Ergo Concilium, ante æstatem anni 326. solutum non fuit. De vicesimo anno absoluto consentit Mahumedanus scriptor Ismael Ibn Ali; ubi ita scribit:

ولعشرين سنة مضت من ملك قسطنطين المذكور اجتمع
الفان وثمان واربعون اسقفا ثم اختار منهم ثلثماية وثمانية
عشر اسقفا فحرموا اريوس *Exeunte anno vigesimo jam dicti Constantini Augusti congregati sunt Episcopi 2048. Tunc selegit ex iis 318 Episcopos, & anathemate percussit Arium.* Exeunte ergo anno vicesimo, Concilium omnino solutum fuit. Levatus autem est (ut ait Idatius in Chronicis) Constantinus VIII. Cal. Augusti VIII ergo Cal. Augusti vicennalia incipere debent, & Octavo Cal. sequentis anni terminari.

Quia

Quia vero finis vicesimi anni incidit in finem Concilii: solutum ergo fuerit concilium mense Augusto, posteaquam annus v Olympiadis cclxxvi. ab æstivis diebus inceperat. Anno ergo P. Iulianæ 5039, sive Christi 326, viii. Cal. Aug. vicesimus Constantini annus est finitus. Si enim dicatur, 325 anno id contigisse: (quod Petavio placet) Olympiadis annus non conveniet: Erit enim primus annus Olympiadis, non secundus. Si vero 327: (ut Scaliger vult) Olympiadis cclxxvi annus tertius tum quidem ab æstivis horis inceperat: ipsaque vicennalia quæ Nicomediæ in Oriente acta sunt, tum finita erant. adeoq; & concilium antea dissolutum. Excipit Petavius, Eusebium, in Chronico, de posterioribus vicennalibus loqui. Testis namq; Hieronymus est, Constantinum, primo Nicomediæ vicennalia edidisse, sequenti verò anno Romæ. Sed idem Hieronymus confert vicennalia quæ Nicomediæ exhibita fuere, cū anno ii. Olympiadis cclxxvi, non cum primo. Ad illum namque annum ita scribit: *Vicennalia Constantini Nicomediæ facta, & sequenti anno Romæ.* Certum ergo est, Episcopos ante annum non fuisse dimissos. Et quia xix Iulii primum convenire cæperunt; & statim post vicennalia recesserunt: sicut ex Eusebio patet: annum ergo integrum & menses duos erant congregati. Quod ipsum confirmat Eutychius in Annalibus, ubi ita disserit:

واجتمع من دينه نيقيه بعد سنه وشهرين الفين اسقفا &c.

Et congregati sunt in urbe Nicaa intra annum & duos menses Episcopi 2048. &c. Inivit ergo annus vicesimus primus Constantini ab viii Calendas Augusti Anni P. Iul. 5039. Christi 326. Urbis Conditæ 1078. Coss. Constantino Aug. vii. & Constantino Cæsare. Consules igitur Constantinus Cæsar V & Basilius, apud Eusebium, ad sequentem annum referri debent. Post Annum namq; Christi 207 omnes Coss. in Eusebii Chronico uno anno priores locantur, quam debebant; idque ob eam causam, quod unum par Coss. sit exclusum, Probus nempe Augustus I, & Paulinus. Primus ergo annus Constantini inivit ab viii. Cal. Augusti Anni Christi cccvi. Per. Iul. 5019. Eodem anno Maxentius imperium occupavit. Testis enim est Idatius in Chronico; Maxentium à Constantino victum & occisum fuisse ad pontem Milvium, Coss. Constantino II. & Licinio II, æra cccl. Est hic annus Christi ccc xii. si enim ab æra xxxviii auferas: habebis annum Christi vulgarem. Sed & idem ex Coss. patet: qui in fastis anno Varroniano Urbis m. lxv tribuuntur. Etiam annus Olympiadis convenit. Hieronymus namque in Chronico ad annum iv. Olym-

piadis

piadis convenit. Hieronymus namque in Chronico ad annum IV. Olympiadis CCLXXII. sive Iphitæum 1088. scribit: *Maxentius juxta pontem Mulvium à Constantino superatus occiditur.* Iniit vero annus Iphitæus 1088, sive IV Olympiadis CCLXXII, à diebus æstivis, anni P. Jul. 5025, sive Christi CCCXII. Post Junium igitur anni CCCXII. interfectus est Maxentius: quia tum primum annus Olympiadis IV, incipiebat: & tamen ante Calendas Januarias: quia tum & Coss. Imperio se abdicarant, & æra CCCL finita erat. Panegyricus autem Constantino Augusto dictus, ita de hac clade Maxentii loquitur. *Sed divina mens, & ipsius urbis æterna Majestas, nefario homini eripuere consilium, ut ex inveterato illo torpore, ac fœdissimis latebris subito prorumperet, & consumpto per desidias senio, ipsum diem natalis sui ultima sua cæde signaret, ne septenarium illum numerum, sacrum & religiosum, vel inchoando violaret.* Vitium in his verbis est, ut monuit Petavius. Neque enim senex esse poterat Maxentius, cujus Parens, qui brevi antea decesserat, saltem sexagenarius erat. Rescribo ergo pro senio *senione.* Est autem senio, apud Martialem, numerus senarius in talis; opponit ergo heic Panegyristes senionem Numero septenario, ut patet. Petavius sexennium poni vult: sed quivis suam sequatur opinionem. Eodem tamen res recidit; Panegyristes enim dicere vult, natali ipsius Imperii die, & quidem exacto sexennio, Maxentium fuisse occisum. Si igitur sex solidi anni, à præscriptis annis detrahantur: residuus erit annus P. Julianæ 5019, Christi CCCVI, Iphiti 1082, sive Olympiadis CCLXXXI annus II. Æra CCCXLIV: Idem plane annus, quo Constantinus Augustus factus est. Refert vero Zosimus lib. II, Constantino à militibus in Imperio patri substituto, ejusque Romam imagine perlata, Maxentium æmulatione percitum, Prætorianorum ope militum Imperium usurpasse. Et cum, ut antea dictum fuit, Constantinus VIII Cal. Aug. in Britannia Imperator renunciatus sit; admodum verisimilis est Onuphrii & Pantagathi opinio, qui VIII Cal. Octobris Maxentium incepisse produnt. Neq; enim facile ante istud tempus ista omnia expediri poterant. Verisimilis ergo opinio nostra est de Indictione Constantiniana. Neque enim annorum numero, sed saltem initiali die ab Hadriani differebat. Et cum duo saltem Indictionum sint initia unum Calendis Septembris, alterum VIII Calendas Octobris: quorum prior cum Indictione generali sive totius Imperii Romani, posterior cum Indictione Urbis Romæ convenit: posterior ergo Constantiniana erit. Nam Cyclus quindecim annorum sive Indictionum, non Constantinum agnoscit auctorem, sed Hadria-

Hadrianum: ut antea demonstravimus. Ex hisce tribus Cyclis, Solis, nempe, Lunæ & Indictionum in se ductis, Græci maximum quendam Cyclum confecerunt; cujus primus annus habet Cyclum Solis I, Lunæ I, Indiction I: ultimus vero Cyclum Solis XXVIII, Lunæ XIX, Indiction XV. Et hic Cyclus, nonnisi annis 7980, explicari potest: quod ex calculo patet. Ducto enim Cyclo Solis, annorum XXVIII, in Cyclum Lunæ annorum XIX: prodibit Cyclus Victoris DXXXII annorum. Et tum quidem, Cycli Solis & Lunæ iidem erunt, qui ante annos DXXXII fuerant. Si enim, verbi gratia, Cyclus Solis in quodam anno fuerit I, Lunæ I: ante absolutos annos DXXXII iidem characteres convenire non possunt. Quod si DXXXII, per XV, multiplicentur: prodibit Cyclus annorum VII. MDCCCCLXXX, quo absoluto, omnes tres characteres rursum convenient. Hic magnus ille Cyclus est; cujus initium Græci cum orbis Initio conferunt. Et hoc Isaacus Argyrus semper utitur. Hoc Constantinopolitani atque ipsi Antiocheni fastos signant. Convenit vero Cyclus hic magnus cum Cyclis Solaribus & Lunaribus Græcorum: non vero Latinorum. Primus namque annus Cycli illorum magni, qui est Cycli Solis I, Lunæ I, Indictionum I, est juxta vulgarem Computum, Cycli Solis XVII, Lunæ IV, Indictionum I. Refert Isaacus Argyrus Anno 6881, hoc est, ut ipse explicat, XXI Cycli Solis, Lunæ III, Pascha Christianorum in XVII Aprilis incidisse; idque ea de causa, quod Iudæorum X Aprilis celebratum, in feriam primam inciderat. Vid. eundem cap. de Methodo Inveniendi Paschatis pag. 374. *edit. Petavii.* Iam ut capite septimo dictum fuit, Cyclus Lunæ Græcorum tertius, est Alexandrinorum VI: In laterculis vero Neomeniarum Paschalium, cap. I. exhibitis, Aureus Numerus Alexandrinorum VI, Latinorum (hoc est Græcorum) III ad 28. Martii est adscriptus. XIV. ergo Paschalis omnino incidit in X Aprilis. At juxta Methodum, capite VII. propositam, si IV à Cyclo Solari Græcorum auferantur: dabit residuum, annum Cycli nostri. Annus ergo XXI Cycli Græcorum, erit XVII nostri: adde juxta Methodum 4 propter 4 Bissextiles: habebis initialem feriam anni VIII. cui si Epactæ, Martii communis, VI. addantur: incipiet Aprilis à feria VI adeoque X Aprilis erit feria I, & XVII feria prima. Cyclus vero XVII. noster, est vulgaris X: ut eodem capite dictum fuit. Annus ergo XXI Cycli Græcorum, est X. Cycli vulgaris, quapropter XI, Cyclo Græcorum detracta, dant Cyclum vulgarem: eademque, Cyclo vulgari adjecta, dant Cyclum Græcorum. Cyclus ergo Solis Græcorum I. est Vulgaris XVII. & Vulgaris I est Græco-

rum XII. Primus Scaliger ex vulgaribus Cyclis magnum Cyclum conſtruxit, eundemque anno Chriſti vulgari applicuit. qua quidem re inſignem apud omnes laudem eſt conſecutus. Eſt vero Cyclus hic annorum 7980, quem Scaliger Periodum Julianam appellavit. Eam vero, ad annos vulgares Chriſti, ſive Epocham illam, omnibus Chriſtianis, Europæis præcipue, optime cognitam, hoc modo applicuit. Annus Cycli ultimus is neceſſario eſſe debet, qui Cyclum Solis habeat XXVIII, Lunæ XIX, Indictio: XV. his enim annis, omnes tres Cycli terminantur. Ultimo vero magnæ Periodi anno, omnes Cycli minores debent terminari. Id vero in annis Chriſti nunquam contingere poteſt, antequam ad annum, poſt natum Chriſtum III. M. CCLXVII, ventũ fuerit Hic enim primus inter omnes annos Chriſti habebit Cyclũ Solis XXVIII, Lunæ XIX, Ind. XV, adeoq; ſequens 3268, erit Cycli Solis I, Lunæ I, Indictionis I. quo novus Cyclus annorum 7980 incipiet. Annus ergo Chriſti 3267, erit Cycli ſive Periodi Julianæ 7980, hoc eſt ultimus. Aufer ergo ab integra Periodo ſive annis 7980. annos hos omnes Chriſti 3267: habebis annum 4713. qui Chriſti Epocham proxime præcedet, & 4714. conveniet cũ primo anno Chriſti. Datis ergo annis Chriſti, pro inveniendo Anno Per. Iul. adde 4713: contra, hæc eadem, annis Periodi Iulianæ aufer, pro Chriſti annis inveniendis: & productum aut reſiduum dabit quæſitum. Annus, quo hæc ſcribo, eſt Chriſti MDCXLVIII: velim ſcire annum Periodi Iulianæ: addo 4713, prodit annus P. Iulianæ 6361. Hæc diligenter conſideranda veniunt, maximum enim uſum habent. Nam & alii Chronologi, & nos quoque ſemper in hoc ſcripto, ut & in calculo his annis utimur. Periodus vero Conſtantinopolitana, eodem modo ad annos Chriſti, adeoque omnium tempora accommodari poterit. Annus namque Chriſti 2472, eſt Cycli Solis Græcorum XXVII, communis XVII, Cycli Lunæ Græcorum XIX, commun. III; Cycli Indict. XV. adeoque ultimus Cycli 7980 annorum. Aufer 2472 ab Integro Cyclo: reſiduus eſt annus Cycli 5508, qui primum Chriſti annum proxime præcedit, adeoq; primus annus eſt Per. 5509. Dato ergo anno Chriſti, pro inveniendo anno Cycli Conſtantinopolitani, adde 5508. Contra dato anno Cycli Conſtantinopolitani pro inveniendo anno Chriſti, aufer 5508: habebis quæſitum. Unde manifeſtum eſt, Cyclum Conſtantinopolitanũ 795. annis ante Periodum Iulianam incipere. Si enim 4714. qui eſt ann. Chriſti in P. Iuliana, detrahatur ab 5509, anno Chriſti I in Period. Conſtantinopolita. remanebunt 795. Datis ergo annis P. Iul. adde 795. habebis Periodum Conſtantinopolita-

polita-

politanam: contra datis annis P. Constantinopol. aufer 795. habebis annos P. Iulianæ. Exemplis hæc demonstranda sunt. Refert Isaacus Argyrus, Anno 6881. Græcorum, Pascha Iudæorum incidisse in x Aprilis feriam primam. Erat tum Cyclus Græcorum Solis xxi, Lunæ iii. Indictio xi, hoc est, juxta vulgarem Computum, Cyclus Solis x, Lunæ vi, Indictio xi. vide Isaacum Argyrum, & quæ nos ex ipso nunc disputavimus. Ut hi tres characteres conveniant, nonnisi semel in annis 7980 fieri poterit. Annus vero P. Iul. 6086. est Cycli vulgaris Solis xi, Lunæ vi, Indict. xi. hoc est juxta Constantinopolitanam: Solis xxi, Lunæ iii, Indict. xi. hic ergo annus est Per. Constantinop. 6881. Videamus quid Methodus nostra det, aufer 795, à 6881: prodeunt 6086. omnino ut prius. In codice Evangeliorum Arabicorum Scaligeri ad calcem ita legitur. كمل هذا الانجيل

المقدس بفضل ربنا ومخلصنا يسوع المسيح في الحادي
وثلثين من شهر تموز يوم الثلثا التاريخ الثاني
عشر سنة ستة الاف وستماية وسبعة وثمنين للعالم

Explicitum est sacrosanctum hoc Evangelium, ope Domini nostri & Servatoris nostri Iesu Christi, die una & tricesima mensis Tamuz, feria tertia, æra anno xii: *sexies millesimo sexcentesimo octuagesimo septimo mundi*. Si à 6687 auferantur 795: remanet 5892 annus P. Julianæ, qui est Cycli Solis xii, in quo xxxi Tamuz, hoc est xxxi Julii, ut postea dicitur, incidit in feriam iii: idemq; est Cycli Indictionum xii, quem Scriptor hic تاريخ sive Epocham vocat xii. De usu Periodi Iulianæ, multa habes apud Scaligerum & Petavium, quos ea de re consulere poteris. Is longe maximus est, quod Cyclos omnes, Solis, Lunæ, Indictionum, omnibus temporibus convenientes, certissime, & nullo pene negotio exhibeat; adeoque certissimis ac quasi Mathematicis characteribus, tempora rerum gestarum signet. Quomodo autem Cycli hi facillime inveniri possunt, nunc paucis exponemus. Cyclus hic magnus, ex tribus, uti dictum est, aliis Cyclis componitur: quorũ prior xxviii annorum est, & Solis vocatur; alter xix, qui Lunæ, tertius xv. qui Indiction. est. Pro inveniendo igitur Cyclo: ab dato Periodi anno, Cyclos minores toties aufer quoties poteris: residuum, dabit annum Cycli. Anno P. Jul. 4714. hoc est Christi primo, si xxviii, sive Cyclum Solis toties abstulero, quoties fieri poterit, remanent x; si xix, hoc est Cyclũ Lunæ, remanent ii: si xv, sive Cyclum Indictionum, remanent iv. Cyclus ergo Solis illo anno fuit x. Lunæ ii. Indict. iv.

Et hæc quidem vulgaris methodus, quæ laboriosa admodum ac tædiosa est, imò & errori facile obnoxia: cum per longam illam Divisionem peragatur. Nos aliam methodum adinvenimus, quo facillime, certissime & minimo labore, ex datis Periodi annis minorum Cyclorum annos eruimus. Modus in quovis Cyclo peculiaris est, qui ita se habet. Pro inveniendo Cyclo Solis si annus Periodi datus excedat 200; abjectis 200, quoties fieri potest, addantur residuo pro singulis quatuor: si 100 excedat; pro abjectis centum, adde summæ 16. Residuum per 28 divisum dabit quæsitum. Exemplum: Quæratur ad annum Christi 1. P. Iul. 4714 Cyclus Solis. In annis 4714. ducenta, ter & vicies continentur. 23 ergo per quatuor multiplicata dant 92. quæ addita residuo 114 dant 206. Abjice 200. & pro iis adde summæ quatuor prodit numerus 10. qui est Cyclus Solis. Alia methodus facilior. Datos millenarios, & centenarios pares, duplica: summam adde residuo: productum divide per 28: & residuum dabit quæsitum. In priori exemplo 4714. priores duo numeri 46 (4 nempe millenarius, & 7, centenarius, qui quia impar numerus est, pro eo substituitur 6. proxime minor) duplati dant 92: quæ addita ad 114 residuum prius (si enim 46 binos priores numeros à 4714. abstuleris, remanent 114.) dant 206. Pro ducentis adde 4; productum dabit 10 Cyclum Solis. Aliud Exemplum in Periodo Constantinopolitana: Annus hic idem Christi est P. Const. 5509. 54. duplata dant 108. quæ addita ad 109 dant 217. pro ducentis adde residuo 4. prodit Cyclus Græcus XXI. hoc est Latinus X. Rursum annus quo hæc scribo est P. Constanti. 7156. 70 duplicata dant 140, quæ addita ad 156, dant 296. abjectis ducentis, & pro iis additis summæ 4: prodeunt 100; quæ divisa per 28 dant residuum 16. Ergo Cyclus est 16. Quodsi in Cycli computo post divisionem absolutam nihil remaneat, tum annus datus est ultimus Cycli, quod semel de omnibus Cyclis monuisse suffecerit. Quod si & minima hæc divisio odiosa fuerit: observa tres hosce numeros 28. 56. & 84. quorum prior unum Cyclum continet, alter duos, tertius tres, quorum proxime minorum dato numero aufer: residuum dabit Cyclum. Annus quo hæc scribo est P. Iul. 6361. 62 duplicata dant 124. quæ addita residuo 161. dant 285. abjice ducenta, & adde summæ quatuor prodeunt, 89 quibus si 84 detraxeris remanet Cyclus solis 5. Rursum annus Christi 1634. est P. Iulianæ 6347. 62 duplicata dant 124. quæ addita ad 147 dant 271. pro ducentis addita 4 dant 75. quibus si proxime ex tribus prioribus numeris minorem 56. auferas, remanet 19. Cyclus Solis. Demonstratio hujus manifesta

est,

est. Neque enim quæritur quot Cycli effluxerint, sed saltem quotus Cycli cujuscunque, annus quidam sit; ideoq; pro 200 pono 4. pro 100 16; quod tantum, prædicti numeri, Cyclos excedant. Cyclus Lunæ XIX annis constat. Centum anni Cyclos quinario sive 5 numeris excedunt. Ducenti 10. trecenti 15. Quadringenti 1. Datum ergo numerum per 400 divide, quotientem residuo adde; & si summa 300 major fuerit, his abjectis adde residuo 15: si 200, adde 10: si 100, adde 5: summam per XIX. divide. Quod si & hæc ultima divisio odiosa fuerit, 5. hos numeros 19. 38. 57. 76. 95. observa, quorum quemlibet proposito numero proxime minorem datæ summæ aufer, remanebit Cyclus Lunæ. Annus P. Iul. 4714. est primus Christi. velim scire Cyclum Lunæ. Divisis 4714. per 400. remanet in quotiente cum residuo 314. cui si quotientem 11. addideris, prodit 325. Abjectis 300, adde summæ 15. prodeunt 40. cui proxime minor numerus 38 ablatus monstrat 2. Cyclum Lunæ. Annus Christi M. DC. XLVIII. est P. Iul. 6361. qui divisus per 400, dat residuum 361. quibus si quotientem 15 adjecero: prodeunt 376. pro trecentis abjectis, adde 15, prod. 91: cui proxime minor 76 ablatus, residuum dat 15. Hoc ergo anno Cyclus Lunæ est XV. In Periodo Constantinopol. 5509. primus Christi annus, per 400 divisus, dat residuum 309: cui si quotientem 13 adjeceris, prodibit 322. Pro 300 addita 15, dant 37: cui proxime minor 19 ablatus, dat residuum 18 annum Cycl. Græcorum, hoc est, 11. Cycli Alexandrinorum, omnino ut prius. Rursum Annus, quo hæc scribo, Per. Constant. 7156, per 400 divisus dat residuum 356, cum quotiente 17; qui residuo additus, dat summam 373: cui 300 ablata, & pro iis addita 15, dnt 88. cui proxime minor numerus 76 ablatus, dat Cyclum 12 Græcorum, XV Alexandrinorum sive vulgarem, omnino ut prius. Indictionum Cyclus XV absolvitur. XX vero Cycli sunt præcise 300. Unde omnibus numeris qui 300 excedunt aufer quoties poteris 300: pro ducentis autem, pone 5, pro centum, 10: summam per 15, divide: aut si id grave fuerit; nota hos numeros, 15, 30, 45, 60, 75, 90. quorum dato numero proxime minorem summæ aufer: residuum dabit quæsitum. Anno P. Julianæ 4714 si 300 abjecero quoties fieri possit, residuum dat 214. abjectis 200, & pro iis additis 5, prodeunt 91. cui proxime minor 15 detractus, dat Indictionem 4. Rursum 6361 Anno P. Jul. si 300 auferantur: remanebit 61. cui proxime minor 60 ablatus, dat Indictionem 1. huic anno convenientem. Idem in Periodo Constantinopolitana obtinet. Et horum quoque demonstratio ex iis manifesta redditur, quæ

ad Cyclum Solis dicta sunt. Hæc ergo, quamvis primo intuitu difficilia videantur: usu tamen facillima redduntur. Et tum quidem omni fere calculi tædio computistam liberant, cui in divisione illa, præsertim in magnis numeris, nimis est obnoxius: καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα.

CAP. IX.

Disputatur de anno Iudaico. Iudæi juxta φάσιν Neomenias observabant. Scaligeri Opinio de Calippica anni Iudaici forma examinatur. Iosephus explicatur. De jejuniis Iudæorum. De tempore captæ Vrbis Hierosolymorum à Pompejo & charactere ejusdem. Dio castigatur. De expeditione Antiochi Sidetis in Parthos, ejusque vero tempore. Difficillimus Epiphanii locus de Tessaradecaeteride & Ogdoecontatessaraeteride Iudæorum explicatur: ubi Petavii opinio examinatur. Ratio, cur Iudæi, temporibus Constantini, Pascha ante Æquinoctium celebraverint. De octaeteride Iudaica Petiti & Vossii opinio examinatur. Vera ratio mensium Iudaicorum proponitur. Modus inveniendi ad quodlibet tempus Neomenias & plenilunia Iudaica tam juxta Talmudicos quam Scripturarios. R. Elia Scripturarius & R. Moseh Majemon emendantur.

ABsoluta generali temporis consideratione: nunc ad specialia veniendum erit. Neque enim temporis naturam novisse satis est: nisi una cognitum habeamus; quomodo gentes & populi hæc ad suorum temporum rationes applicuerint. Neque tamen omnium gentium annos ac tempora civilia pertractare volumus; cum id ab instituto nostro alienum sit: sed illa saltem, quorum cognitio nobis in hoc scripto usui futura est.* Cum vero rationi consonum sit, ut ab antiquissimorum temporibus incipiamus: Ebræi primum dicendi erunt, quos & antiquissimos esse constat, & paternorum rituum tenacissimos: quorum anni rationem si explicatam habuerimus, & ipsorum Patriarcharum annus cognitus erit. Nobis vero maxime necessarium est, ut rationem, qua Judæi temporibus Christi, in mensibus annisque ordinandis usi fuerunt, cognitam habeamus. Hæc enim demonstrata; difficillimæ quæstiones erunt expeditæ, quæ in

annis

annis Christi occurrunt. De hac igitur præcipue agendum erit: quæ cum ex auctorum fide dependeat, paucis de illis dicemus. Non dubium est, quin antiquissimi scriptores, & qui illis ipsis temporibus, de quibus scripsere vivebant, quique hæc de quibus agimus optime cognita habebant, aliis omnibus sint præferendi. Jam vero Judaicam anni rationem, nemo melius novisse poterat, quam Judæi, & inter hos maxime docti: nec certius de his testimonium quisquam dare quam illi, qui de propriis temporibus agunt. Tales ergo testes sunt Philo Iudæus doctissimus, & Josephus, quorum prior iisdem plane, quo Servator Christus, temporibus, alter eodem seculo vixit. Hos sequitur Auctor Homiliæ Petri apud Clementem Alexandrinum etiam antiquissimus, & consarcinator Mischnæ Iehuda HaKadosh: qui vix c annos post ascensionem Christi vixit, & omnia sua ex schedis antiquissimorum Doctorum collegit. Quod si scriptores sequiores aliter de iisdem rebus sentire videantur: priorum placitis standum erit, & juxta illa posteriores explicandi. Doctissimi vero Rabbini, Majemon, AbenEzra aliiq; (qui quamvis aliis longe posteriores sint, tamen antiquitates proprias optime novisse poterant) in iis omnibus, ut certissimi testes admittendi sunt, in quibus ab antiquioribus nō refutantur. Testantur autem hi omnes, mensium rationes à visione Lunæ, annorum vero, à Solis motu dependisse. Majemon Hilchoth Kidus Hachodes. cap. 1. §. 1. חרשי השנה הם חרשי הלבנה שנאמר עולת חרש בחרשו ונאמר החרש הזה לכם ראש הדשים כך אמרו חכמים הראה לו הקבה למשה במראה הנבואה דמות לבאה כזה ראה וקרש והשנים שאנו מחשבין הם שני החמה שנאמר שמור את חרש האביב

Menses anni sunt menses Lunæ, prout dicitur Holocaustum novilunii in mense suo, & alibi dicitur, mensis hic erit vobis initium mensium, de quo ita dicunt sapientes: Sanctus ille benedictus monstravit Mosi in visione Prophetica speciem Lunæ, prout apparet quando sanctificatur. Anni vero quibus computamus, Solis sunt. Ita enim dictum est: Observa mensem Abib, sive frugum maturescentium. Ritum hunc de sanctificanda Neomenia à temporibus antiquissimis & Mosis ipsius deducit, quem semper à Judæis observatum fuisse docet, quamdiu Sapientes erant in terra Israelis: hoc est, ut ipse explicat ad tempora Abai & Rabba: cap. v. §. 2. & 3. ודבר זה הלכה למשה מסיני הוא שבזמן שיש צנהדרין קובעין על פני הראיה ובזמן שאין שם צנהדרין קובעין על פי החשבון הזה שאנו מחשבין בו היום ואין נזקקין לראיה אלא פעמים שהיה יום שקובעין בו בחשבון זה הוא יום הראיה או קדם לו ביום או אחריו ביום׃ ואימתי התחילו כל ישראל לחשב בחשבון זה מסוף חכמי תלמד בעת שחרבה ארץ ישראל

ישראל ולא נשאר שם בית דין קבוע אבל בימי חכמי משנ׳ וכן בימי חכמי תלמוד עד ימי אביי ורבא &c. *Et hoc traditum Mosi de monte Sinai, quocunq; tempore Sanhedrin fuerit in terra Israelis figunt vel constituunt mensem juxta visionem. Quando vero Sanhedrin ibi non fuerit: constituit juxta calculū quo nos supputamus hodie. Nec opus habent visione: sed quotiescunque diē constituunt juxta calculum hunc, hac vera est neomenia, sive visionem die uno anticipet, sive posterior sit uno die. Incepit vero omnis Israel supputare juxta calculū hunc, post tempora sapientū Talmudis, cū vastata esset terra Israelis, ut amplius Domus Iudicii illic non superesset: & hac vastatio fuit temporibus sapientū Misna & Talmud, usque ad tempora Abai & Rabba.* Quia ergo temporibus Christi Sanhedrin in terra Israelis erat, ergo tunc hac ratione usi sunt. Confirmat hoc Philo, qui ipsis Christi temporibus floruit pluribus in locis. Ubi enim de illa festivitate gentis suæ agit, quam Ebræi Ros Hodes sive initium mensis vocant, illam μετὰ σύνοδον τὴν κάτα τινα σεληνιακὴν, νεομηνίαν. *Novilunium, quod, Synodum Lunarē sive nova cujusdam Luna sequitur* appellat. Unde nō ipsa Synodus Philoni Neomenia est, sed Luna nova, quæ Synodū sequitur, hoc est φάσις: quod alibi ita explicat: Νεομηνία γὰρ ἄρχεται φωτίζειν αἰσθητῷ φέγγει σελήνην ἥλιος. *Neomenia enim Sol incipit sensibili splendore Lunam illustrare.* Neomenia, juxta Græcos, Luna plane occultatur: at Philoni, tum apparere incipit. Philo igitur, ex placitis suæ gentis, Neomeniam à prima visione Lunæ inchoat. Antiquissima concio, apud Clementem Alexandrinum, stromateon VI. pag. edit. Florent. 268, quæ Petro Apostolo tribuitur (quæ quamvis Petri non sit, ut ex ipsis verbis cuivis sit manifestum: antiquissimam tamen esse, inde patet, quod ipso Clemente, qui vix centum annis Apostolorum temporibus inferior erat, tanto sit antiquior, ut verū auctorem ignoret) ita de Judæis loquitur: κἂν μὴ σελήνη φανῇ, σάββατον οὐκ ἄγουσι, τὸ λεγόμενον πρῶτον, οὐδὲ νεομηνίαν ἄγουσιν, οὔτε ἄζυμα οὔτε ἑορτὴν οὔτε μεγάλην ἡμέραν. *Et nisi Luna appareat; sabbathum non celebrant, quod primum dicitur, neque Neomeniam agunt, neque Azyma, neque festum, neque magnum diem.* Manifestum est, Judæos illis temporibus, non à jugo sed φάσει, νεομηνίας inchoasse. Firmissimè vero ac evidentissime ex Misna Talmudica hoc demonstratur. Misna namq;, imo & sapientes Gemaræ, Neomenian civilem, præter illam, quæ ex visione dependet, agnoscunt plane nullam. Vide Codicem Roshasana, ex quo nos summa saltē capita citabimus; cætera qui volet, ipsum textum consulat: neque enim omnia heic exscribi possunt. Et quamvis Jehuda auctor Misnæ, ipsius Servatoris Christi temporibus minimè vixerit: sapientes tamen illi, quos citat, & quorum schedis in concinnando opere usus fuit, ipsi Chri-

Christo erant coætanei. Imo & ad Christi tempora rationem hanc Neomeniarum anniq; pertinuisse, tam ex epistola Rabban Gamalielis Principis Synedrii & Pauli Apostoli Præceptoris, quæ in Gemara Sanhedrin adducitur, patet: quam ex illo, quod idem Gamaliel imagines Lunæ in tabula delineaverat, juxta quas, testes examinabat. Verba ipsa ex cap. 2. §. 8. *Ros hassanah* desumpta hæc sunt: דמות צורות לבנות היו לו לר״ג בטבלא ובכותל בעלייתו שבהן מראה את ההדיוטות ואומר הכזה ראית או כזה *Imagines φάσεων Lunarium erant ipsi Rabban Gamalieli in mensa & in pariete, in cœnaculo ipsius, quas ostendens idiotis rogabat, utrum hanc speciem vidisti, an illam?* Sanè si illis temporibus testes de qualitate φάσεως examinari debebant, cui usui mensa ista dicata erat: ergo & à φάσει temporibus Christi Neomeniæ dependebant. Sententia hæc summo viro Josepho Scaligero minus placere videtur. Quicquid enim de Phasi, cæterisque in Talmude legitur, id omne ad antiquissima tempora pertinere arbitratur. Sed sane manifesta res, quæque tot tantisque testibus, non auritis, sed oculatis confirmatur ac demonstratur, sequiorum hominum dubitationibus ac conjecturis minimè obnoxia esse debet. Et mirum est, ipsum tam confidenter hæc negare, suamque de Cyclo Calippico opinionem affirmare, fuisse ausum, cum ne unum quidem testem laudet; sciretque, sine teste fidem sibi in his non haberi. Adducit tamen loca quædam ex Josepho, quæ quia Periodo Calippicæ convenire videntur, inde concludit, Iudæos formam Periodi Calippicæ habuisse. Sed quam infirmum illud sit; quivis videt. Iudæi juxta Lunam menses agebant: ideoque quamdiu Calippica Periodus cum Lunæ rationibus conveniebat, tamdiu etiam Iudaicæ Neomeniæ cum Calippicis in eundem diem incidebant. Imo, & cum Calyppicæ uno saltem die tardiores erant, Iudaicæ interdum convenire poterant, propter diversitatem φάσεως. Si igitur exempla ista Iosephi cum illa ratione anni Iudaici convenire poterant, quam scriptores supradicti probant: dubium non est, quin Calippica anni ratio expellatur, quæ tam infirmo subnixa est fundamento. Primum vero exemplum, quod ex Iosepho adducit, nihil probat. Verba Iosephi ex v. ἁλώσεως cap. ια´. hæc sunt: *καὶ τῆς τῶν ἀζύμων ἐνστάσης ἡμέρας, τεσσαρεσκαιδεκάτῃ Ξανθικοῦ μηνός, ἐν ᾗ δοκοῦσιν Ἰουδαῖοι τὸ πρῶτον ἀπαλλαγῆναι χειρῶν Αἰγυπτίων. Et instante festo Azymorum, 14 die mensis Xanthici, quo Iudæi se ab Ægyptiis liberatos existimant.* Pro Xantico, Scaliger aliique Aprilem Iulianum, tam in hoc, quum in altero loco substituunt. At qua illud auctoritate? Iosephus sane Macedonum mensibus, utpote Græcis magis cognitis utitur.

tur. Nec tamen Solares illos adhibet, ſed Lunares: quod hi quam proxime cum Iudaicis menſibus convenirent. Unde & frequenter ita conferuntur: ut plane pro iisdem habeantur. Ἀρχαιολογίας I. cap. IV. ἐν μηνὶ δευτέρῳ, Δίῳ μὲν ὑπὸ Μακεδόνων λεγομένῳ, Μαρσουάνῃ δὲ ὑπὸ Ἑβραίων. οὕτω γὰρ Αἰγύπτιοι τὸν ἐνιαυτὸν ἦσαν διατεταχότες. Μωυσῆς δὲ τὸν Νισὰν, ὅς ἐστι Ξανθικὸς, μῆνα πρῶτον ὥρισεν, κατὰ τοῦτον ἐξ Αἰγύπτου τοὺς Ἑβραίους προαγαγών. *Menſe ſecundo, qui Dius Macedonibus vocatur, Ebrais vero Marchesvan. Sic enim Ægyptii annum diſtinguebant. Moſes vero primum menſem conſtituit Niſan, qui ex Xanthicus, quo Ebraos ex Ægypto eduxerat.* Et rurſum capite x. τῷ δὲ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ, ὃς Νισὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται, καὶ τοῦ ἔτους ἐστὶν ἀρχὴ, τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην, ἐν κριῷ τοῦ ἡλίου καθεστῶτος. *Menſe vero Xanthico, qui nobis Niſan eſt, & anni initium, 14 die juxta Lunam, Sole in ariete exiſtente.* Sicut ſuperiori loco Dium per Marchesvan, & Niſan per Xanthicum explicuerat: ita heic Xanthicum, per Niſan exponit; atque illius 14, juxta Lunam, Paſcha celebrari docet: quod omnino XIV Niſan convenit. Xanthicus ergo menſis plane Lunaris eſt. Nil ergo aliud ex hoc loco concludi poteſt, quam Niſan & Xanthicum iſtis temporibus ferè conveniſſe; quod & verum eſt. Alter locus, de Paſchate octavo Xanthici celebrato, (quod de Aprili Iuliano explicandũ eſſe videtur) nil quicquam probat. Non enim Ioſephus dicit, VIII Xanthici Paſcha fuiſſe celebratum: ſed tum miraculoſam illam lucem effulſiſſe; idque cum homines ad feſtum Azymorum convenerant. Notum vero eſt, dies quosdam ante feſtivitatem plurimos conveniſſe. Vid. Petavium de Doctr. Temp. lib. II. cap. XXVI. Priora igitur duo exempla nihil probant. Sicut neque illud, quod ex hiſtoria Paſſionis Chriſti deſumpſit. Dicit enim, Neomeniam & plenilunium, juxta calculum verum, in feriam ſextam incidere; debet autem convenire cum feria ſeptima. Hoc unde probat? Nos negamus, Paſcha σταυρώσιμον in Sabbathum incidiſſe: quod volente Deo in ſequentibus pluribus demonſtrandum erit. Tum & illud, de translatione Neomeniæ Tiſri, à quarta in quintam, propter אדו huc nihil facit, quæ omnia lib. III refutata invenies. Nunc reliqua duo exempla examinabimus, prioribus quippe ipſe Scaliger parum fidit, quorum demonſtrationem ita concludit. *Sed nihil agimus, niſi porro confirmemus.* Anno P. Iul. 4651. Coſſ. M. Cicerone, & C. Antonio, Urbs à Pompejo capta fuit, τῇ νηστείας ἡμέρᾳ, τῷ τρίτῳ μηνί. *Die Iejunii, menſe tertio.* Eſt vero menſis tertius non Tamuz, ſed Siwan. Dicit vero Scaliger, Iejunium illud fuiſſe XVII diei Tamuz; quandoquidem ſolemne Iejunium erat. Sunt quippe quatuor Iejunia maximè celebria apud Iudæos,

dæos, quorum ipse etiam Zacharias meminit: cap.8.v.19. *Iejunium quarti, & jejunium quinti, Iejunium septimi, & jejunium decimi, erunt in lætitiam & gaudium domui Iuda & dies festos.* Subintellige mensis &c. Qui quidem locus ita in veteri commentario, qui ὑπομνηστικὸν Ἰωσίππου vocatur, sub tit. ποίας νηστείας Ἰουδαῖοι νηστεύουσιν explicatur. Νόμιμον μὲν οὖν νηστείαν τὴν ἐν τῷ ἑβδόμῳ μηνὶ δεκάτῃ τοῦ μηνὸς νηστεύειν παρειλήφασιν. Εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι δ΄ αὐτοῖς παρειλημμέναι νηστεῖαι, καὶ παρὰ τῷ προφήτῃ Ζαχαρίᾳ μνημονευόμεναι. περὶ ὧν φησι, νηστεία ἡ τετάρτη, καὶ νηστεία ἡ πέμπτη, καὶ νηστεία ἡ ἑβδόμη, καὶ νηστεία ἡ δεκάτη, ἔσονται τῷ οἴκῳ Ἰούδα, εἰς χαρὰν, καὶ εἰς εὐφροσύνην, καὶ εἰς ἑορτὰς ἀγαθάς. καὶ ἡ μὲν τοῦ τετάρτου μηνὸς νηστεία ἐστὶν, ἐν ᾧ μηνὶ ἡ πόλις ὑπὸ τοῦ Ναβουχοδονόσορος ἐῤῥάγη. ἡ δὲ τοῦ πέμπτου, ἐν ᾧ ἐνεπρήσθη ὁ ναός. Ἑβδόμου δὲ ἐν ᾧ ὁ Γοδολίας ἀνῃρέθη ὑπὸ Ἰσμαήλου. καὶ δεκάτου, καθ᾽ ὃν μῆνα τοῖς οὖσιν ἐν Βαβυλῶνι ἀπηγγέλη τὰ γενόμενα ἐν Ἱερουσαλὴμ ἅπαντα κακά. *Ex lege acceperunt jejunium mensis septimi, die decimo observandum. Sunt etiam alia quatuor eis recepta, eaque à Sacharia Propheta memorata, ubi ait: Iejunium quartum, & Iejunium quintum, & Iejunium septimum, & Iejunium decimum, erunt domui Iuda in gaudium, lætitiam, & dies festos. Et quarti quidem mensis Iejunium est, quo civitas à Nabuchodonosore fuit vastata: quinti vero, quo templum conflagravit: Septimi, quo Godolias ab Ismaele fuit occisus: & decimi, quo iis, qui Babylone erant, omnia mala annunciata fuere, quæ civitati contigerunt.* Vid. Seldenum de anno cap. VIII. Et de his Iejuniis idem fere tradunt Magistri Iudæorum. Sed, Iosephus, non quartum mensem sed tertium numerat. Et tertio mense, etiam in Calendariis Iudæorum, ad XXIII diem, annotatur Iejunium, ob defectionem Israelitarum, sub Ieroboamo. At hic, neque ex nostro, neque ex Scaligeri epilogismo, Sabbathum est. Dio ergo, cum audisset Sabbathum in causa fuisse, quo minus Iudæi Romanos impedirent, sicut Iosephus narrat, existimavit Sabbatho urbem fuisse captam: quod tamen ex ipso Iosepho, scriptore harum rerum peritissimo, & calculo refutatur. Crediderim potius, Dionem, cum, Sabbatho urbem semel, circa ista tempora, fuisse captam, audiverat; illud ad nobilem hanc cladem, postquam Iudæi primum in potestatem Populi Romani venerunt, retulisse, & quod sub Herode & Sosio contigerat, illud existimasse ad Pompeji tempora referri debere. Anno namque 4677. Neomenia Sivan incidebat in XXXI. Maji feria VI. adeoque XXIII. dies mensis, sive jejunium illud, propter Idololatriam Ieroboami, incidit in Sabbathum, quo urbs capta fuit. Sed tamen si dicatur, XVII Tamuz heic intelligi: etiam is in calculo nostro, in diem Sabbathi incidet. Neomenia namque Tamuz contigit Hierosolymis Iunii XVI, hora post med. noct.

XVII, minut. 30'. 21". quibus si horæ 27. 30'. addantur, quibus durantibus videri poterat Luna & non videri: prodit dies XVII, cum horis 19. quo dies XVII Judæis Talmudicis finitus erat, & inceperat XVIII. Et quia in talibus turbis, nec Nuncii qui Lunam observarent mitti, nec testes in urbem venire poterant: prior mensis, qui XIX Maji inceperat, XXX dierum factus fuit. Cum ergo Neomenia incidat in XVIII Junii, Cycli Solis III, feriam V. ergo XVII dies mensis est Sabbathum. Scaliger ergo nullum hinc suæ sententiæ subsidium petere potest. Alterum de Pentecoste exemplum male à Scaligero allegatur, ut Petavio demonstratum est. Anno enim Imperii ultimo Antiochus expeditionem hanc contra Parthos suscepit, quippe qui in eadem periit, ut Josephus testis est, Antiquitatum XIII. cap. XVI. Regnavit autem Antiochus ille, ipso Scaligero teste, annos IX. Ergo nono ipsius anno illa expeditio contigit, cui Hyrcanus interfuit. Et cum quartus annus Antiochi, quo Judæam ingressus est, conveniat cum anno 4579 P. Jul. à cujus Tisri Judæorum 3626 incepit, ut Scaliger demonstrat: ergo IX annus erit 4584, P. Iulianæ. Et isto quidem anno Neomenia media Nisan contigit Hierosolymis XX Martii, hora post med. noct. 15. 47'. unde Novilunium Civile contigit XXI Martii: adeoque XVI Nisan est V. Aprilis, qui Cyclo Solis XX incidit in feriam I. unde Pentecoste sive quinquagesimus à 16 Nisan, etiam in feriam primam incidit. Verum itaque est quod Damascenus & Iosephus referunt. ἐνέςη γὰρ ἡ Πεντηκοςὴ ἑορτὴ μετὰ τὸ σάββατον, *instabat namque Pentecoste post Sabbathum.* Patet igitur, quam infirmis argumentis hæc sententia subnitatur. Imo quod parum firma esset, acutissimus Vir eandem in posterioribus lucubrationibus tacite retractavit. Ita enim in Canon. Isagogicis Lib. III. Comm. in cap. VI. scribit. *Igitur templo adhuc stante, mensis merè lunaris Hipparchi in usum à Iudæis receptus erat: quo tempore, an Iudæi, neomenias à visione Lunæ, an ex scripto, secundum modum ab Hipparcho definitum instituerint, jam dudum Iudæi inter se velitantur, & adhuc sub judice lis est. Tamen ex Talmud constat, testes integræ existimationis, καὶ ἀμωμήτυς, à Iudicum consessu in montana mitti solitos, penultima die omnium mensium, ad nascentem Lunam speculandum: ut ex eorum fide neomenia sanctificaretur. Et certe, major pars priscorum Iudæorum in ea sententia est.* Quos autem Rabbinos aut Doctores dicat, qui de hac re contendant, nescio. Inter Carræos quidem, & Talmudicos de Neomenia controversia est: sed utrique tamen istis temporibus φάσιν approbant. Scaliger ergo in posterioribus lucubrationibus satis nostræ sententiæ favet; quamvis methodum quærendi

aut

aut inveniendi tales Neomenias nullibi proponat. Petavius quoque libro 11. de Doctrina Temporum, cap. XXVII, hanc eandem sententiam diducte explicat. Idem tamen postea, cap. XXIX, Cycli cujusdam rationem proponit longe ab hac diversam, qua Iudæos temporibus Christi fuisse usos contendit. Imo ex hoc vitioso Cyclo caussas eruere conatur, propter quas Iudæi Pascha suum quatuor diebus procrastinaverint. Nos caussis procrastinationis Iudaicæ heic missis, utpote, quæ tertio libro accuratius sunt examinandæ; ipsum Cyclum ex mente Epiphanii explicare conabimur. Locus, qui de Cyclo hoc agit, exstat hæresi LI, quæ est Alogon, & valde obscurus, imo & corruptus esse videtur: quem quidem in Latino Cornarii primum legi, cum Græca nondum mihi essent visa. Et his quidem verbis illum exposuit Cornarius. *Habet vero calculus horas quasdam subtilis rationis, quæ quidem tertio anno apud illos incidit, & est differens illa una dies. Apponunt namque cursui Lunæ, post trecentos quinquaginta quatuor dies, & alias per annum quatuor horas, ut sit in tres annos una dies. Propterea apud illos quinque menses sunt intercalares in annis 14: eo quod auferant à cursu Solis 365 dierum & horatum trium unam horam. Appositis namque horis deinceps, reliqui fiunt dies 360 præter unam horam. Vnde ipsi sexies multiplicantes annos 14, octoagesimo quarto anno, in octoagesimo quinto ponunt mensem intercalarem unum, ut sint in annos octoagintaquinque menses triginta & unus, qui debebant esse, juxta accuratum calculum, triginta unus mensis, & dies 24, & horæ tres.* Hæc verba corrupta nonnihil esse statim suspicabar, & pro illis verbis *eo quod auferant à cursu Solis 365. dierum & horarum trium unam horam:* legi volebam: *quinque dies & horas quatuor:* ultimo autem loco, *30 menses, & 28 dies, & horæ tres.* Postea cum Græca viderem, duasque editiones, Basilensem editam Anno 1544, & Parisiensem Petavii, conferrem: deprehendi Græca pro 360, 365 legere. Et tamen vitiosa hæc esse, & calculus ipse manifeste demonstrat: & ipse Petavius in annotatis concedit. Ita vero Græca habent: Ἔχει δὲ ὥρας τινὰς ἡ ψῆφος τῆς λεπτολογίας, ἥτις ἐμπίπτει διὰ ἐτῶν τριῶν παρ' αὐτοῖς, διαφαινομένη ἡ μία ἡμέρα. Προστιθέασι γὰρ τῷ Σεληνιακῷ δρόμῳ, μετὰ τὰς τριακοσίας πεντηκοντατέσσαρας ἡμέρας, καὶ ἄλλας, κατ' ἔτος, τέσσαρας ὥρας· ὡς εἶναι, εἰς τὰ τρία ἔτη, ἡμέραν μίαν. Διό, παρ' αὐτοῖς, πέντε μῆνες τελοῦνται ἐμβόλιμοι εἰς ἔτη δεκατέσσαρα. διὰ τὸ ἀφαιρεῖσθαι ἀπὸ τοῦ Ἡλιακοῦ δρόμου τῶν τριακοσίων ἑξηκονταπέντε ἡμερῶν καὶ ὡρῶν τριῶν, τὴν μίαν ὥραν. Προστιθεμένων γὰρ τῶν ὡρῶν λοιπὸν γίνονται τξέ ἡμέραι παρὰ ὥραν μίαν. ὅθεν αὐτοὶ ἑξάκις πολυπλασιάσαντες τὰ δεκατέσσαρα ἔτη τοῦ ὀγδοηκοστοῦ τετάρτου ἔτους, ἐν τῷ ὀγδοηκοστῷ πέμπτῳ τιθέασιν ἐμβόλιμον ἕνα μῆνα, εἰς τὸ εἶναι τριάκοντα καὶ ἕνα μῆνα, εἰς τὰ ὀγδοήκοντα καὶ πέντε ἔτη, οἵτινες ὤφειλον εἶναι, κατὰ τὴν ἀκρίβειαν,

τριακο-

τριακονταπεῖς μὴν καὶ εἰκοσιτέσσαρες ἡμέραι καὶ ὧραι τρεῖς. Hoc eſt, interprete Petavio. *Superſunt enim ex illorum ratiociniis horæ aliquot appendices, quæ tertio quoque anno diei apud illos unius diſcrimen afferunt. Quippe, Lunarem ad modum, præter* CCCLIV *dies horas inſuper quaternas adjiciunt, quæ ſingulis trienniis diem integrum conficient. Ob id anni* XIV *menſes poſtulant intercalares* V*: eo quod de Solis curſu, qui eſt dierum* CCCLXV*, cum horis* III *unam horam decerpunt. Nam horis additis, fiunt deinde* CCCLXV *dies, una hora minus. Vnde illi,* XIV *annis ſexies multiplicatis, ut* LXXXIV *anni conſurgant anno* LXXXV *menſem unum intercalant: quo fit, ut* LXXXV *anni* XXXI *menſes exhauriant: cum accurata ratio præter menſes* XXX*, dies præterea* XXIV*, ac tres horas requirat.* In commentario ad hunc locum pag. 164. ita concludit Petavius. *Vnde corrigenda Epiphanii verba, & ita dirigenda ſunt:* διὰ τὸ ἀφαιρεῖσθαι ἀπὸ τοῦ ἡλιακοῦ δρόμου τῶν τξε΄ ἡμερῶν πέντε ἡμέρας, καὶ μίαν ὥραν· προστιθεμένων γὰρ τῶν ὡρῶν λοιπὸν γίνονται τξ΄ ἡμέραι παρὰ ὥραν μίαν. *At in fine Numeri ita leg.* ὅσπερ ὄφελον εἶναι κατὰ τὴν ἀκρίβειαν τριάκοντα μῆνες καὶ εἴκοσι ὀκτὼ ἡμέραι. Hæc ſi unicum eximatur, ego quoque ut optima admitto, & ita locum emendari debere concluſi, antequam vel Petavium vel Kepplerum videram. Unicum ſaltem excipio. non enim *unam horam*, ſed *quatuor* erit legendum. Nam ſi ablatis his diebus & horis ex 365 & horis 3, ſaltem 360 dies minus una hora, hoc eſt 359 dies horæ 11 remanere debent: ergo auferendæ erunt dies quinq;, & horæ quatuor. Scribe ergo, ε΄ ἡμέρας καὶ δ΄ ὥρας quod ipſa ratio docet. Sed neque ſuperiora ſatis bene cohærent. Quid enim illud eſt? *Propterea & menſes quinque fiunt intercalares in annis* XIV*, eo quod auferantur à Solari curſu,* ut Græca ad verbum ſonant. an quinque menſes ideo in anno intercalantur, quod dies quidam curſui Solis auferantur? nihil minus, imo de menſibus nulla controverſia eſt. Exiſtimo omnino legendum eſſe, πέντε ἡμέραι πλεῖον ἐμβόλιμοι. Improprie loquitur Epiphanius, & Embolimos pro ſuperfluis habet: ſicut enim dies intercalares abundant in anno; neque ſub dierum numero comprehenduntur: ita etiam hos quinque dies, qui ultra rationes Lunæ, in Solis anno abundant, embolimos vocat. Sunt igitur quinque dies, in annis XIV Solaribus, ſuperflui, una cum parte quadam, eo quod aufertur à curſu Solari, ad æquandas rariones Lunæ, quinque dies & horæ IV. Sed & illud emendandum erit, εἰς τὰ ὀγδοήκοντα καὶ πέντε ἔτη, & ſcribendum, ὀγδοήκοντα καὶ τέσσαρα. In tot enim annis, juxta accuratam rationem, ſunt menſes intercalares XXX, & 28 dies cum horis tribus. Anni namque Solares Iuliani 84. habent dies 30681. Anni totidem Lunares accurate numerati habent dies 29766, cum horis 20. Men-

20. Menses xxxi habent dies 915, horas 10. Adde hæc priori summę, prodit 30682 cum horis sex: qui numerus major est annis Solaribus totidem, die uno & horis sex: quæ si ultimo mensi, 29 diebus horis 12, demantur, residui erunt dies 28, & horæ 6, hoc est Epiphanio tres. In annis igitur octoginta quatuor sunt menses intercalares xxx, & dies 28, cum horis 6. in annis autem octogintaquinque menses sunt intercalares xxxi, & dies 9 cum horis 16; quæ nulla ratione, cum Epiphanio convenire possunt. His ita consideratis, nunc ad loci explicationē veniemus. Duplex vero illa est. Una, quæ ex verbis ipsis Epiphanii deducitur, adeoq; cū ipsa Epiphanii descriptione optime convenit, quamis sententiæ Epiphanianæ parum subsidii adferre videatur. Posterior sententiam sive opinionē Epiphanii adjuvat, verbis vero sive descriptioni ipsius non convenit. Hanc Petavius proponit, & sequitur, quæ ex mente Petavii ita se habet. Animadv. ad Hær. LI. Alogor. p. 162. *Iudæi Cyclum usurpabant duplicem, majorem ac minorem: hunc* XIV, *illum* LXXXIV. *annorum. Ita in tessaradecaeteride dies erant 5108, horæ 4. Anni Lunares* XIV *simplices dies colligunt 4956, Syzygias 168 alternis plenas & cavas, hoc est, 84 plenas, totidemque cavas. Accedunt embolimæ Syzygiæ plenæ* V, *sive dies 150. Fiunt in Tessaradecaeteride, dies 5106, Syzygiæ plenæ 89, cavæ 84. Supersunt dies duæ, horæ 4. Reservatis horis in finem Cycli majoris, reliquum biduum, ad duas cavas Syzygias adjunctum, totidem è cavarum numero detrahit. Ita fiunt 91 plenæ, cavæ 82, in tota Tessaradecaeteride dies 5108. Quod si quis embolimos menses* V *singulos dierum duntaxat 29, hor. 12, esse malit: addat ad 4956, dies 147 hor. 12. Colliguntur dies 5103. hor. 12. quæ è 5108, hor. 4, detracta; relinquunt dies 4, hor. 16: è quibus 12 horæ deducta, & ad ultimam intercalarem Syzygiam, quam dierum 29, hor. 12. esse statuimus, accedentes, plenam illam efficiunt. Tum vero quatuor illi dies è cavis Syzygiis totidem plenas constituunt. Vnde plenæ Syzygiæ conflantur 91, cavæ 82, ut antea. Restant horæ 4. Cæterum anni Iuliani* XIV, *dies exigunt 5113, horas 12. Lunarem igitur Tessaradecaeteridem Solaris superat diebus 5, hor. 8. Sed Tessaradecaeterides Lunares* VI, *sive anni* LXXXIV, *dies colligunt 40679, (leg. 30679.) Solares vero totidem dies 40681, (leg. 30681.) Biduum ergo deest Ogdoëcontatessaraëteridi Lunari, ad Solis rationes adipiscendas.* Et postea: *At enim orbis hic annorum* LXXXIV *abest à Solari ratiocinio biduo integro, à Lunari vero plus triduo. Nam Iuliani 84 anni dies conficiunt 40681.* (scribe 30681, semper enim in toto hoc discursu, tam in Notis ad Epiphanium, quam Libro secund. Doct. temp. cap. XXIX, pro triginta millibus, legitur quadraginta. Vitium namque in uno calculo commissum, reliquis omnibus irrepsit.) *Lunares vero secundum*

medios

medios motus 40682. hor.6.51. Desunt itaque Ogdoëcontatessaraeteridi Iudaica dies 3. hora 7. Sanè, Iudais in hoc annorum circuitu, cum Lunarium Neomeniarum ἀποκατάστασιν *fieri, tum Solem cum Luna paria facere, persuasum esse oportuit. Alioqui nullam Cycli hujus instituendi causam habuissent. Quare tam in Solaris anni quam Lunaris modo definiendo aberrasse necesse est ab utriusque rationibus: & Lunarem quidem dierum 354, horarum 8 præcise constituisse: Solarem vero dierum 365. horar. 5. minus* $\frac{48}{24}$ *sive* $\frac{4}{7}$*, nempe dierum 365.hor.5.34'.*$\frac{2}{7}$*, vel 365.5.34'.17''*$\frac{1}{7}$*; quod fortasse verum est.* Sed quamvis explicatio hæc menti Epiphanii in anticipatione bidui convenire videtur: rationi tamen & Iudæorum assertionibus, ipsis denique Epiphanii verbis, manifeste adversatur. Quis enim crediderit, Iudæos illis temporibus talem annum solarem agnovisse, qui esset 365 dierum hor.5.34.$\frac{2}{7}$. &c. cum Epiphanius ipse affirmet, illos auferre à Solari cursu trecentorum sexaginta quinque dierum & horarum trium hoc est senum? *Vid. cap.* 111. *lib hujus pag.33.* Si ergo cursus Solaris erat 365 dierum horarum sex: ergo non erat saltem 5 horarum 34'. Sed & Lunaris anni ratio incertior est. Nam quod pro fundamento supponitur, Epiphanium dicere, annum Lunarem Iudaicum fuisse saltem 354 dierum & horarum 4, hoc est octo, sine scrupulis appendicibus: id nuspiam dicit Epiphanius; sed ubivis scrupula omittit, nisi ubi horam unã pluresve in annis constituerint, tum enim has addit. Et sane, iis omnibus seculis non justo breviores menses Lunares erant; sed semper justo longiores. Unde Metonicas Syzygias Calippus, & Calippicas postmodum Hipparchus emendavit: cujus rationibus Iudæos usos fuisse, ipsorummet commentarii testantur: qui ex mente antiquorum ita scribunt: אברכס התוכן הגדול הידוע עון בכל
החשבונות הקדומים מכרי ארבע מאות שנה על לקות הלבנה והגביל שעות חלקים
רגעים רקים דע שכלל חשבונו היה מכוון עם חשבון ר״ול כמדת חדש הירחי שהוא
כ֗ט י֗ב֗ ת֗שׂ֗צ֗ב *Hipparchus ille Astrologus summus celeberrimus, speculatus est epilogismos antiquos, ab annis propemodum quadringentis, super Eclipsibus Lunæ: terminavitque horas, scrupula, momenta & minutias; adeo ut summa rationum ejus conveniens sit rationibus Doctorum nostrorum felicis memoriæ, in modo mensis Lunaris, qui est 29.12.793.* hoc est juxta calculum nostrum dierum 29. horarum 12.min.44'.3''.20'''. major medio motu, quem nunc constituunt, scrupulis tertiis 8'''. quæ nullam fere differentiam dant. At juxta rationem Petavii, esset saltem Syzygia media, dierum 29, hor.12,40'. adeoque 4 primis, 3 secundis & 12''' justo minor. Imo non justo minorem anni rationem fuisse, ex Epiphanio fit manifestum. Taxat namque Epiphanius, quod in annis octoaginta quatuor

Syzy-

Syzygias xxxi constituerent; cum Syzygiæ saltem essent 30, & dies 28 cum horis tribus. Et ne quis existimet, illud ideo factum fuisse, quod Syzygiæ justo essent breviores; modum ipse intercalandi proponit, quo mensis tricesimus primus, in annis octuaginta quatuor collectus, initium anni 85 occupavit. Sane si Syzygiæ justo breviores: (ut Clarissimus Petavius censet,) omnesque 30679 diebus absoluti fuissent: minime dicere poterat Epiphanius, *in anno octoagesimo quinto ponunt intercalarem*: cum annus octuagesimus quartus biduo integro post finem 30679 dierum duret. Consimili vitio & alter Cyclus Petavii laborat. Præsupponit namque Syzygiam annumque Solarem justis longe minores: quod scientiæ istius seculi, Iudæorumque assertionibus atque adeo ipsius Epiphanii verbis est adversum: ut antea probavimus. Alia ergo ratio Cycli hujus erit investiganda.

Observandum est Epiphanium, in toto hoc discursu, minuta nunquam nominare, illud tamen facere, quod Mathematici solent, ut si quando minuta ultra dimidiũ horæ aucta fuerint, tũ pro iis integram horam constituat, & id quidem in annis obtinet. Tum & illud, quod capite iii. hujus libri à nobis dictum fuit, horas Epiphanii esse duodecimam νυχθημέρου partem non vicesimam quartam, quod exinde patet quod ter quatuor sive 12 faciant integrum diem. Jam mensis quantitas juxta Rabbinos omnes est Hipparchæa, quam illi tradunt esse dierum 29, horarum 12.44′.3″.20‴. non 29.12.44′.41″.6‴. ut in Petavio vitiose scribitur. Ex quo vitio anni quantitas vitiosa nascitur 354.8.!876. sive 41′.40″. cum deberet esse 354. 8.48′.40″. Ut alibi in eodem Petavio cap.xxxiii. lib.ii. legitur, quod etiam ex calculo patet. Mensis ergo Hipparchi major est, mense medio accurato, scrupulis tertiis 8, & annus, scrupulis secundis 2″. quæ ratio in annis 600 vix quarta parte unius horæ aberrat, quod exiguum est. Ex hoc igitur ratiocinio, Anni Lunares 14 sunt accurate 4961 dies, horæ 3, scrup. 21′.20″. Menses civiles quinque, quibus heic utitur Epiphanius (in annis enim observabant calculum istum λεπτολογίας, non vero in mensibus, hi enim civili usui accommodati erant, nec antea ipsorum horæ appendices numerantur, quam diem integrum conficiant; de annis enim loquitur Epiphanius non de mensibus) habent dies 147. quæ si conjungantur dant dies 5108. horas 321. hoc est Epiphanio horam unam, & minuta Epiphanii 51. quæ cum horam fere unam constituant pro hora adhibentur, ut antea dictum fuit. Iam vero anni xiv Solares communes, quorũ quilibet 365 dierum est, & horarum 3.

Q (juxta

(juxta Epiphanium) habent dies 5113. horas 6. Aufer ergo dies 5108. horas 2. à 5113 horis 6. remanebunt dies 5. horæ 4. Aufer hos 5 dies cum horis 4, à cursu Solis integro 365 dierum horar. 3. remanebunt dies 359, horæ 11: hoc est 360 dies minus hora una. Anni Solares XIII. sunt 4748 dierum, horarum 3. adde annum Solis imminutum sive dies 359, horas 11: prodeunt dies 5108, horæ 2. Manifestum ergo est, si annus Solaris cum Lunari convenire debeat, auferenda esse cursui Solari sive 365 dieb⁹ & horis 3, dies 5. & horas quatuor, ut sic ex Solari cursu remaneant 360 dies minus una hora. Fuerit ergo hæc ratio Cycli, ut menses alterni 29, alterni 30 dierum essent, usque ad 17. vel 16. mensem, ubi duo pleni erant. Adeoque in Tessaradecaeteride erant menses 91 pleni, 82 cavi, qui ita in Cyclo disponebantur, ut post XVII vel XVI quemlibet mensem duo pleni continuarentur. Et sic totus Cyclus mensium erat 173, dierum 5108 horarum 2. Unde duo Cycli dierum esse debent 10216 hor. 4. sed quia ultimus mensis intercalaris, prioris Cycli saltem habebat dies 29: ergo in altero Cyclo juxta rationem civilem quintus mensis erit dierum 30, adeoque duo Cycli dierum 10217. 4. h. unde quatuor Cycli dierum 20434. horar. 8. & sex Cycli, dierum 30652. cui si mensis unus addatur dierum 29, prodeunt dies 30681, qui annis 84 Solaribus æquales sunt. Iudæi vero intercalabant teste Epiphanio in anno octoagesimoquinto, ut mensis intercalaris eousque protenderetur. Ergo habita ratione omnium minuciarum, terminabant annum ultimum Cycli majoris die 30683. hor. 6. adeoque integro die & horis sex, postquam annus octoagesimus quintus inceperat. Hoc est quod Epiphanius dicit, in octagesimo quinto intercalabant. Et tamen illas partes anni octoagesimi quinti, Judæi, ad prioris Cycli annum ultimum, sive 84 referebant: atque ita 31 menses plenos intercalares in annis 84 numerabant: cum essent saltem 30, cum diebus 28 & horis 3. Nimirum Quantitas Cycli Iudaici est dierum 30682. horarum 3: annorum vero Solarium 84, est dierum 30681 præcise: differentia diei unius & horarum 3. quam si ab ultimo mense dierum 29. horarum 6. abstuleris: residui erunt dies 28, cum horis 3. Quod si 5108, 2. sive Cyclum primum per 6 multiplicare quisquam voluerit: habebit ille dies 30649. quibus si justam mensis quantitatem addiderit, comparabit dies totius Cycli 30679. At tum Cyclus finitur ante finem 84 anni; adeoque falsum esset quod Epihanius ait, in octoagesimo quinto anno eos intercalare. Imo & contra usum civilem hæc pugnant. Consentaneum quippe est, ut sicut primi Cycli
mensis

mensis ultimus, fuit dierum 29: sic secundi Cycli, 30 dierum numerũ compleat, & id alternis in Cyclis obtineat. Hinc sexto Cyclo tres dies accedunt, fitque summa dierum 30652, ut antea: quibus si mensis unus additus fuerit, habebis summam priorem 30682. Hanc ergo rationem secuti Iudæi, τὸ ὑπέρβατον προσθέντες μίαν ἡμέραν, visi sunt Epiphanio errare; cum nihil minus facerent. Neq; enim Æquinoctium aut limites anni considerabant, nisi quatenus vitarent, ne ante illos festa sua celebrarent. Alterum quod de bidui anticipatione dicit, ego quidem non percipio. Quomodo enim illi biduo festum anticiparent, qui unum diem transilirent? Sed hæc omnia pessime cohærent. Judæi Pascha vespera diei illius comederunt, quo Servator passus fuit, ut ex scripturis manifestum est, & nos volente Deo in tertio libro demonstrabimus. At Servator passus est juxta Epiphanium XIII. Kal. Aprilis. XVI. autem Kal. April. feria tertia Pascha comedit ergo de Christo illud intelligi debet, quod is biduo aberraverit; imò solido triduo, quibus diebus nescio ubi latuisse eum vult. Nam si Servator XVI. Cal. captus fuit, & XIII Cal. passus: ergo tribus diebus captivus erat antequam pateretur: quæ sane scripturis plane adversa sunt: ut postea disputabimus. Si ergo hæc inter se convenire debeant: dicendum, Christum, ex ratione Cycli vulgaris, in quo nulla ratio minutiarum haberetur, Pascha XVI. Cal. April. observasse. Judæi vero minutissima quæque veramque rationem secuti, non solum dies illos binos, quibus juxta vitiosum eorummet calculum (quem in vulgus proponebant, adeoque, vulgo errandi causa erant) Pascha anticipatur, negligebant: sed ulterius, unum diem qui super rationes Solis abundaret, omittentes, tandem XIII. Cal. Aprilis, vespera post passum Christum, Pascha comederunt. Quæ quamvis absurda valde sint: tamen hæc ipsa pro absurda illa opinione, qua Christum biduo in vinculis, aut alibi detentum vult, (neque enim illud dicit) defendenda adducuntur. An vero Judæi temporibus illis, quo Servator noster dulcissimus his in terris visibiliter inter homines conversatus est, tali quodam Cyclo usi fuerunt, merito dubitatur: cum illius nullum plane in antiquissimis Judæorum commentariis vestiguum exstet; ubi tamen de anni ratione, calculo, aliisque satis accurate disputatur. Imo nec ipse Epiphanius ullum auctorem laudat, à quo talem Cyclum habuerit. Videtur autem Cyclus hic compositus esse post desolatam terram sanctam, & dissipatos Iudæos in loca aliena: quamvis nihil certi de ea re affirmare velim; cum perinde sit, quando primum sit constructus; dummodo constet,

 illum

illum à rationibus Lunæ minime aberrasse. Quod vero errorem Judæorum attinet, qui circa tempora Epiphanii & Constantini sæpe Pascha ante æquinoctium celebrarunt, illum exinde originem habere existimaverim: quod cum difficillimus hic Cyclus esset, in quo anni intercalares, non semper eodem modo se haberent, fieri poterat, ut intercalatio debito tempore omitteretur. Quod ideo statim à patribus observatum fuit, quod ipsi Cyclo decemnovenali uterentur. Conferamus tantum Cyclum hunc Judaicum, cum Cyclo decemnovenali. In primo Cyclo anni intercalares satis bene conveniunt, ibi enim intercalantur 3. 6. 8. 11. 14. anni, quod idem in decemnovenali fit: at nunc in secundo Cyclo, si hoc modo intercalare voluerint 3. 6. 8. 11. 14: primus annus Cycli Decemnovenalis esset intercalaris, adeoque 19 sive ultimus Cycli prioris annus simplex, quia est quintus Cycli secundi Tessaradecateridi. Sic 9 annus Cycli secundi Decemnovenalis est Judæis intercalaris, quia convenit cum 14. sive ultimo anno Cycli secundi illorum. Et propter has causas in mensibus erratum fuit. Frequentissime autē in diebus differebant, propter minuta horaria non satis diligenter à Judæis istis temporibus observata. Extra terram ergo sanctam post destructa Hierosolyma hic Cyclus Judæis in usu fuisse videtur: in ipsa autem terra, non itē. Quod tamen si concedendum esset, ad computum saltem aut calculationem medii motus eum adhibitum fuisse dixerim, quando Synedrium aut alii, medios Lunæ motus inquirebant: unde etiam minutorū ratio in hoc Cyclo habita fuit, propter quod & ψῆφος λεπτολογίας ab Epiphanio vocatur. In civili autem usu nunquam in terra Israelis erat. Nam illic ex Phasi Neomeniæ dependebant. Alias alterni menses xxix, alterni xxx dierum constituebantur. Alia vero Cycli Iudaici ratio apud Africanum exstat. Fragmentum istud Africani habes apud Eusebium in Chronico lib. 1. ex quo concludi posse videtur Iudæos octaeteride fuisse usos. Petitus sane contendit Iudæos in terra sancta Octaeteride usos fuisse, cujus opinionem amplectitur Clariss. Vossius, in dissertatione de Natali &c. Sed ex Africani verbis nihil tale demonstrari potest. Διὰ τοῦτο καὶ Ἕλληνες καὶ Ἰουδαῖοι τρεῖς μῆνας ἐμβολίμους ἔτεσιν η' παρεμβάλλουσι. *Propter hoc & Græci & Iudæi tres menses intercalares in annis tribus intercalant.* At hoc omnes illi faciūnt, qui anno Lunari utuntur, quemcunque tandem Cyclum habeant. Nam & in Cyclo decemnovennali illud fit, & in illa quam heic descripsimus tessaradecaëteride. Imo non vitioso quodam Cyclo Græcanico usos fuisse Iudæos, sed epilogismis acuratissimis atque Hipparcheis, fidem fecerint quæ antea

tea ex Judæorum commentariis adduximus. Et si maxime quidam inter Patres essent, qui Judæos Octaeteride aliove Cyclo usos fuisse perhiberent: non tamen de iis explicari debebant, qui in terra sancta aut Hierusolymis essent, sed de aliis, qui ἐν διασπορᾷ vivebant, & annos gentium (qui[illegible]tis temporibus, multis in locis lunares erant) ad sua instituta applicabant. Certum ergo est ac firmum Judæos non vitioso quodam Cyclo in annis numerandis usos fuisse, sed manifesta Phasi. Quam tamen, etiam calculo, si opus esset, quæsiverunt. Quod ita Talmudici Doctores explicant. Judices sive Senatores Synedrii magni, mane tricesimo die conveniebant, testesque visionis Lunæ expectabant. Testes ubi advenerant examinabantur juxta tabulam R. Gamalielis, in qua variæ figuræ Lunæ descriptæ erant, de quibus singulis quæsitum fuit, talemne vidisti an talem? Comperta φάσεως veritate, Præses Synedrii præclamabat מקודש מקודש Sanctificata est sanctificata est, atque eum totus populus sequebatur. Si judices vidissent, duo ex illis coram trib⁹ aliis testabantur. Hæc ex Roshasana. cap. 2. 3. & 4. Ex visione igitur Neomenia, ex visione mensium quantitas dependebat. Si enim Luna 30 nocte sive ut Rabbini loquuntur בזמנו in tempore suo videretur: prior mensis XXIX saltem dierum erat. Si vero nocte 31, hoc est, quæ diem 31, antecedit, & Rabbinis vocatur Luna quæ videtur in nocte intercalationis suæ: mensis prior XXX dierum erat. Majemon in Kidus Hahodes. cap. 1. §, 4. חדש שיהיה תשעה ועשרי' ויראה ירח בליל שלשים נקרא חדש חסר ואם לא ירא' הירח ויהיה החדש שעבר שלשי' יום נקרא חדש מעובר ונקרא מלא וירח שיראה בליל שליש, הוא הנקרא ירח שנראה בזמנו ואם נראה בליל אחר ושלשים ולא נראה בליל שלשים הוא הנקרא ירח שנראה בליל עבורו: *Si mensis fuerit 29 dierum, & Luna videatur in nocte tricesima, vocatur mensis cavus. Et si non videatur Luna, fueritque mensis dierum* XXX, *vocatur ille mensis intercalaris, & plenus: & Luna quæ tricesima nocte apparuerit, dicitur videri in tempore suo: quæ vero non tricesima nocte, sed tricesima prima, dicitur apparuisse tempore intercalationis suæ.* Scripturarii Lunam quæ videatur nocte 30 dicunt videri post vesperam suam: ut ex fragmento Eliæ scripturarii, apud Seldenum, fit manifestum; quod nos alibi citabimus. Videtur autem impossibile, aliquid certi de φάσιν, adeoque de mensibus ipsis tradere: cum tanta incertitudine laborent. Sed si Magistrorum Judaicorum placita sequamur: facile erit & initia mensium, & quantitatem eorundem reperire, præsertim si plures invicem conferantur. Observabant namque & Scripturarii & Talmudici φάσιν Lunæ. Verum cum sæpe, propter nubes aliasve causas Luna haberi non posset; calculum

 adhi-

adhibuerunt, ex quo de tempore φάσεως judicarunt. Cum ergo Neomenię ipſorum, ex hiſce conſtitutionibus ac determinationibus plane dependeant: ſi has cognitas habuerimus; & ipſæ Neomeniæ cognitæ erunt. Videtur quidem Luna, poſt coitum, interdum tardior, interdum celerior. Geminus in Iſagog. cap. VII. ταχίστη μὲν γὰρ φαίνεται ἡ σελήνη μηνοειδὴς τῇ νουμηνίᾳ, βραδυτάτη δὲ τῇ τρίτῃ. *Cum enim celerrima eſt, apparet Luna falcata ipſo die Novilunii, tardiſſima vero die tertio.* Majemon non tantum ſpacium tribuit. Dicit enim, ipſam occultari, & ante & poſt Syzygiam, ſaltem dies duos plus minus; ut ſit ante conjunctionem dies unus, poſt, unus. Kidus Hahodes cap. 1. §. 3. הלבנה נסתרת בכל הדש ואינא נראת כמו ב׳ ימים או פחות או יותר מעט כמו יום אחד קודם שתדבק בשמש בסוף החדש וכמו יום אחר אחר שתדבק בשמש *Luna occulitur quovis menſe novilunio, & non videtur fere dies duos, plus vel minus: quaſi uno die ante conjunctionem cum Sole, in fine menſis: & uno die poſt conjunctionem cum Sole.* Sed incerta hæc ſunt. Accuratiora ex cujusque ſectæ ſententia habebimus. Duæ namque ſunt ſectæ Iudæorum: una Scripturaria ſive Caræa altera Talmudica ſive Traditionaria. Illa ſcripturas ſolas ſequitur: hæc traditionibus dedita eſt. Illius ſectæ ſicut pauci homines, ita pauciores adhuc ſcriptores in ipſo Oriente exſtant. Clariſſimus Seldenus quendam Eliam filium Iudæ ſecta ſcripturarium nactus, Lemmata quædam in erudito de anno civili veterum Judæorum opere, ex eodem propoſuit. Ita vero Elias ille, conſtructis motuum Lunaris & Solaris tabulis, ad Latitudinem Conſtantinopolitanam, juxta doctrinam Albategnii & Emanuelis Geographi, de phaſi demum concludit: סוף דבר בהיות בין המולד השקיעה יותר מי״א שאות וחצי עד עשרים וחמש שעות וחצי אפשר שיראה ואפשר שלא יראה ובהיות בין המולד והערב השלישי יותר מארבעה עשר שעות פחות ששית שעה עד עשרים ושבעה שעות וחצי אפשר שיראה ואפשר שלא יראה ואם יהיה בין יותר מזה דא שעל כל פנים יראה אם לא יהיה מניעה והנה לפי זה בשיהיה בין השמש והירח במעלות ישרות שמנה מעלות ועשרה ראשונים לא יראה וכל שכן פחות האלה וכשיהיה ביניהם במעלות ישירות ארבעה עשר מעלות על כל פנים יראה וכל שכן יותר *Summa eſt: quoties inter Neomeniam & occaſum intercedunt 11 horæ & dimidia, uſque ad viginti quinque & dimid. fieri poteſt, ut Luna videatur, ſicut & poteſt fieri ut non habeatur. Quod itidem dicendum, ſi inter coitum ejusmodi & veſperam tertiam intercedunt plures quam 14 horæ (ſexta horæ parte dempta) aut quæ uſque in 27½ excreſcunt. Quod ſi harum exceſſus fuerit horarum: haberi poteſt omnino phaſis, niſi* per aëris nubila *impediatur. Vnde etiam fit, ut quoties inter Solem & Lunam interſunt ſaltem gradus 8,*

cum

cum min. 10′. aut minus, phasis nulla habeatur: quoties vero arcus ille fuerit graduum 14. aut major, omnibus necessario videri potest. Vitium in posterioribus verbis est. Illud enim, quod ultimo ponit, priora plane destruit. Dicit, si Luna 8. grad. min. 10. aut minus à Sole distet: videri non posse. At tantum spacium 16 horis absolvere nequit: ergo ante 16 horas non videtur, quod priori est contrarium. Sed omnino vitium est. Scribendum erit pro חמשה׳שמנה, sive notis numeralibus ה pro ח in quibus imperitus librarius facillime errare poterat. Et quinque gradus, cum minutis 10, absolvuntur decem horis cum minutis quibusdam. (vide tabulam mediorum motuum Lunæ,) & sic priora optime conveniunt. Apud Majemonidem alia ratio est. Is veros motus supputat, duplicemque longitudinem ut & latitudinem eruit primam & secundam; de quibus diducte cap. XVI. & XVII. disputat. & demum cap. XVIII. §. III. ita de illa concludit: והתכונן באורך הזה הראשון וברוחב הזה הראשון אם יצא לך תשע מעלות בשוה או פחות תרע בוראי שאי אפשר לעולם שירא הירח באותו הלילה בכל ארץ ישראל ······ ואם יהיה האורך הראשון יותר על ה׳ מעלות תרע בודאי שהירח יראה בכל ארץ ישראל ······ ואם יהיה האורך הראשון מ׳ט מעלות ועד ט״ו תצתרך לך לדרוש ולחקור בחשבונות הראייה עד שתרע אם יראה או לא יראה *Et ex longitudine hac prima & latitudine prima intelligitur, si illa fuerit graduum saltem 9, aut minus, non posse videri Lunam in tota terra Israelis ista nocte: si longitudo prima fuerit plus quam 15. graduum,* (ita enim legendum pro ה׳ ׳טו. scriptum namq; fuerat plenis literis עשר וחמשה, & עשר periit. Quæ lectio postea probatur.) *scito Lunam in terra Israelis certo videri posse. Si vero Longitudo prima fuerit inter gradus 9 & 15; necesse est quærere & scrutari in calculo, usquedum cognitum habeas, utrum videri possit nec ne?* Illam rationem diducte postea exponit Majemon, quæ alibi forte melius explicari potest. Neque enim paucis illa tradi volunt: & angustia scripti diductos nos esse non patitur. Satis igitur nobis est, si de extremis terminis constet. In ultimo quidem termino visionis Elias & Majemon fere conveniunt: in primo vere longius ab invicem differunt. Et tamen post 27 horam & dimidiam, necessaria quasi φάνς erat. Dato igitur novilunii veri tempori adde 27 horas cum dimidia, habebis juxta scripturarios tempus circa quod necessario Luna videri debet. Ut unico exemplo hæc pateant: Inquiremus Neomeniam mensis Nisan anno P.I. 4746, Christi vulgari 33. Neomenia vera contigit Hierosolymis juxta tabulas Parisinas 19. Martii, hora post med. noctem 12, cum 46′. 20″. Neomenia namque media contigit 19 Martii, hor. 10. 3′. 40″.

Pari-

Parisiis. Motus Solis tum erat 11. Sign. 24 grad. 58'. 22". Anomalia Solis 9 Signor. 16 grad. 8'. 23". Anom. Lunæ 6 Sign. 23 grad. 3'. 7". Unde Prosth. Solis 1 grad. 56'. 49". Add. & Lunæ 2 gr. 0'. 2". etiam addenda. Differentia 3'. 13". quæ detracta motui Lunæ, dat xix Martii horam 10. Applica meridiano Ierusolymitano habebis Novilunium in meridie diei 19 Martii: adde horas 27. & 30'. habebis tempus quo necessario Luna videri debet, die nempe Martii 20 hora post meridiem 4. Tantum de mensibus nunc de annis.

CAP. X.

Nomina mensium apud Iudæos sunt Chaldaica. De anno Intercalari. Cur intercalatio instituta sit: à quibus perficiebatur? Causæ intercalationis tres, Tekupha fructus arborum & Abib. Cochi de Tekupha opinio examinatur. Intercalatio Ordinaria & Extraordinaria. Hujus causa & tempus. Gemara Talmudica emendatur. Explicantur causæ intercalationis minus principales. De Epocha anni Iudaici. Methodus annorum Iudaicorum. Demonstratur quod annus hic omnium sit antiquissimus: unde & omnes anni qui in scriptura sunt hac Methodo investigantur.

Nisan.
Iiar.
Siwan.
Tamuz.
Ab.
Elul.
Tisri.
Marchesvan.
Casleu.
Thebeth.
Siebath.
Adar.

MEnses Judæorum in anno sunt duodecim, quorum nomina & situm adjuncto laterculo habes. Sunt vero nomina ista non Hebraica, sed Chaldaica. AbenEzra in cap xii. Exodi.
ונסן ואייר וסיון וכל שמות החדשים אינם לשון קדש כי אם
לשון כשדים על כן לא תמצא במקרא כתו׳ אחד מהם ולא
בכל המקרא רק בנבואת חגי זכריה ודניאל ועזרא ומלגת
אסתר שהיו בגולה וככה הפרוש בחודש הראשון שנקרא
ניסן בלשון כשדים רק מצאנו בלשון הקדש שנקראו ג׳ חדשים
בדרך אחרת ירח זיו בירח האיתנים בירח בול *Cæterum Nisan, Iiar, Sivan, & reliqua mensium vocabula non Hebraica sunt, sed Chaldaica. Ideo nullum horum in sacris literis expressum legitur, præterquam in Zachariæ Prophetia, Daniele Ezra & volumine Esther, qui Libri in deportatione scripti sunt. Et adhunc modum interpretanda ista sunt, In mense primo qui Chaldaorum*

rum lingua Nisan vocatur. Quanquam in scriptura tres menses occurrunt diversis nominibus appellati, mensis Ziv. In mense Æthanim. in mense Bul, Antiquissimis ergo temporib⁹ menses saltem nomina juxta ordinem habebant, primus, secundus, tertius. Sic Nisan Exodi x i i. vocatur ראש חדשים *caput sive initium mensium*, & alibi passim mensis primus. Quot vero menses in anno esse debeāt, & quis inter illos primus nullibi in scripturis expressum est. Id saltē dicitur, debere observari tempus Abib sive frugum maturescentium. Aben Ezra loc. laudato השם צוה בתורתו לשמור מועד במועדו כי אמר שמור את חדש האביב ועשית פסח ליי׳ והנה אם לא ימצא אביב בחצי החדש יעשה הפסח בחדש הסמוך עליו *Dominus præcepit in lege de observando festo in tempore suo. dicit enim observa mensem Abib, ut facias Pesah Domino. Et si tempus Abib, non fuerit inventum in medio mensis: faciemus Pascha mense sequente.* Quia vero messis in Judæa statim in vernum tempus, ac post æquinoctium incidebat, ergo Pascha ante illud celebrari non poterat. Unde necesse erat mensem aliquando ὡρέων εἵνεκεν, ut ait Herodotus, intercalare, adeoque Solaris anni rationes diligentius propter hoc ipsum observare, quod & factum esse Majemon cap. 1. Kidus hahodes §. 1. testatur. השנים שאני מחשבין הם שני החמה שנאמר שמור את החדש האביב *Anni quos supputamus sunt Solis, eo quod dictum est, observa tempus Abib.* Non dicit anni nostri sunt anni Solis, sed anni quos supputamus. Namque anni civiles Lunares erant, nunc 354, nunc 384 dierum plus minus: Anni vero quibus in calculo utebantur erant Solares. Cum igitur ex rationibus Solis Pascha dependeret: mensis aliquando intercalari debebat. Annus namque Lunaris 354 dierum est; annus Solaris 365. Differentia fere x i dierum. Si ergo Neomenia Nisan hoc anno incideret in Æquinoctium vernum; sequenti anno xi diebus æquinoctium vernum anteverteret: & iterum sequenti xi hoc est xxii: adeoque decimus quintus Nisan sive Pascha incideret ante Æquinoctium vernum, hoc est ante tempus Abib. Hoc ne fieret, mensem unum superiori anno adjecerunt, quem ואדר sive alterum Adar vocarunt, annumque ipsum מעוברת *Intercalarem* sive xiii mensium constituerunt. Nec tamen ea intercalandi apud Iudæos ratio erat, quæ apud Græcos. His enim certa quædam ratio in Parapegmatibus proposita fuit, juxta quam dignoscerent, quo anno intercalandum esset. Unde ipsum Vulgus annum suum intercalare poterat, mensiumque vel xii. vel xiii. juxta hanc rationem constituere. Quod Judæis minime licuit. Apud illos quippe præter terminum anni, & aliæ intercalandi causæ erant, quæ à vulgo ita dijudicari non poterant. Unde tota inter-

R

terca-

tercalandi ratio ad Synedrium aut illos qui à Synedrio huic negocio præfecti erant rejecta. Gemara Sanhedrin fol. 10. pag. 2. אין מעברין את השנה אלה במוומנים לה *Non intercalatur annus nisi per illos, qui ad hoc negocium delegati sunt.* Et clarius Misna Sanhedrin §. 2. עיבור החדש בשלש עיבור השכה בשלשה דרמ̊ רשב̊ג אומר בשלשה מתחילין ובחמשה נושאין ונותנין וגומרין בשבעה ואם גמרו בשלשה מעוברת *Intercalatio mensis ut & anni à tribus decernitur, juxta sententiam Rabbi Meir. Rabbi Simeon, filius Gamaliel, ait, Terni ordiuntur, quini de negocio inter se communicant, septeni rem conficiunt. Quod si tres viri confecerint, annus intercalatus esto.* Habebant vero Iudices illi, tres præcipue causas, propter quas in anno intercalarent. Gemara Sanhedrin. על ג׳ דברים מעוברין את השנה על האביב ועל פירות האילן ועל התקופה על שנים מהן מעברין ועל אחד מהן אין מעבריז ובזמן שאביב אחד מהן החל שמחין *Ob tres causas intercalant annũ, propter Abib & propter fructus arborum, & æquinoctiũ. Si duæ harũ concurrant, intercalant: sin una tantũ nõ intercalant. Quod si Abib sive tempus frugum maturescentiũ una harũ causarum fuerit, omnes lætantur.* Doctissimus Cochus Tekupham heîc explicat de Tekupha Tisrin, non bene meo judicio. Melius Majemon. c. 111. Kidus hahodes §. 16. על שלשה סמנין מעברין את השנה על התקופה ועל האביב ועל פירו׳ האילן כיצד בי׳דין מחשבין ויודעין אם תהיה תקפת ניסן בששה עשר בניסן או אחר זמן זה מעברין אות׳ השנה ויעשי אותו ניסן אדר שני שיהיה הפסח בזמן האביב ועל סימן הזה סומכין ומעברין ואין חוששין לסימן אחר *Propter tria signa intercalant annum: propter Tekupham, Abib, & fructus Arborum. Quomodo id autem fecerunt? Domus Iudicii inito computo sciebat si Tekupha Nisan esset, in sextadecima Nisan, aut post, & intercalabant in eo anno, & ex Nisan fecit Adar secundũ, ut Pascha incideret in tempus Abib. Et cum huic signo inniteretur, ita intercalabat, neque alius ullius signi rationem habebat.* Primum easdem causas exponit, quas Gemara: inde explicat de qua Tekupha sive Æquinoctio loquatur, nimirum Nisan hoc est verno: demum adjicit, nullius alterius signi rationem habitam fuisse. Ergo de Tekupha Tisri intelligi aut explicari non debet. Scio quidem, interdum circa Tisri etiam intercalatum fuisse: sed istud præter ordinem fiebat, quo spectant illa in hac eadem Gemara fol. 22. pag. 1. אבל מפני הרחק מעברין אותו אחר ראש השנה *Sed tamen propter pressuram intercalatio fit post Roshasana.* Sed ut dixi hoc extra ordinem fiebat, sexto nempe anno Semitah. A Neomenia namq; Tisrin septimus annus sive Sabbathicus incipiebat; & quia post initium septimi anni, nihil agere licuit, nec serere, nec metere, nec vinum oleumve exprimere: ergo si vin-

si vindemia tardior anno sexto esset, debebat plane omitti nisi intercalarent. Cum ergo viderent anno sexto, imminente Tisri vindemiæ tempus nondum esse, intercalabant: idque post Ros hasana sive Initium anni, hoc est Nisan. Varium namque initium anni Judæis erat sicut scribitur in Talmude Cod. Roshasana cap. 1. Et temporibus Christi annus vulgariter à Paschate cœpisse videtur. Priora ergo verba Gemaræ vitiosa sunt. אין מעברין את השנה לפני ראש השנה *Non intercalant annum ante initium anni.* quæ enim heîc connexio, *non intercalant annum ante initium anni, attamen ob pressurā intercalant post initium anni?* Excidit una vox nempe אלה lege igitur: אין מעברין את השנה אלה לפני ראש חשנה *Non intercalant annum nisi ante initium anni.* Nimirum semper ante initium intercalabant, neque enim geminum Nisan unquam fecerunt, sed geminum Adar. Quo pertinent illa quæ ex Majemonide jam adduximus, ut & illa verba Gemaræ. אין מעברין אלה אדר *Non intercalant nisi Adar.* Illud ergo est quod dicit, Non intercalant, (intellige communi ordine) nisi ante anni intitium. Extra ordinem vero etiam post anni initium intercalatur, si nimirum pressura post Neomeniam Tisri alias incideret. Et de hac intercalatione etiam illa verba Gemaræ sunt intelligenda. אין מעברין את השנה לא בשביעית ולא במוצאי שביעית אימתי רגילין לעבר ערב שביעית *Non intercalant annum in septimo hebdomadis annalis, neque in exitu septimi. Quando ergo intercalant? vespera septimi.* Recte Majemon excipit, hęc verba non simpliciter esse accipienda. Quovis enim anno, propter Æquinoctium, maturitatem fructuum & Abib, intercalatio fieri debet. Hæc ergo mens est. Non debet fieri intercalatio, neque in septimo anno, circa Nisan, propter causas leviores (utpote fornaces aut nives aliudve) neque in exitu anni, circa Tisrin. Annus namque Semitah à Tisrin incipit. Et si tum septimo anno intercalarent, corrumperent vindemiam. Quando ergo extra ordinem intercalari debet? anno sexto, tum enim propter pressuram intercalatur, ut explicatum fuit. Omnis ergo nostra disputatio illud concludit, ordinarias intercalandi causas fuisse tres, Abib, Tekupham, & fructus immaturos. Abib quidem semper fere post æquinoctium cœpit. Tum enim fruges virescere ac maturescere cœperunt in terra Israelis. Sed tamen aliquando & ante Æquinoctium pro tempestatum ratione maturescebant. Et tamen ne tum quidem Pascha celebrabant nisi Tekupha transivisset, idque propter causas plurimas. Si enim Abib ante æquinoctium inciperet, causa hæc fere erat, quod propter abundantiam nivium semen maturius esset redditum. Et hæc causa aquas & flumina auxit, vias im-

pedivit, pontesq; desjecit, ut illi qui ad festivitatem pergerent, Hierosolymas pervenire non possent. Etiam Proselytis, qui Hierosolymis multum aberant, & tamen propter solemnitatem festi illuc pergere volebant, certum aliquod tempus determinandũ erat, juxta quod iter suum instituerent. Iam vero Abib, sive tempus frugum maturescentium, illis quidũ qui in terra Sancta vixerunt, tempus erat certissimũ, qui vero procul vixerunt, ut in Asia, Thracia, aliisq; locis, plane incertum. Et cum Abib cũ prima post æquinoctium plena luna frequenter conveniret, ita iter suum dirigebant ut illo tempore Hierosolymis esse possent. Huc pertinent illa Majemonidis: אין מעברין את השנא אלה אם כן הייתה צריכה מפני הדרכים ומפני הגשרים ומפני תנורי פסחים ומפני גלויות ישראל שנעקרו ממקומן ועדיין לא הגיעו *Non intercalatur annus nisi necesse habeat, propter itinera pontes, furnos agnorum Paschalium, exsules sedibus suis egressos, si nondum ad urbem pervenerint.* Et hæc omnia ex termino æquinoctii dependebant. Ergo Pascha ante æquinoctium non incidebat. Ex calculo autem, ut Majemonides testatur, Synedrium cognitum habebat, utrùm Tekupha Nisan in VI Nisan aut postea incideret: & tum intercalabant in anno mensem, & fecerunt Adar geminum. Quando igitur tempore Abib præsente intercalabant: populus contristabatur eo quod arcerentur usu frugum. Si vero propter Abib intercalarent: omnes lætabantur, eo quod fruges XVI. Nisan tum melius offerre possent. Si verò post æquinoctium fruges nondum maturescere cœperant, fructusque arborum, qui istis temporibus conveniebant, maturi non essent: etiam tum mensem intercalabant. Nec tamen una harum causa per se esse poterat, nisi cum alio juncta: sicut & hædi macri & jejuni, atque id genus alia nihil per se facere poterant, sed cum alio poterant. Huc pertinet edictum R. Simeonis filii magni illius Gamalielis, cujus in Actis Apost. mentio fit, מהודעין אנחנו לכון דגוזליא רכיכין ואימריא ערקין וזמנא דאביבא לא מטא ושפרת מילתא באנפיי ואוסיפית על שתא דא תלתין יומין *Notum vobis facimus, quod cum pulli adhuc sint teneri & agni tenues, & tempus Abib non venerit, mihi visum sit, addere huic anno triginta dies.* Hæ igitur causæ & hæc ratio erat annum intercalandi. Ex quibus liquet, Judæos nunquam nisi mensem intercalasse. Neque enim aliter fieri poterat. Si enim vel plus mense, vel minus intercalassent, tota ratio mensium, quæ à Luna, ut demonstratum est, dependebat, fuisset interrupta. Nec alium mensem ullum præter Adar intercalabant, quem pleno anno geminum fecerunt. Annus ergo simplex XII. mensium erat, cavus autem XIII.

Nunc

Nunc de Epocha anni dicendum est, sed breviter saltem & uno quasi verbo; postea enim in Epocha Orbis Conditi, pluribus de hac agendum erit. Duplex vero anni Iudaici Epocha est, prior à Nisan, posterior ab Tisri incipit. Illa Veri convenit, hæc Autumno. Posteriorem Judæi ab Ægyptiis acceperant, priorem à Mose. Vernali, scriptura sacra atque omnes fere scriptores ad Christi usque secula utuntur: autumnali, Talmudicorum maxima pars. In anni vero ratione investiganda naturæ consonum videtur ab Nisan incipere. Nam si Tisrin anni alicujus inquirere voluerim, primum cognitum habere debeo tempus Nisan. Nisi enim certo constet utrum annus prior fuerit simplex an intercalaris: nihil certi de Tisri concludere possum. In annis igitur indagandis à Nisan incipiendum erit. Methodus ergo hæc est. *Quare ad datum annum P. Iul. Æquinoctium medium civile, & Plenilunium illius mensis Iuliani, in quem Æquinoctium incidit. Si Plenilunium illius mensis ante æquinoctium conficiatur: sequens mensis erit Nisan. Sin post æquinoctium incidat: illud ipsum erit Plenilunium Nisan, ac Neomenia antecedens Neomenia Nisan.* Velim scire ad annũ P. Iul. 4746. hoc est Christi 33. Neomenian Nisan. Anno illo contigit Æquinoctium medium, Hierosolymis mense Martio die 24, hora post mediam noctem 21, hoc est post merid. IX; sive Iudæis Martii XXV. hora 3. Æquinoctium Civile illis temporib⁹ in iisdem cardinibus hæsit. Neomenia Martii vera contigit Hierusolymis Martii XIX hora diei XII. terminus ergo visionis erat 4 vel 5 hora diei sequentis, & die XIX Luna visa non fuit, unde Talmudicis XX Martii erat Neomenia Nisan. adde ad XX Martii XIV, habebis plenilunium in III Aprilis, quod quia Æquinoctio posterius est, ergo verum plenilunium Nisan est. Rursum anno sequenti Christi 34. P. J. 4747, quo Æquinoctium Civile in XXV Mart. hæsit, Novilunium verum contigit Hierosolymis Mart. VIII. hora 19. post merid. Additis 27 horis & dimidio, prodit dies X Martii Iudaicus, quo Luna necessario videri poterat, adeoque XXIII. vel XXIV. necessario erat plenilunium. Quod quia ante Æquinoctium absolvitur, & XVI Nisan in Tekupham incidit, mensis integer intercalatur, & sequens mensis est Nisan, cujus Neomenia ab VIII Aprilis Talmudicis incipiebat.

Cognita Neomenia Nisan facile erit reliquorum mensium Neomenias invenire. Additis namq; ad Neomenian mediam Nisan, pro singulis mensibus, diebus 29. hor. 12. 44'. 3", Neomenias medias reliquorum mensium comparabis: quo facto, juxta priora judicare statim poteris, an Luna isto die videri possit. Si videri satis commode potest,

test, ille ipse dies est Neomenia: sin minus; sequens. Hæc de annis Iudaicis quæ Christi seculo in usu erant, dicta sunto. Cætera quæ rationem anni concernunt, quo nunc Iudæi utuntur, diligenter apud Scaligerum & Petavium perscripta habes, qui illa ex optimorum Magistrorum commentariis, Aben Ezrę nempe, Majemonidis aliorumq; hauserunt; unde ista petas licet: neque enim nos de illo heîc dicere convenit, cum nullius plane in hoc scripto usus sit.

Existimamus autem, non saltem ad tempora quibus Servator dulcissimus visibiliter in his terris conversatus est; sed etiam antiquissima, adeoque ipsorummet Antediluvianorum, hanc anni rationem referri debere. Nam & omnium simplicissimus est, (si minutias calculi tollas, quas neque antiquis in usu fuisse censemus) & sensibus ipsis quam maxime obvius. Præterea & ipsi Iudæi hoc confirmant, qui omnes ad tempora Noachi & Abrahami hæc referunt, ut antea dictum fuit. Voces quoque quibus mensis in scripturis exprimitur, illud satis confirmant. Vocatur quippe חדש. Et ipsa quoque Neomenia vocatur חדש. ut 1. Sam. 20. הנה הדש מחר *Ecce cras Novilunium est.* Quod ita explicat Kimhi in libro Radicum: ונקרא החודש כזה על ההדוש הירח שמתחדש בו ונקראו השלישים יום בכלל חודש ויום הראשון לבדו חודש *Et vocatur Hodes sive Novus quia renovatur Luna in eo die. Triginta dies Junctim vocantur Hodes, & dies primus solus vocatur Hodes.* Imo & Iobi XXIX expresse menses vocantur ירחי sive Lunæ. מי יתנני כירחי קדם *Quis ponet me juxta Lunas hoc est menses antiquos?* Hæc satis demonstrant seculo Davidis, imo & Mosis, menses ex Luna dependisse. Ex quibus ita concludit R. Isshach Arama in Akedath Ishach. cap. III. serm. V. הוא מדת החדש הנזכר בתורה לקביעות המועדים בחדש הריאשון באחד לחדש ביו׳ לחדש *Hæc est mensura mensis, cujus mentio fit in lege, in definiendis festorum temporibus, mense primo, Neomenia mensis, ac decima quarta, &c.* Imo cum gens Ebræorum omnium sit antiquissima quę ad ipsa mundi primordia suas origines referre potest, vel ergo ista anni ratio quæ stante těplo secundo penes illos in usu fuit, à primis mundi originib⁹ fluxit, vel ipsi Iudæi prioré & antiquam cum hac quę stante templo erat permutarunt. At hoc fecissent vel liberi vel coacti. Illud de Iudæis affirmari vix potest, qui traditionum Paternarũ adeo tenaces erant. Imo, si sponte immutassent, causa necessario fuisset, quod simpliciore repudiata melioré formã certioremq; sequi vellent. At nulla hac simplicior, nulla magis antiquorũ temporib⁹ accommodata method⁹ esse potest. Coacti vero annis Victorum uti debebant. Hi auté vel Ægyptii, vel Chaldæi, vel Græci, vel Romani. At ratio hæc anni neq; Romana est,

eſt,neq; Græca. Imo & ex ſcripturis manifeſtum ſatis eſt,ante captivitatem Babylonicam Iudæos hanc anni rationem habuiſſe, unde neq; à Chaldæis iſtam acceperunt. Ægyptiorum anni 365 dierum incipiunt ſtatim poſt Exodum. Antea forte Lunares erant, quibus & Chaldæi uſi ſunt. Sed ex eo ipſo antiquitas anni hujus demonſtratur, quod antiquiſſimæ gentes hunc adhibuerint. Sane temporibus Exodi hanc anni rationem fuiſſe ſatis liquet. Et Moſeh quidem, cui ſicut alia omnia ita etiam antiquorum ſapientia ac anni ratio tradita fuerat, potuiſſet illam immutaſſe, ſi ab antiquorum fuiſſet aliena, quod in Epocha anni fecit. Exodi ergo temporibus, & poſtea uſque ad finem templi ſecundi hic annus Judæis in uſu fuit. Antea quoque atq; adeo ipſis Diluvii temporibus fuiſſe,& rationi conſentaneum eſt, & aſſertioni Judaicæ, quam nemo temere rejicere poteſt. Concludimus ergo,annos omnes veteris teſtamenti menſesque tales eſſe, ad quos inveniendos methodus noſtra optimè inſervire poteſt.

Cap. XI.

De annis Semitah ſive Sabbaticis, & Iobeleis. De his duplex opinio, quarum una quadrageſimo nono, altera quinquageſimo quovis anno Iobeleos celebratos vult. Vtraque examinatur, & ex ſcripturis refutatur. Opinio propria. Initium annorum Iobeleorum & Semitah ab autumno, quod & naturæ optime convenit. De Epocha horum annorum. Locus Ioſuæ XIV *explicatur. Epocha annorum tam Sabbathicorum, quam Iobeleorum in annis P. Iul. conſtituitur, & horum inveniendorum Methodus demonſtratur.*

QUamvis autem Judæi Cyclum artificialem Solis Lunæve in uſu non habuerint; ex præcepto tamen duplicem Cyclum obſervabant, quorum prior ſeptenis, poſterior ſepties ſeptenis annis explicabatur. Præcepit namque in lege Deus ter Maximus, ut ſicut in diebus, ita in annis quoq; rationem ſeptenarii haberent, & ſeptimum quemque annum Sabbathicum obſervarent, quo ſervis libertatem, agris pecoribusque ocium, ſibi ipſis quietem indicerent. Exodi XXIII. v. 10. *Sex annos conſeres terram tuam & proventum illius convehes. Septimo autem anno quieſcere ſines, ut miſeri populi tui comedant; & reſiduum beſtiæ agri conſumant. Idem & vineæ tuæ facies & oleæ.* Et de ſervis c. XV. Deut.

verſ. 12

vers. 12. *Quando frater tuus Ebræus aut Ebræa tibi emptus fuerit, serviet tibi sex annis, septimo autem anno manumittes eum.* Idem habes Exodi XXI. v. 2. Et hoc præceptum exsequi volebat Zedechias, qui pactum fecerat cum omni populo Hierosolymitano, quo omnes servi servæque Ebræi generis manumittebantur: quod postea fractum fuit, principibus servitia retrahentibus, quod acriter insectatur Jeremias, & loca hæc ex lege illuc applicat. cap. XXXIV. Sed & debitum remittebatur. Deuteron. XV. vers. 1. *Septimo anno remissionem facies. Hæc autem remissio est, quod quilibet qui proximo suo mutuum dedit, is illud ipsi remittat.* Et propter has causas septimus annus & שבת sive quies & שמטה sive dimissio vocatur. In Misna Ros hasana cap. 1. §. 1. באחד בתשרי ראש השנה לשנים ולשמיטין ויובלו *Primo Tisri initium annorum communium, Semitah & Iobelæorum,* &c. Et de anno septimo celebrando omnes scriptores conveniunt; nemo enim manifestis scripturæ verbis se opponere audet: de anno vero Jobeleo non item. Duæ vero de anno Jobeleo opiniones sunt, quarum una quinquagesimo post priorem Jobeleum anno, adeoq; quinquagesimo quovis anno celebrari vult; quam Patres atq; ipsa Ecclesia Romana nunc sequitur: altera quadragesimo nono, quæ summos Chronologos Scaligerum, & Petavium, Patronos habet; quam etiã Theologi longe Doctissimi, ex nostris Gerhardus, ex Reformatis Spanhemius, ut alios taceam, amplectuntur. Priores manifestis scripturæ verbis suam opinionem confirmant. Scriptum est enim; *Sanctificabis annum quinquagesimum, & indices libertatem habitatoribus terræ: atque is annus erit vobis Iobeleus, quo quivis bonis suis restituetur. Annus hic Iobeleus quinquagesimus erit, non seres.* Levit. XXV. v. 10. 11. Contra hanc sententiam ita disputat Clariss. Petavius. Doct. Temp. lib IX. cap. XXVII. *Deus Iubilæos eadem ratione instituisse videtur, qua Sabbaticos & hebdomades dierum: nempe ut quemadmodum septimum quemque diem peculiari quadam religione conservavit, ita septimum annum celebrari voluerit, ac denique septimum hebdomadis septimæ velut hebdomadum clausulam. Sane in illo loco Levit.* XXV. *eadem proportione jubet, ut hebdomades septem numerentur, qua paulo ante decreverat, ut anni septem putarentur. Quorum septimus solenni aliquo ritu celebraretur, perinde ac Sabbaticus. Præterea quod ex illa opinione sequitur quæ quinquagesimum annum Iobeleis emetitur; minus credibile videri mihi solet, nimirum duobus annis continuis à cultura cessatum fuisse, Sabbatico & sequenti Iobeleo. Tum illud, post unius aut duorum aut trium annorum sementem ac messem subinde Sabbaticum & requietum annum intercessisse.* Et hoc quomodo fieri debebat, pluribus ibidem demonstrat. Quibus argumentis nos postea volente Deo satisfaciemus.

mus: nunc illud ſaltem opponimus, non tanti illa eſſe ut apertis ſcripturæ verbis præferri debeant. Nec tamen ideo communem ſententiam approbo. Neque enim illa cum ſcriptura convenit. Verba ipſa ſcripturæ, eo quod inter ſe ita cohæreant, ut ſejuncta explicari nequeant, integra adducemus. *Loquere filiis Iſrael, & dic illis: Cum veneritis in terram quam ego de vobis, terra quieſcet Sabbathum Domino. Sex annis agrum conſeres, & ſex annis vineam coles & proventus ex iis colliges; ſeptimo autem anno Sabbathum quietis terræ erit, quod eſt Sabbathum Domino: agrum tuum non conſeres. & vineam tuam non coles ...... Numerabis etiam ſeptem hebdomades annorum, ſive ſepties ſeptenos annos: ita ut dies ſeptem hebdomadum annalium faciant 49 annos. Et menſe ſeptimo, decimo die menſis, clangebis tuba: die expiationis clangebis tuba per univerſam regionem tuam. Et celebrabis annum quinquageſimum: & indices libertatem omnibus habitatoribus terræ. Ille erit annus Iobeleus; & revertetur unusquiſque veſtrum ad poſſeſſionem ſuam, & ad hæreditatem ſuam. Quinquageſimus annus erit vobis annus Iobeleus.* Ex quibus verbis primum illud ſatis liquet, annum Jobeleum à Sabbathicis dependiſſe, ita quidem, ut quinquageſimus ille annus, non à priori Iobeleo, ſed rurſum à primo Sabbathico numeraretur. Dicit enim, numerabis primo ſeptem annos; tum ſepties ſeptenos annos, hoc eſt quadraginta novem annos, & tum quinquageſimus erit Iobelæus. Unde ruit eorum aſſertio, qui quinquageſimo ſemper poſt alterum Iobeleum anno rurſum alium Iobeleum celebratum fuiſſe volunt. Quippe id fieri non poterat, niſi ordo Sabbaticorum annorum, ſive Semitah interrumperetur: quod & Iudæorum aſſertionibus & ipſi veritati adverſatur. Annus namque Seleucidarum CXLIX ſive Per. Iul. 4551. erat Sabbaticus, ut ex I. Machab. VI. v. 20. & Ioſepho Originum lib. XII. cap. XIV patet. Rurſum annus Per. Iul. 4677. quo Hieroſolyma ab Herode & Soſio capta ſunt, Caninio Gallo & Agrippa Coſſ. erat Sabbathicus, teſte Ioſepho lib. Originum XIV. cap. XXVIII. quod poſtea demonſtrabitur. Intercedunt inter hos anni 126. qui per ſeptem diviſi dant 18 hebdomades annorum præciſe. At bini in illis annis fuere Iobelei. Si ergo ordo annorum Sabbathicorum propter illos fuiſſet interruptus, ita quidem ut quinquageſimus annus eſſet Iobeleus, quinquageſimus primus autem primus Sabbathicus, rurſum centeſimus eſſet Iobeleus, centeſimus primus autem primus Sabbaticus: tum quidem centeſimus viceſimus ſextus annus eſſet quintus hebdomadis quartæ, non ſeptimus aut Sabbathicus, ſicut à Ioſepho proditur. Manifeſtum ergo eſt annorum Sabbaticorum ſeriem nunquã fuiſſe interruptam.

Quo confirmato tota illa argumentatio de annis quinquaginga ruit. Iubet enim Deus ut Sabbatha ſeptem annalia ſive annos XLIX numerent: & quinquageſimus ex illis ſit Annus Iobeleus. At ſi ordo & ſeries Sabbaticorum annorum certus erat ac ſtabilis: quod jam demonſtratum eſt; illud in annis quinquaginta fieri non poteſt. Ponamus enim, ut verbis Petavii utar, *annum ante ſeculi hujus initium, nempe* MDXCIX, *Sabbaticum fuiſſe, annum vero* MDC *Iobeleum: annus deinde* MDCXLVIII *Sabbaticus erit, additis videlicet ad annum* MDXCIX *quadraginta novem: Iobeleus autem ex illorum opinione qui quinquaginta ſolidos ac vertentes annos præfiniunt erit* MDCL. *Rurſus annus* MDCXCVII *Sabbaticus erit: Iobeleus autem* MDCC. Ita ſecundus Iobeleus non in quinquageſimum annum, ſed in quinquageſimum primum incidet, & tertius in quinquageſimum ſecundum, quartus in quinquageſimum tertium: quod mandato divino aperte contrarium eſt, qui jubet ſeptem Sabbata annorum ſive XLIX numerare, & quinquageſimo, à primo Sabbatico, anno Iobeleum celebrare, non quinquageſimo primo ſecundo aut tertio. Neq; tamen ideo ſententia Petavii aliorumq; ullo modo confirmatur. Iubet enim Deus ſeptem Sabbata annorum numerare, hoc eſt 49 annos plenos. Annus namq; XL. nonus eſt ſeptimus Sabbaticus. Hæc igitur ſeptem Sabbata primum numerari debent, & tum quinquageſimus annus, qui hæc immediatè ſequitur, eſt Iobeleus. Hæc expreſſa verba ſunt quibus nemo veritatis amans contradicere poteſt. Annorum ergo Iobeleorum conſtitutio hæc eſt. Volebat Deus ter maximus eandem in annis & diebus rationem obſervari. Sicut ergo ſeptimus quisque dies erat Sabbathum, ita ſeptimus quoque annus erat Sabbathum. Sed & præterea hebdomas hebdomadum dierum fuit obſervata, ita tamen ut ſeptem dierum hebdomadibus, ſive quadraginta novem diebus abſolutis, quinquageſimus dies ſanctificetur, qui inde Pentecoſte Græcis dictus fuit. Deuteronom. 16. v. vocatur חג שבעות feſtum hebdomadum, propter rationem hebdomadum dierum. Idem in annis obſervari volebat Deus: debebant ſeptem hebdomades annorum hoc eſt anni XLIX numerari: & tum quinquageſimus annus erat feſtivitas ſive ſolemnitas hebdomadum anni: ſicut Pentecoſte ſive quinquageſimus dies erat feſtivitas hebdomadum dierum. Concidit ergo prior argumentatio Petavii deducta ex analogia ſeptem annorum, & ſeptem hebdomadum annorum: cum verior analogia ex ſcripturis demonſtretur; ſeptem nimirum dierum ad ſeptem annos: & rurſum ſeptem hebdomadum dierum ſive dierum XLIX cum ſolemni die quinquageſimo, ad ſeptem hebdoma-

domades annorum ſive annos XLIX cum quinquageſimo ſolemni. Ratio ergo annorum Iobeleorum hæc erat. Numerabatur primus à cultura terræ annus, (ſicut nos poſtea probabimus) primus hebdomadis annalis. Septimus ab illo anno Sabbatum erat: & rurſum XIV. & poſt illos XXI. XXVIII. XXXV. XLII. XLIX. LVI. LXIII. & ſic in infinitum, ſeptimus quisque annus erat Sabbaticus. Sed præterea ab eodem primo anno numerabantur ſeptem hebdomades annorum, ſive anni XLIX: & quinquageſimus, à primo, annus erat Iobeleus: ſed idem tamen I hebdomadis ſequentis, à quo rurſum ſeptem hebdomades annorum, ſive anni XLIX numerabantur, & quinquageſimus rurſum erat Iobeleus, annus nempe XCVIIII à primo anno Sabbatico, non centeſimus, uti illis placet, qui quinquageſimo anno Iobeleos recurrere volunt: nec XCVIII, ut Scaliger, Petavius, cæteriq; qui Iobeleum à ſeptimo Sabbato non diſtinguunt. Rurſus XCIX primus hebdomadis eſt, à quo quinquageſimus rurſum Iobeleus eſt qui à primo culturæ anno centeſimus eſt & quadrageſimus octavus, non CXLVII. nec CL. Quod autem Petavius de biennio integro objicit, quo feriari debebant, illud Providentiæ Divinæ opponitur. Idē namque qui in lege præceperat, ut iſtis annis feriarentur, idem quoq; & poterat & volebat illis de omnib⁹ neceſſariis proſpicere. Imo & in ipſo textu hic nodus ſolvitur. Nam cum Iſraelitæ hoc idem objicerent, *quid edemus ſeptimo anno?* reſpondet Moſes, non de ſeptimo ſaltem anno, ſed etiam de illo qui ſeptimū ſequitur. *Et ego*, ait Dominus, *dabo benedictionem meam ſuper te ſexto anno, ut illud trium annorū proventus tibi det.* Sane in communib⁹ Sabbathis duplici ſaltem proventu opus erat. Sit enim in priori exemplo MDXCVIII ſextus annus Semitah, qui inceperit à Tiſri ſive autumno anni MDXCVII. Circa Niſan ſive Paſcha anni M.D.XCVIII erat meſſis in terra Iſraelis; & poſt illud temdus cœperunt comedere fruges illius anni. Terra interim varios fructus ſubminiſtrabat, uſque ad Tiſri, quo omnia in horrea convecta erant. Et tum annus Sabbaticus incipit, cujus Marchesvan aut Kaſleu, nihil omnino ſerebant; ideoq;, neq; circa Niſan, quæ incidebat in annum MDXCIX ullam meſſem facere poterant. Etiam illa omnia, quæ tunc ſponte proveniebant, communi uſui deſtinata erant. Atque ſic uno anno & fruges & fructus anni ſexti comederunt. Tiſri rurſum ſive autumno anni MDXCIX annus communis incipiebat, quo rurſum agros conſerebant, & circa Niſan anni ſequentis MDC fruges novas habebant. Ergo biennio ſaltem fruges ſexti anni comedebant. Hoc in Sabbaticis annis obtinuit, de quibus plebes maxime ſolli-

S 2 cita

cita erat. At Moseh de triplici proventu loquitur, quod & tum verum est, si MDC qui septimum annum proximè excipit Iobeleus statuatur. Tum enim à Tisri anni MDXCVIII usq; ad Tisri anni MDC nihil serere poterant, ideoq; vitā sustentare debebant frugibus Nisan Anni MDXCVIII. & illo ipso anno, & sequenti MDXCIX, & deniq; MDC usq; ad Nisan anni MDCI, hoc est trib⁹ integris annis: unde & triplici proventu opus habebant. Hæc vera & genuina annorum Iobeleorum ratio est, quę cum ipsis scripturis adeoq; veritate ipsa optimè convenit. Initium autem annorum Iobeleorū idem, juxta Iudæos, erat quæ & Semitah, primus nempe Tisri, ut ex loco Talmudico ante probavimus. Quamvis scriptura paulo aliter sentire videatur. Illa enim à x die Tisri annum Iobeleum inchoat: quæ & genuina Epocha est. Sed & illa optime conciliari possunt, si consideretur, Talmud heic non accurate loqui, sed quia ab annis Semitah, qui à primo Tisri incipiebant, Jobelei dependebant, etiam hos inde ordiri. Incidebat vero Tisri, ut ex superiori de anno Judaico disputatione manifestum est, in tempus æquinoctii Autumnalis; circa quod, tempus sementis apud Judæos erat. Nec aliunde anni Sabbatici incipere poterant. Cum enim duæ saltem veræ Tekuphæ anni Judæis cognitæ erant Vernalis & Autumnalis: si ab illa, anni Semitah aut Jobelei cœpissent, tribus annis in Semitah, quatuor vero in Iobeleis, unius anni proventu se sustentare debuissent. Nam si à Nisan annus Semitah cœpisset, nec fruges quę tum maturescebant demetere, ac domum convehere, nec fructus quæ usq; ad Tisri in Judæą proveniebant, colligere licitum fuisset, propter religionem anni. Ideoq; superioris anni proventu coacti sunt vivere. Sed nec Tisri metere licitum erat. Unde circa Nisan alterius anni nec metere poterant. Expectanda ergo erat tertia messis: adeoque tribus integris annis in Semitah, & quatuor in Jobeleis, unius anni proventu se sustentare debebant. Sit enim annus XLVIII, à cujus Nisan incipiebat annus hebdomadis sextus. Isto quidem tempore metebant fruges, & rursum circa Tisri serebant; cum tamen messe sequenti anni XLVIIII nihil metere licitum esset, propter religionem anni. Ergo & XLVIII & XLIX. de frugibus anni XLVIII vivebant. Sed & sequenti L. idem facere sunt coacti, usq; ad Nisan anni LI: siquidem propter religionem anni Sabbatici, nihil circa Tisri XCIX seri poterat. Debebat igitur sementis anni L & messis anni LI. expectari. Quod si L annus Iobelæus esset, neque illius Tisri aliquid conseri poterat, ideoq; nec messis anno LI fieri. Unde ab anno XLVIII. ad annum CII, hoc est quatuor plenis

plenis annis, una saltem messis erat. Commode igitur initium anni, tam Semitah quam Jobelei, in Nisan aliove tempore locari non poterat: unde & à sapientissimo legislatore in Tisri sive autumno constitutum fuit.

Nunc de anno quodam certo ac definito dicendum est, à quo anni Sabbatici dependeant. Hoc enim dato, tota ratio & Sabbathicorum & Iobeleorum annorum cognita erit. Duæ autem sunt hac de re opiniones: alii enim à primo in terram Canaan ingressu, alii à prima agricultura quæ post κληρȣχίαν contigit, Sabbatha numerare incipiunt. Utrique pro se scripturas adducunt. Verba legis sunt: *Cum veneritis in terram quam ego do vobis, terra sabbatizabit Sabbathum Domino. Sex annis seres agrum tuum, & sex annis putabis vineam tuam, septimus autem annus erit Sabbatum quietis terræ, Sabbatum Domino. non seres agrum tuum, neque vineam tuam putabis,* Levit. xxv. v. 1. Ex quibus priores ita concludunt. Dicit Deus, cum veneritis in terram, sabbatizet terra. Ergo statim ab ingressu anni incipere debent, adeoque septimus ab ingressu annus erit Sabbaticus. Perperam sane. Neq; enim Phrasis illa כי תבאו אל ארץ *cum veneritis in terram* ita explicari debet, quasi primum ingressum denotaret. Id enim quod statim cum ingressu fieri debebat, ita exprimit Deus: *Cum transieris Iardanem hunc*, ut Num xxxiii. 50. & Deuter. xxvii: quod è vestigio ut ajunt erat faciendum. Contra si prior phrasis ita explicari debebat, primus utique annus, non septimus Sabbathum esset. Dicit enim, *cum ingressi fueritis terram, sabbatizet* &c. Sed ipse Deus ter benedictus satis mentem suam explicat. Dicit enim, *cum veneritis in terram, Sabbatizet terra Domino.* Id postea exponit, *sex annis seres terram.* Neque enim Israelitæ noverant quid Sabbatum terræ esset. Exponit igitur aliis verbis, *sex annis seres terram tuam, septimus autem erit Sabbathum Domino. Non seres* &c. Ab illo ergo tempore, quo primum terram suam conserere cœperunt, hebdomas annorum incipit: à quo septimus, Sabbaticus est; quinquagesimus, Iobeleus primus, & sic deinceps. At vero ante κληρȣχίαν serere non poterant. Neque enim licitum erat illam terræ partem occupare, quæ cuivis placebat: sed forte terra divisa fuit; post quam, quælibet tribus, partem quæ incolis Cananæis libera erat, serebat: partem reliquam ab incolis repurgabat. Contigit autem κληρȣχία sexto ab ingressu terræ anno. Josuæ enim xiv, ubi sortitio inceperat, Caleb Jephunne filius, qui cum tribu Juda Josuam convenerat, ita loquitur. *Quadraginta annos natus eram cum Moseh me speculatum emitteret.* Et post: *Ecce Dominus me sustentavit*

 his

his quadraginta quinque annis, sicut dixerat: & ecce ego hodie quadraginta quinque annorum sum. Anno secundo post egressum, mense Elul, Caleb speculator cum aliis missus fuit. Anno enim secundo, mense secundo sive Jiar, xx die mensis, primum cum Tabernaculo, ascendente Nube, profecti sunt. Num x. v. 11. Iter illorum tum erat à deserto Sinai ad sepulchra concupiscentiæ confer. x. & xi. Numer. cap. cum xxxiii. v. 16. 17. A sepulchris concupiscentiæ profecti sunt in Hazeroth. cap. xxxiii. v. 17. inde perrexerunt versus Rithma, quod est in deserto Paran. Tum demum exploratores emissi fuerunt, tempore quo primum uvæ maturescunt, cap. xiii. v. 21. hoc est circa Elul mensem, anno secundo post Exodum. Quadraginta annorum Caleb tum erat: postea vixit annos 45, adeoque annorum erat 85, ut ipse testatur. Totum autem tempus quo filii Israel manserunt in deserto ab exitu usque ad ingressum terrę Canaan, erat annorum quadraginta præcise. Eodem enim anni tempore quo egressi sunt ex Ægypto, eodem quoque terram ingressi sunt, quod alibi probabitur. Si ergo à 40 annis solidis unum annum cum dimidio auferas, remanent xxxviii cum mensibus sex, vel septem, ad summum. Post annos ergo triginta octo, & menses sex à speculatorum, adeoque ipsius Calebi emissione, ingressi sunt terram: adeoq; tum Calebus juxta priora erat 78 annorum & septem mensium ad summum. Quæ ab 85. annis, quot, tempore κληρουχίας, natus erat, ablata, dant 6 annos & 5 menses. Anno ergo septimo, post ingressum in terram Canaan, ineunte, hæc dixerit Caleb Jephune, circa Nisan, ut ego opinor. Sane ante tempus sementis sive Tisri. Tum enim terra dividebatur: & sequenti Tisri conserebatur. Unde & tum primum terram colere incipiunt. Hic ergo primus annus hebdomadis est: & septimus ab hoc, primus Sabbaticus: & quinquagesimus, primus Jobeleus. Sed ociosa plane ac inutilis omnis hæc speculatio est, nisi certæ cuidam Epochæ applicetur. Hæc Periodus Juliana est, quæ omnia tempora certissimis characterismis notat. Debent vero certi quidam anni Sabbatici huic Periodo applicari, quibus demonstratis, reliquorum annorum Sabbaticorum ratio in antecedentia facile propagari poterit. Duo vero anni sunt de quibus certo constat Sabbaticos eos esse. Primus est cl Græcorum, quo Antiochus Eupator Bethsuram obsederat, qui se dedere coacti sunt eo quod commeatu carerent propter Sabbatum anni. 1. Mach. cap. vi. Idem habes apud Josephum Orig. xii. cap. xiv. Est vero hic annus P. Julianæ 4551. ut postea in Epocha annorum Græcorum sive Seleucidarũ demonstrabitur. Rursus Annus Ur-

bis

bis Conditæ Varonianus DCCXVII, Julianus IX, quo Coss. fuere M. Vipsanius Agrippa & Caninius Gallus, qui est Per. Jul. 4677, fuit Sabbaticus, ut testis est Josephus Orig. XIV. cap. ult. Ex hisce binis exemplis patet, hanc esse Per. Jul. commoditatem, ut per septem divisa det annos Sabbaticos. In priori enim anno 4551. Per. Jul. si numerus ille per septem dividatur, residua manet unitas. Anno ergo Per. Jul. 4551. circa autumnum sive Nisan incipit primus annus hebdomadis, ideoque prior anni pars, à Calendis nempe Januariis ad Septembrem & ultra, fuit Sabbathum: annusque Sabbaticus inceperat ab autumno anni superioris 4550. Idem alius numerus 4677 facit. Divisus namque per 7, residuam dat unitatem, quæ indicat priore parte anni Sabbatum esse: posteriore autem primam hebdomadis inchoari. Si ergo anni Per. Jul. per 7 dividantur: dabit residuum annum hebdomadis qui autumno illius anni incipit. His datis nunc Epocham Exodi applicemus. Contigit Exodus juxta nostrum calculum anno P. Jul. 3210. v. Aprilis sive ipso æquinoctiali die, feria sexta, quod in sequentibus volente Deo confirmabimus. Adde 40 annos solidos, quib⁹ in deserto hæserunt: habebis 3250; cujus anni Paschate terram Canaan sunt ingressi. Adde sex annos plenos, habebis Nisan anni 3256, circa quem Caleb & reliqui de tribu Juda cum Josue locuti sunt. Et tum κληρουχία contigit, cujus autumno primum incipiunt terram colere, adeoq; autumno anni 3256 incipiet primus annus hebdomadis. Videbimus an ita illud sit. Dividantur anni 3256 per septem, residuum manet 1. ergo autumno hujus anni incepit primus annus hebdomadis; cui si 7 adjeceris prodit annus 3263. qui per 7 divisus dat rursum unitatẽ residuam. Ergo autumno anni 3263 secunda hebdomas incepit, & annus Sabbaticus primus inivit ab autumno anni 3262 P. Jul. & terminatur autumño 3263. Quod si ad primum primę hebdomadis annum 49 solidos annos sive hebdomades septem adjeceris, comparabis initium anni Jobelei primi. Quippe 49 addita 3256, dant annũ 3305. cujus autumno primus annus Iobeleus cœpit. qui demum 3306 circa autumnum finitus est. Idem erat primus hebdomadis VIII. Methodus ergo annorum Sabbaticorum hæc est: *Divide annum quemcunque Per. Iul. datum per 7: residuum monstrabit annum Semitah, qui ab autumno dati anni incipiet.* Anno Christi 1575. scripsere Iudæi Palestinæ: והיא שנה ראשונה לשמיטה לדעת הרמבם זל והגאונים ומ:הג בני ארץ ישראל *Is est annus primus Semitah secundum opinionem Magistri Mosis filii Majemon, (memoria ipsius in benedictione) & magnificorum & popularium terræ Israelis.* vid. Scalig de Emend. Temp. lib. v. Annus

Christi

Christi 1575 est Per. Iul. 6288. qui per septem divisus dat residuos duos. Ergo autumno hujus anni cœpit secundus hebdomadis; & prior pars anni pertinebat ad primum hebdomadis, qui circa Tisri anni 1574 cœperat, non 1575, quod Scaliger existimat. Est enim annus Iudaicus, ipso Scaligero teste, 5335 At is non 1575, sed 1574 anno Christi ab autumno incepit. Ea enim ratio est annorum Iudaicorum qui לפרת קתן *juxta supputationem minorem* numerantur, ut si illis 1240 addantur, dent annum Christi qui proximis, post illius anni Tisrin, Calendis Ianuariis incipit. Anno superiore MDCXLVII Christi circa initium Octobris, cum ego Amsterodami essem, inivit annus Iudaicus supputationis minoris 408, sicut ex fastis eorum & Calendariis manifestum est: qui quidem usque ad Autumnum hujus anni durat. Adde juxta Methodum 1240, habebis annum Christi MDCXLVIII, qui nunc fluit. Idem in altero anno obtinet. Annus Iudaicus 5335, abjectis millenariis, est juxta supputationem minorem 335. adde 1240, prodit annus Christi 1575, qui post Tisrin anni 335, mense fere Thebeth, hoc est quarto post Tisrin, incipit. Ita ergo Periodi Iulianæ anni divisi hebdomadam monstrant. Idem & Iudaici faciunt. Hi enim per 7 divisi annum Semitah dant. quod si nihil remanserit, annus ipse est Sabbathicus. In exemplo dato 5335 annus Iudaicus per 7 divisus residuum dat primum annum hebdomadis. Inchoant vero Iudæi annos suos ab orbis conditu: quamvis propter neglectum historiæ externæ, ut & alia quædam, 300 fere annis à vero orbis initio aberrent, quod alibi demonstrabimus. Facillime autem hæc ipsorum Epocha Periodo Iulianæ applicatur. Nemini enim ignotum esse potest, annum nunc agi Iudaicum 5408: qui anno Christi MDCXLVII circa autumnum cæpit. Sed & hoc omnibus certum est, annum hunc MDCXLVIII à nativitate Christi, esse P. Iul. 6361. Differentia ergo harum Epocharum est 952 annorum: quæ annis Per. Iul. detracta dant annum Iudaicum, qui autumno illius anni incipit; contra addita annis Iudaicis dant annum Periodi Iulianæ, qui à Calendis Ianuariis init, quæ Tisrin anni Iudaici proximè antecedunt. In exemplo dato 5335 adde 952, habes 6287, Annum P. Iul. cujus autumno Iudaicus 5335 inivit. Contra si P. Iul. annis 6287, 952 annos auferes, habes 5335 Iudaicum. Hæc annorum Iudaicorum ratio est; qua cognita ad quodvis tempus annos Semitah investigare poteris: quod tamen eadem facilitate ac certitudine per Periodum Iulianam expeditur, ut demonstratum fuit.

In annis vero Iobeleis hæc Methodus est. *Aufer primum γεωργίας*

annum

annum quem diximus esse P. Iul. *3256. à dato anno P. Iul. residuum, per 49 divide, & si unitas remanserit annus datus est Iobeleus, qui quidem priori anno inceperit, & autumno anni dati terminatur.* Unicum exemplum adferamus. Annus Ezechiæ regis quartusdecimus incidit in Sabbathum & xv. in Jobeleum. Id volente Deo postea probabimus. Annus Ezechiæ xiv. incidit in annum Per. Jul. *3991.* & xv. in *3992.* aufero à *3992* juxta methodum *3256* remanent *736*, quæ per *49* divisa residuam dant unitatem. Ergo annus *3992* usque ad autumnum erat Jobeleus.

Cap. XII.

Antiquissimæ gentes juxta φάσιν menses ordinabant, Britanni juxta fluxum & refluxum maris. De anno antiquorum Danorum ejusque termino quem Iul sive Rotam vocabant. Græci antiqui annos mensesque juxta φάσιν ordinabant, quod, accepto ab Ægyptiis æquabili anno, immutatum fuit. Mensium inæqualium apud Albanos & Tusculanos causæ. An Solon annum aut menses emendaverit? De Octaeteride. De Enneadecaeteride Metonis, ut & ejus constructione, & ad usum civilem applicatione: ubi insignis locus Ciceronis explicatur. Vulgus Athenensium antiquis mensibus pertinacissimè adhæsit, quos pro Lunaribus habebat. Anni Græcorum Lunares erant, non Solares, ut voluit Leo Allatius. Nomina mensium Athicorum. Modus numerandi dies mensis. Epocha anni Atheniensium, &c.

Quæ de anno Judæorum hucusque disputata sunt, illa vel Iudæis propria erant, vel aliis gentibus communia. Quæ enim de Paschatis celebratione, Sabbaticis & Iobeleis annis, aliisque post Exodum Israelitarum constituta sunt: ea solis Israelitis observabantur. Quæ vero Neomeniarum rationem cæteraque concernunt, aliis quoque gentibus in usu erant. Hæc enim cum ab antiquissimis temporibus ipsoque diluvio profluxerant, omnibus antiquis gentibus tamdiu observata sunt, usquedum accuratiorem anni rationem invenissent, Arabes quidem sive Ismaelitas à φάσι novilunia incipere Aben Ezra in cap. xii. Exod. his verbis testatur. הישמעאלים בעבר שמועריהם

תלוים

תלוים בימי חדש הלבנה ותחלת החדש מליל ראות הלבנה *Ismaelitæ quorum festa mensium Lunarium diebus illigantur, quippe quibus initium mensis est à vespera visionis Lunæ, &c* Idem antiquitus & illos & Ægyptios fecisse verisimile est, cum illi Israelitarum cognati, hi in Tekupha annoque constituendo Magistri fuerint. Chaldęos quidem à φάσι Novilunia putasse, postea probabimus. Idem antiqui Septentrionales fecerunt, qui sicut in dierum initiis, ita in mensium quoq; & annorum antiquorum morem retinuisse videntur. De Germanis Tacit. lib. de moribus German. *Coeunt, nisi quid fortuitum & subitum inciderit certis diebus, cum aut inchoatur Luna aut impletur.* Et de Gallis Plinius l. XVI. *Petitur ante omnia sexta Luna quæ principia mensium annorumque iis facit, & Sæculi post tricesimum annum.* Sexta Luna, hoc est Syzygia media, quæ sola Romanis Græcisque cognita erat. Gallis vero VI dies mensium initium est. Tum enim Luna manifeste omnibus apparebat. Vid. Gem. cap. VII. Triginta vero annis seculum ipsorum absolvebatur. Fere enim tum rationes Solis & Lunæ conveniebant, nec discrimen erat nisi diei unius & horarum quarundam. Qui vero trans mare in Britannia habitabant, quamvis antiquissimis temporibus φάσιν observasse videantur; posterioribus tamen seculis, cum istis in locis admodum intricata φάσεως ratio esset, propter nebulas ventosq; ex Oceano surgentes, certiorem Magistrum Oceanum secuti juxta hujus fluxus & refluxus annum dirigebant mensesque ordinabant. Sane & his temporibus magnam fluxus & refluxus rationem in Anglia habent: ad quos deprehendendos, horologium quoddam insigni arte fabrefactum in Curia Hamptonia vulgo Hamptoncourt ad Tamesin sita superiori anno vidi. Dani vero mei etiam Lunæ rationes sequebantur. Utrum vero juxta φάσιν an eodem quo Britanni modo, juxta æstum Oceani menses ordinaverint, vix dixerim. Una tamen & Solis rationes observabant. Terminus namque & initium anni Solstitium Brumale erat, quod quidem tempus Giuli, sive propria Danorum voce Hiul & Iul, hoc est Latine rotam vocabant, eadem vocis significatione, qua Ebræi suos terminos תקופות *conversiones.* Et illis temporibus magnificam illam quamvis valde crudelem Hecatomben, qua 99. homines 99. boves 99. oves &c. Toroni immolabantur, celebratam fuisse existimaverim. Variis sane ludis novum annum auspicati sunt: qui quidem adhuc passim in Dania in usu sunt, & *Iule leege* sive ludi Rotæ vocantur. Hos quidam ab Cæsare Iulio originem sumpsisse volunt: perperam quidem meo judicio; cum illi in nostris terris nihil unquam negocii fuerit. In Anglia quidem fuisse Commentarii ipsius testantur. Sed

non

non nos ab Anglis annum accepimus: quin illi potius à nobis, nostrisque vicinis Saxonibus, quorum etiam annum Beda describit, ubi de Giuli agit, & opinionem nostram plane confirmat. Lib. de temporum ratione cap. XIII. *Incipiebant annum ab Octavo Kalendarum Ianuariarum die, quo nunc natale Domini celebramus; & ipsam noctem nunc nobis sacrosanctam, tunc gentili vocabulo Modrenecht, id est Matrum noctem* (Matrem noctium explicandum erit) *appellabant, mensibusque Decembris, & Ianuarii, à conversione Solis in auctum diei (quam unus eorum præcedit, alius sequitur) nomen Giuli imposuerunt.* Vides menses illos à conversione Solis in auctum diei vocatos fuisse Giuli vel Iul, non à Iulio. Iul ergo conversionem designat, quod etiam in Dania nostra facit, unde Angli ista habuerunt, qui adhuc in Borealibus Britanniæ partibus (quo nunquam Iulius Dictator pervenit, & ubi Dani nostri diu imperium obtinuerunt,) Iuledai retinent, quod Dani mei Iuledage sive dies Tekuphæ aut Rotæ, vel ut Beda loquitur conversionis vocant. Sed de his alibi forte commodius dici poterit: neq; enim hæc ad annos Christi spectant; neque iis quæ de his demonstrare decrevimus ullo modo inserviunt. Qui vero de his accuratiora scire volet ad ea Clariss. Viri D. Olai Worm Fastos Danicos, ubi erudite de his differitur. Sed non illi saltem qui septentrionibus sunt subjecti Lunę rationes sequebantur; verum & omnes Europæi, quorum & anni Lunares erant, & menses antiquitus à φάσι dependebant. Romani quidem, ut ex Macrobio probavimus, pro Nonis intercalandis Lunam observabant. Annum quoq; juxta Solis Lunæque rationes ordinaverant. Græci vero Veteres dies mensium juxta φάσιν constituebant & numerabant. Id enim antiquis Græcis propositum erat, menses quidem & dies congruenter cum Luna agere, annos vero cum Sole; quo ita oraculo satisfacerent, quod ut juxta Patria sive tria, (hoc est ut explicatum fuit, juxta dies menses & annos) sacrificarent jusserat. Porro secundum solem annos se agere existimabant, si circa easdem tempestates anni, eadem sacrificia Diis perficerent, & vernum sacrificium semper in vere consummarent, æstivum autem in æstate. τὸ δὲ κατὰ σελήνην ἄγειν τὰς ἡμέρας τοιοῦτόν ἐστι (Græca verba Gemini sunt cap. VI. ex quo & priora adduximus) τὸ ἀκολούθως τοῖς τῆς σελήνης φωτισμοῖς τὰς προσηγορίας τῶν ἡμερῶν γίνεσθαι· ἀπὸ γὰρ τῶν τῆς σελήνης φωτισμῶν αἱ προσηγορίαι τῶν ἡμερῶν κατωνομάσθησαν. Ἐν ᾗ μὲν γὰρ ἡμέρᾳ νέα ἡ σελήνη φαίνεται κατὰ συναλοιφὴν, νυμηνία προσηγορεύθη· ἐν ᾗ δὲ ἡμέρᾳ τὴν δευτέραν φάσιν ποιεῖται, δευτέραν προσηγόρευσαν. *Secundum Lunam vero dies agere tale est, ut congruant cum Lunæ illuminationibus appellationes dierum. Nam à Lunæ illuminationibus appellationes dierum sunt denominatæ. In qua*

enim die Luna apparet nova ea per synalœphen Numenia sive Novilunium est vocatum. Qua vero die secundam facit visionem secundam appellarunt. Hæc ergo mensium ratio apud antiquos Græcos fuisse videtur, ut mensis à visione inciperet: Annorum vero, ut alternis duodecim alternis tredecim mensibus terminarentur. Testis ejus rei Censorinus. cap. XVIII. *Veteres in Gracia civitates cum animadverterent, dum Sol annuo cursu orbem suum circuit, Lunam interdum terdecies exoriri, idque sæpe alternis fieri: arbitrati sunt, lunares* XII. *menses & dimidiatum ad annum naturalem convenire. Itaque annos civiles sic statuerunt, ut Interkalando facerent alternos* XII. *mensium, alternos* XIII: *utrumque annum separatim vertentem; junctos ambos, annum magnum vocantes, idque tempus* τριετηρίδα *appellabant, quod tertio quoque anno interkalabatur, quamvis biennii circuitus & revera* διετηρὶς *esset. Unde Mysteria quæ Libero Patri alternis fiunt annis, trieterica à Poëtis dicuntur.* Hæc anni ratio antiquis temporibus erat, in qua se existimabant, juxta Patrios ritus sacra facere. Quæ tamen maxima incertitudine laborabat. Sæpe enim, istis præcipuè in terris ubi aer non tam purus ac in Orientalibus locis erat, contingere poterat, ut Luna pluribus à jugo diebus non videretur. Imo & hybernis mensibus interdum non ante plenilunium. Unde menses plane inæquales ac incerti erant. Alii enim XXXVI dies habebant, alii saltem XXII. Fuere qui XVI aut XVIII absolverentur, quales menses per Italiam Albanis & Tusculanis in usu erant. Illis enim Censorino teste Martius sex & triginta dierum erat, Majus viginti & duum, Sextilis duodeviginti, September sedecim: his vero Quintilis XXXVI, October XXXII. Volebant quippe Albani certum quendam mensium annique modum constituere, ne propter incertissimam horum rationem civilia negocia turbarentur. Uno ergo in anno diligentius observabant, quando & quoties Luna videretur, juxta quod mensibus certum modum præscripserunt, tam illo quam reliquis annis observandum. Sed istud Albanorum institutum sapientibus viris non satis dignum videbatur. Imo nec cum Græcorum institutis conveniebat. Quippe his ab Oraculo injunctum erat, ut juxta Lunam festa agerent. Jam vero Græcis sapientibus certo cognitum erat, Lunam non ultra XXX dies à jugo ad jugum absolvere. Quomodo ergo XXXVI aut XXXII mensi tribuere poterant, & tamen cum Luna convenire? Alia ergo ratio introducta fuit, qua omnes menses anni XXX dierum erant, annus ipse XII. mensium sive dierum CCCLX. Hanc primi Ægyptii invenerunt. Iis enim XII. in anno menses erant omnes tricenarii, juxta rationes Lunę ordinati, quibus V Epagomenas addiderunt, ut sicut menses cum

cum Luna ita annus cum Sole conveniret. Id enim Ægyptiis, propositum fuisse Lucianus lib. de Astrologia testatur: Καὶ μηνῶν μὲν σφίσι μέτρον ἡ σεληναίη καὶ ἡ ταύτης ἀναστροφὴ ἐγένετο· ἔτεος δὲ ἠέλιος καὶ ἡ τοῦ ἠελίου περίφορος. *Atque hi quidem Luna ejusque conversione menses metiuntur, annum vero Sole ejusque circuitu.* Menses ergo Tricenarii pro veris Lunaribus ab Antiquis Ægyptiis habebantur, unde & annus Lunaris CCCLX dierum erat. Hunc mensium annique modum ab Ægyptiis Græci acceperunt: quibus cum propositum esset, non tam juxta Solem quam juxta Lunam, annos agere, Epagomenas Ægyptiorum omiserunt. Unde Græcorum annus saltem CCCLX dierum præcise erat. De mensibus consentit Geminus: Οἱ μὲν οὖν ἀρχαῖοι τοὺς μῆνας τριακονθημέρους ἦγον. *Antiqui menses tricenarios habebant.* Unde &, cum in anno XII. menses essent, necesse erat annum diebus CCCLX contineri: quod ipsum & de anno, & de mensibus confirmat Cleobulus ex Lindo, vel ut alii volunt ex Caria, qui tale de anno Ænigma proposuit:

Εἷς ὁ Πατὴρ, παῖδες δὲ δυώδεκα· τῶν δὲ ἑκάστῳ
Παῖδες τριηκόντα διάνδιχα εἶδος ἔχουσαι
Αἱ μὲν λευκαὶ ἔασιν ἰδεῖν, αἱ δ' αὖτε μέλαιναι.
Ἀθάνατοι δέ τε οὖσαι ἀποφθινύθουσιν ἅπασαι.
Est Genitor, gnatos bissex qui possidet Unus,
Cuique horum gnatæ tricenæ dispare forma.
Hæ niveæ apparent, fuscis sed vultibus illæ.
Sunt immortales omnes, moriuntur & omnes.

Ad hanc anni Ægyptiaci rationem Græci suas ὥρας sive tempestates, aut terminos anni applicarunt. Existimabant enim Græci teste Gemino se rite sacra facere, si circa easdem tempestates anni eadem sacrificia Diis perficerent. Et cum Epagomenas Ægyptiacas omitterent, necesse erat alia via defectum explere. Quod etiam Græci, retinendo priscum morem præstarunt. Quippe antea, ut ex Censorino diximus, Veteres in Græcia civitates cum observarent, Lunam interdum terdecies in anno oriri, idque sæpe alternis fieri, arbitrati sunt, lunares XII menses & dimidiatum ad annum naturalem convenire. Itaque annos civiles sic statuerunt, ut Interkalando facerent alternos XII mensium, alternos XIII. Id inquam antiquæ Græciæ inventum ad annum hunc Lunarem Ægyptiacum applicarunt, alternisq; annis mensem integrum addiderunt; unde binis annis dies attributi sunt 750, Annoque uno Solari 375, qui fere cum Laviniorum convenit, qui juxta Solinum dierum erat 374. Demonstratur hoc ex Gemino, qui ait: Οἱ μὲν ἀρχαῖοι τοὺς μῆνας τριακονθημέρους ἦγον· τοὺς δὲ ἐμ-

βολίμους παρ' ἐνιαυτόν. Veteres menses quidem agebant tricenarios, intercalares autem per annum. Quod Solo, qui tali anno ipse usus est, optime explicat, totamque hanc rationem accuratissime describit. Ubi ita apud Crœsum Lydorum Regem disserit. Ἐς γὰρ ἑβδομήκοντα ἔτεα οὖρον τῆς ζωῆς ἀνθρώπῳ προτίθημι. Οὗτοι ἐόντες ἐνιαυτοὶ ἑβδομήκοντα παρέχονται ἡμέρας διηκοσίας καὶ πεντακισχιλίας καὶ δισμυρίας ἐμβολίμου μηνὸς μὴ γινομένου. εἰ δὲ δὴ ἐθελήσει τοὔτερον τῶν ἐτέων μηνὶ μακρότερον γίνεσθαι, ἵνα δὴ αἱ ὧραι συμβαίνωσι παραγινόμεναι ἐς τὸ δέον, μῆνες μὲν παρὰ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτεα οἱ ἐμβόλιμοι γίνονται τριάκοντα πέντε, ἡμέραι δὲ ἐκ τῶν μηνῶν τούτων, χίλιαι πεντήκοντα. τούτων τῶν ἁπασέων ἡμέρων τῶν ἐς τὰ ἑβδομήκοντα ἔτεα ἐουσέων πεντήκοντα καὶ διηκοσίων καὶ ἑξακισχιλίων καὶ δισμυρίων, ἡ ἑτέρη αὐτέων τῇ ἑτέρῃ ἡμέρῃ τὸ παράπαν οὐδὲν ὅμοιον προσάγει πρῆγμα. *Ego enim annis septuaginta humanæ vitæ modum definio: qui quidem anni dies colligunt vicies quinquies mille cum ducentis, si intercalaris mensis omittatur. Quod si annorum alter uno mense longior statuatur ut tempestates respondeant; menses in annis septuaginta intercalantur quinque & triginta, ex quibus dies consiunt mille quinquaginta. Omnibus iis diebus in annos septuaginta collectis, quorum numerus efficit viginti sex millia ducentos quinquaginta, nullus est ex iis, qui similes alteri casus eventusque pariat.* Quid melius aut quid accuratius de his dici poterat? Si enim 30 per 12 multiplicentur, hoc est dies mensis cum mensibus anni, prodeunt 360 dies unius anni: qui si in 70 annos rursum ducantur, dant dies 25200. Et totidem dies Solo esse dicit, si intercalaris omittatur. Additur vero alternis annis unus mensis propter tempestates: qui in annis 70 sunt menses 35, sive dies 1050: qui additi superioribus diebus dant dies 26250. omnibus modis ut Solo ait. Inæquali igitur isti & incertæ mensium annique rationi quæ à φάσει dependebat, æqualis altera successit: quam ab Ægyptiis acceptam Græci interpolarunt, & ad anni sui modum reformarunt. Solonis sane ut & Cleobuli temporibus talem annum in usu civili fuisse ex iis quæ dicta sunt satis demonstratur. At vero Clariss. Vir Leo Allatius probare conatur etiam Solonis temporibus annum accurate Lunarem fuisse: quod ante ipsum & Scaligero persuasum fuisse video. Hujus verba ex secundo Emend. tit. de Octaeteride Cleostrati hæc sunt. *Primus Solon auctor fuit Athieniensibus τὰς ἡμέρας κατὰ σελήνην ἄγειν, ut scribit Laertius. Quod tamen frustra proposuit, cum Athieniensibus, menses omnes pleni καὶ τριακονθήμεροι agerentur.* Vides, ex mente Scaligeri, Solonem alios menses accuratiores tricenariis instituere voluisse. Ille autem libro de mensura temporum cap. XI, ubi Plutarchi locum exponit, qui Solonem instituisse perhibet, ut dies juxta Lunam agerentur, atque adversariorum sententiam ac (nominatim

Ubbo-

Ubbonis Emmii rerum Chronologicarum lib.1.cap. de mensibus) recitaverat, qui eum de mensibus verè Lunaribus explicuerant, ita demum concludit. *Hoc est quod dicimus Emmi, & Plutarchi testimonio probamus, Solonis tempore menses Lunares apud Athenienses in usu fuisse civili, quos cum, inscitia plebis, Solon vidisset non usquequaque Lunæ Luminibus conformari, emendavit. Et Plutarchus de his, non tricenariis mensibus loquitur.* Sed illud quidem Soloni ipsi aperte in os contradicit. Nam ut ex Plutarcho, & Diogene Laert. manifestum est, prius annum Solon emendavit, quam peregrinaretur. Imo ex epistola quadam ipsius Solonis ad Crœsum scripta, quam Laertius recitat, satis liquet, nunquam, post congressum cum Crœso, Solonem Athenas fuisse reversum. Rogaverat namque ipsum Crœsus, ut se inviseret: quod post congressum is nunquam fecisset, qui ut Plutarchus auctor est Solonem despectui habebat, eo quod beatitudinem à divitiis sejungeret. Ante ergo congressum, hæ Crœsi literæ ad Solonem venerint; quibus ita tum Solo respondit, velle se quidem libentius in libera civitate vivere: sed cum Patria à Pisistrato occupata sit, non posse se illuc reverti. At post Pisistrati tyrannidem nunquam reversus fuit Solon, ut ex Diogene patet: ergo neque post congressum cum Solone unquam Athenis fuit. In illo autem congressu Solo hanc anni rationem proponit, de qua nos loquimur: cum illi tamen suam emendationem proponere licuisset. Imo ut sapientes istorum temporum solebant, potius aliorum in anno vitia emendasset, quam suo exemplo confirmasset. Sed non narrantis solum hæc vèrba sunt, sed etiam probantis. Dicit enim: εἰ δὲ δὴ ἐθελήσει θὐτερον τῶν ἐτέων μηνὶ μακρότερον γίνεσθαι, ἵνα δὴ αἱ ὧραι συμβαίνωσι παραγινόμεναι ἐς τὸ δέον. *Si vero quis alternos annos mense longiores facere voluerit, ut horæ sive termini anni debito tempori conveniant.* Vides debitum tempus Solonem vocare illud quod intercalatione acquiritur. Hoc ergo non recensentis est, sed probantis. Sed videamus quid in hanc opinionem illos perduxerit. Refert Laertius, ἠξίωσέ τε τοὺς Ἀθηναίους τὰς ἡμέρας κατὰ σελήνην ἄγειν, docuit Athenienses dies juxta Lunam agere. Non dicit menses aut annos, sed saltem *dies illos juxta Lunam agere docuit.* Quod his verbis explicat Plutarchus: Συνιδὼν δὲ τοῦ μηνὸς ἀνωμαλίαν καὶ τὴν κίνησιν τῆς Σελήνης οὔτε δυομένῳ τῷ ἡλίῳ πάντως οὔτε ἀνίσχοντι συμφερομένην, ἀλλὰ πολλάκις τῆς αὐτῆς ἡμέρας καὶ καταλαμβάνουσαν καὶ παρερχομένην τὸν ἥλιον, αὐτὴν μὲν ἔταξε ταύτην Ἕνην καὶ νέαν καλεῖσθαι, τὸ μὲν πρὸ συνόδου μόριον αὐτῆς τῷ παυομένῳ Μηνί, τὸ δὲ λοιπὸν ἤδη τῷ ἀρχομένῳ προσήκειν ἡγούμενος, πρῶτος ὡς ἔοικεν ὀρθῶς ἀκούσας Ὁμήρου λέγοντος, τοῦ μὲν φθίνοντος Μηνὸς τοῦ δ' ἱσταμένοιο. Τὴν δ' ἐφεξῆς ἡμέραν Νουμηνίαν ἐκάλεσεν, τὰς δ' ἀπ' εἰκάδος οὐ προστιθεὶς ἀλλ' ἀφαιρῶν

ρῶν καὶ ἀναλύων ὥσπερ τὰ φῶτα τῆς σελήνης εἰς ἕωθεν μέχρι τριακάδος ἠρίθμησεν. Vox μηνὸς non heic *mensem* denotat, ſed illam Lunæ ſpeciem à qua μηνοειδὴς apud Gręcos appllatur, qua ſpecie Luna primo poſt coitum & ultimo ante coitum apparet. Id enim ex ſequentibus apparet, ubi ait, Solonē priorem diei partem παυομένῳ Μηνὶ, poſteriorem ἀρχομένῳ Μηνὶ tribuiſſe. Quod ſi verum, jam xxx die, menſis novus cæperat, adeoq; τριακὰς ultimus menſis non erat. Sed de Lunæ ſpecie omnino intelligendum, quam quidem priori parte diei omnino deficere, ipſamque ſic Lunam veteraſcere, poſteriori rurſum augeri exiſtimabat. Sequentem vero diem quo Luna primum videri ſolebat, Neomenian vocabat: Idque juxta antiquum morem. Antiqui namque, qui, ut dictum fuit, juxta φάσιν menſes ordinabant, etiam dies menſis juxta φάσιν denominabant: & cum poſt 20 diem Luna ſenſibiliter decreſcere inciperet: non ulterius dies menſis addebant, ſed detrahebant. Quod etiam ab antiquiſſimis Græcis acceptum Latini retinuerunt, à quibus illud Romani acceperunt. Imo & Homerus ejus ritus meminit, ubi menſem diſtinguit in ἱστάμενον conſiſtentem & φθίνοντα deficientem. Non ergo aliud fecit Solon quam quod antiquum morem numerandi dies juxta φάσεις ſive viſiones Lunæ poſtliminio reduxit, iſtique menſium rationi quæ tum Athenis in uſu erat applicuit. Unde hoc ſolum ipſi apud omnes ſcriptores tribuitur, quod dies, non menſes annosve, juxta Lunam numerare Athenienſes docuerit, hoc eſt ut ultimum menſis diem, (quo antiquitus Luna plane occultabatur; & tunc quoque in multis menſibus tricenariis eidem fiebat) ἕνην καὶ νέαν vocarent, & qui priores in menſe erant uſque ad 20, ἱσταμένους ſive conſiſtentes dies appellarent, reliquos deficientes; eo quod illic Luna accrevit, heic decrevit. Sane ſtatim poſt xv ſive plenilunium decreſcere incipit Luna. Debebat ergo Solon ſi accuratam illam rationem ſequi voluiſſet, inde deficientes dies numerare. Sed poſt xx diem, à quō ſubtractionem Solon incepit, manifeſto decreſcere apparet. φάσιν ergo ſequebatur, adeoque ex antiquorum mente qui φάσιν obſervabant, hæc dicta ſunt. Illa ergo anni ratio quam Solon apud Crœſum expoſuit, ipſius temporibus per Græciam in uſu erat. Sed vitium hujus Periodi brevi innotuit, ideoq; Græci Octaeterida ad uſum ſuum accommodarunt. Geminus: ταχέως δὲ ὑπὸ τῶν φαινομένων ἐλεγχομένης τῆς ἀληθείας, διὰ τὸ τὰς ἡμέρας καὶ τοὺς μῆνας μὴ συμφωνεῖν τῇ σελήνῃ, τοὺς δὲ ἐνιαυτοὺς μὴ στοιχεῖν τῷ ἡλίῳ, ὅθεν ἐζήτουν περίοδον ἥτις κατὰ μὲν τοὺς ἐνιαυτοὺς τῷ ἡλίῳ συμφωνήσει, κατὰ δὲ τοὺς μῆνας καὶ τὰς ἡμέρας τῇ σελήνῃ. Πρῶτον δὲ συνεστήσαντο τὴν περίοδον τῆς Ὀκταετηρίδος, ἥτις περιέχει μὲν μῆνας ἐνενηκονταέννεα, ἐν

εἷς

οἷς ἐμβόλιμοι γʹ, ἡμέραι δὲ δισχιλίαι ἐνακόσιαι εἴκοσι δύο, ἔτη δὲ ηʹ. Cum autem per apparentiam statim veritas deprehenderetur, eo quòd dies & menses non responderent Lunæ; anni vero non congruerent cum Sole: Hinc quærebant *Periodum quæ in annis responderet Soli, in mensibus vero & diebus Lunæ.* Primam *autem constituerunt Periodum Octaeteridis, quæ continet menses quidem 99, in quibus intercalares menses sunt tres, dies vero 2922, & annos octo.* Hanc Periodum ab Endymione primum monstratam ac Ludicris Olympiadum applicatam, Græci ad civilem usum sic accommodarunt, ut menses varie ordinando novam facerent: de quibus capite sequenti. Erat vero Octaeteris tot præcise dierum, quot octo Solis anni. Ideoque magis cum Solari quam Lunari motu conveniebat. Quippe Lunares totidem cum intercalaribus mensibus, accurate sunt dierum 2923, hor. 12, 41ʹ. 13ʺ. &c. Differentia diei unius & horarum 12. quæ in binis quidem Cyclis sive sexdecim annis tres dies constituit, quibus Lunæ rationes Solis vincunt. Quo vitio postea animadverso, addiderunt duobus Cyclis sive annis XVI dies III. Quia vero hi super rationes Solis abundabant, post annos 160. mensem unum detraxerunt. Ita vero totam Octaeterida ordinaverant, ut alterni menses pleni, alterni cavi essent, quod tamen cum Luna non convenit. Superflua namque sunt præter dies 29. & horas 12. etiam minuta 44ʹ.3ʺ. quæ in tribus annis dant integrum diem. Imo post XVII lunationes, statim dies unus ex minutiis hisce colligitur, facitq; menses duos plenos continuos. Alium ergo Cyclum introduxit Meto annorum XIX. qui tamen sex horis in Solis rationibus erravit. Nam cum ad summum in annis XIX dies saltem 4. & horæ 18 intercalandi sint: ille quinque solidos dies addidit. Quod à Calippo postea observatum, & emendatum fuit. Quamquam ne ille quidem cum Luna satis bene consentit. Quippe postea animadversum ab Hipparcho fuit Calippicam Periodum in annis 300. uno die à rationibus Lunæ aberrare. Sed istæ minutiæ ad Mathematicos pertinent. Quod vero civilem concernit usum, nescio an Calippica Periodus unquam admissa fuerit. Meto quidem suum Cyclum Enneadecaëtericum Athenis publicè dedicavit. Diodorus ad annum IV. Olympiadis LXXXVI. *Ἐν δὲ ταῖς Ἀθήναις Μέτων ὁ Παυσανίου μὲν υἱὸς δεδοξασμένος δὲ ἐν ἀστρολογίᾳ, ἐξέθηκε τὴν ὀνομαζομένην ἐννεακαιδεκαετηρίδα, τὴν ἀρχὴν ποιησάμενος ἀπὸ μηνὸς ἐν Ἀθήναις Σκιρροφοριῶνος τρισκαιδεκάτης. Athenis vero Meton Pausanii filius celebris Astrologus Enneadecaëterida proposuit, initiũ ipsius ducens à Scirrophorionis* XIII. An vero idem Calippus fecerit, mihi non constat. Metonicam quidem rationem Astronomi, qui post Metonem floruerunt, in civi-

tatibus proposuerunt; & juxta hanc de anni tempestatibus prædixerunt. Theo in Aratum. Οἱ δὲ κατὰ Μέτωνα Ἀστρονόμοι καὶ πίνακας ἐν ταῖς πόλεσιν ἔθηκαν περὶ τῶν τοῦ ἡλίου περιφορῶν τῶν ἐννεακαιδεκαετηρίδων, ὅτι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν τοῖος δὲ ἔσται χειμὼν καὶ τοῖον δὲ ἔαρ. *Qui vero post Metonem erant Astronomi tabulas in civitatibus posuerunt de decemnovennalibus Solis revolutionibus, quod quolibet anno talis esset hyems & tale ver.* Existimo tamē illos ita Metonico Cyclo fuisse usos, ut una Calippicam emendationem admitterent, qua quatuor Cyclis Metonicis unus dies detrahebatur. De cōstructione autē Cycli Metonici sive decemnovennalis, hæc habet Geminus. Παρετήρησαν ἐν τοῖς ιθ' ἔτεσι περιεχομένας ἡμέρας ἑξακισχιλίας ἐννακοσίας καὶ τεσσαράκοντα. μῆνας δὲ σλε' σὺν τοῖς ἐμβολίμοις. ἄγεται δὲ ἐν τοῖς ιθ' ἔτεσι μῆνες ἐμβόλιμοι ἑπτά· γίνεται ὁ ἐνιαυτὸς καθ' αὐτοὺς ἡμερῶν τξε' καὶ ε' ἐννεακαιδεκάτων· ἐν δὲ τοῖς σλε' μησὶ κοίλους ἔταξαν ρι', πλήρεις δὲ ρκε'· ὥστε μὴ ἀλλάξ ἕνα καὶ ἕνα κοῖλον καὶ πλήρη. ἀλλὰ καὶ β' ποτὲ κατὰ τὸ ἑξῆς πλήρεις. τοῦτο γὰρ ἡ φύσις ἐπὶ τῶν φαινομένων ἐπιδέχεται πρὸς τὸν τῆς σελήνης λόγον, ὅπερ ἐν τῇ ὀκταετηρίδι οὐκ ἐνῆν. *Observarunt in annis 19 contineri dies 6940, menses 235 cum intercalaribus mensibus. Aguntur autem in 19 annis menses intercalares septem: Annus igitur secundum eos fit dierum 365 $\frac{5}{19}$. in mensibus 235 cavos posuerunt 110, plenos vero 125. Itaque non agitur unus post alterum cavus & plenus, sed interdum quoque duo pleni continuantur: Hoc enim natura in apparentiis admittit, ad Lunæ rationes: quod in Octaeteride non inerat.* Postmodum explicat quomodo menses pleni & cavi ordinati sint. Finxerunt, inquit, Mathematici omnes hos 235 menses plenos esse, adeoque dierum 7050. Jam vero 110 menses debebant esse cavi sive dierum 29. Ergo 110 dies debebant toti summæ sive 7050 auferri. Quo facto remanebant dies 6940. Ut vero mensem diemque scirent, qui eximi debebat in cavo mense constituendo, diviserunt 6940 per 110, prodiit 63. Ergo post dies 63 unum diem eximebant. Unde ratio mensium hæc erat: primus & secundus pleni erant. In tertio mense quartus dies detrahebatur, & sic tertius saltem dierum 29 erat. Rursum post dies 63. unus dies demebatur, hoc est post 26 dies tertii mensis, & 30 quarti, & septem quinti, demebatur octavus quinti mensis: & sic quintus mensis dierum erat 29. Post undecim vero exemptiones non 64, sed 65 dies demebantur. Quippe 6940 per 110 divisa dant in quotiente 63 cum $\frac{10}{110}$ sive $\frac{1}{11}$. In undecim igitur exemptionibus dies abundat, qui propterea post 64 diem non post 63, erit auferendus. Petavius existimat hanc quidem rationem in calculo Mathematico locum habuisse, minime vero in mensibus illis, qui in vulgus propositi erant. Cui tamen verba Gemini refragari videntur. οὐδὲ γὰρ ἐξαιρέσιμος ἡ τριακὰς διὰ παντός, ἀλλ' ἡ διὰ

τῶν

τὴν ξγ' ἡμερῶν πίπτουσα ἐξαιρέσιμος λέγεται. *Neque semper trigesimus dies aufertur, sed is qui post 63 dies incidit.* In aliis intercalationibus tricesimus dies demebatur mensi, & 29 dicebatur ultimus; vel si τριακάδα numerarent, pro δεκάτῃ φθίνοντος dicebant ἐνάτῃ: heic vero non ita fiebat, sed quicunque post 63 dies esset is elidebatur. Et hanc mensium rationem, Astronomi etiam tum cum juxta Calippicam Methodū hunc Cyclum emendaverant, retinuerunt: ut Geminus ibidem testatur. Cum vero operosa admodum & intricata hæc ratio esset, videtur vulgus in sacris administrandis, ac jure dicundo, Octaeterides priores observasse; ita tamen ut post binas Octaeterides tres annos adjicerent. Adeoque Cyclus erat Metonicus & Enneadecaëtericus, mensium vero dispositio, & intercalatio plane Octaeterica Hæc ergo Cycli ratio erat. Volebant Græci omnes menses suos accuratissime & cum Sole & Luna convenire. Propter quod si minus convenirent, diem unum aut biduum addiderunt, vel etiam diem unum aut ad summum biduum detraxerunt. Quod de Siculis, omnibusq; Græcis, Cicero II. Actione in Verrem his verbis indicat. *Est Consuetudo Siculorum cæterorumque Græcorum, quod suos dies mensesque congruere volunt, cum Solis Lunæque ratione, ut nonnunquam si quid discrepent eximant, unum aliquem diem, aut summum biduum ex mense, quos illi ἐξαιρεσίμους dies nominant: item nonnunquam uno die longiorem mensem faciunt aut biduo.* Cum igitur Græci accuratissime juxta Solis Lunæque rationes menses agere vellent, scirentque inter omnes Cyclos proxime cum cœlo Enneadecaëteridem convenire, illam in usum adsumpserunt, non quidem pure Metonicam, sed à Calippo emendatam. Et cum Calippi ratio non satis accurata esset, etiam Hipparchi emendationem receperunt. Ideoque è Cyclo Metonico qui 6940 dierum erat, ejusque ultimo mense interdum, juxta emendationem Calippicam unum diem detrahebant, ut sic totus Cyclus dierum 6939 esset. Ad summum vero biduum demebant, idque juxta emendationem Hipparchi, ut sic totus Cyclus esset dierum 6938. Hoc est quod Cicero dicit, *aut summum biduum.* Quia vero una civilem rationem mensium retinere volebant, qua menses omnes præter intercalares, alternis pleni & cavi erant, ut menses & anni cum Luna in gratiam redirent, fecerunt nonnunquam mensem uno die aut biduo longiorem. Quod ita factum fuit. Anno octavo Cycli, cum Lunæ rationes uno die cum semisse Solis excederent, ad Lunæ assequendas, unum mensi ultimo diem adjecerunt; quia vero rursum octavus inde annus biduo toto à Luna deficeret, biduum adjecerunt. (pro quo antea triduum in

binis Octaeteridibus adjicere solebant, sed quia nunc unus priori Octaeteridi accesserat, ergo in posteriori saltem biduum addi debebat.) Hæc ergo totius Cycli Græcanici ratio fuisse videtur. Primo omnes menses erant alternis 29, alternis 30 dierum, per annos 19, hoc est menses præcise 114 pleni, & totidem cavi. Tum anno tertio, sexto, octavo, undecimo, decimoquarto, decimosexto, & decimonono mensis unus intercalabatur dierum 30. Præterea, cum octavo anno rationes Lunæ uno die tardiores erant, mensem intercalarē qui antea triginta dierum erat uno die majorem fecerunt. Et quia rursus decimosexto anno menses tales biduo à Luna aberrabant, illud addiderunt, mensemque intercalarem 32 dierum constituerunt. Idem 19 anno faciebant. Maxima quippe diei 31 pars transiverat antequam Syzygia media fieret. Ita primus Cyclus erat dierum 6940. Alter vero eadem ratione se habebat, nisi quod ultimo anni mensi dies unus detractus sit (Iam enim Cycli rationes, Lunæ, integro die excedebant.) Quod ipsum alternis in Cyclis factum fuit. Ubi autem propter neglectum scrupulorum, dies unus accreverat (quod Hipparchus in 16. Cyclis Metonicis contingere demonstravit) unum diem detraxerunt. Et cum Cyclo 16. ordinarius dies auferreretur, & alter extra ordinem, propter causam jam dictam: duo ergo dies tum demebantur. Atque ita Græci juxta Solem Lunamque menses exigebant, ut si quid discreparet, nonnumquam eximerent unum aliquem diem, aut ad summum biduum ex mense, item nonnunquam uno die longiorem facerent mensem aut biduo. Methodus ergo mensium & annorum Græcorum eadem fere est, quæ mensium Lunæ, in Octaeteride. Qui tamen & mediorum motuum calculo quam proxime conveniunt, sicut ex Ptolomæo patet. ibi namque Olympiadis XCII. anno II. Posideone & Scirrophorione Luna deficit, & rursum sequenti anno Posideone: quod de pleniluniis illorum mensium intelligi debet. Quamvis vero emendatiores annorum Cycli propositi essent, in usum tamen à vulgo sero sunt recepti, qui tricenariis mensibus utpote simplicioribus pertinacius adhærescebant. Atque ex horum mente loquitur Hippocrates. lib. περὶ σαρκῶν. ubi calculum ita instituit. Τὸ παιδίον ἑπτάμηνον γόνος γενόμενον λόγῳ γεγένηται, καὶ ζῇ, καὶ λόγον ἔχει τοιοῦτον καὶ ἀριθμὸν ἀτρεκέα εἰς τὰς ἑβδομάδας. Ὀκτάμηνον δὲ γενόμενον οὐδὲν βιοῖ πώποτε. ἐννέα δὲ μηνῶν, καὶ δέκα ἡμερέων γόνος γίνεται, καὶ ζῇ, καὶ ἔχει τὸν ἀριθμὸν ἀτρεκέα εἰς τὰς ἑβδομάδας. Τέσσαρες δεκάδες ἑβδομάδων ἡμέραι εἰσὶ διηκόσιαι ὀγδοήκοντα, ἐς δὲ τὴν δεκάδα τῶν ἑβδομάδων ἑβδομήκοντα ἡμέραι. Ἔχει δὲ καὶ τὸ ἑπτάμηνον γενόμενον τρεῖς δεκάδας ἑβδομάδων. ἐς δὲ τὴν δεκάδα ἑκάστην ἑβδο-

μήκον-

μήκοντα ἡμέραι. Τρεῖς δεκάδες δὲ ἑβδομάδων αἱ σύμπασαι δέκα καὶ διηκόσιαι. *Puer septimo mense natus certa ratione in lucem prodiit & vitalis est, cum is rationem & numerum exacte ad hebdomadas respondentem habeat. Octavo autem mense natus nullus unquam vixit. Novem autem mensium & dierum decem fœtus editur & vitalis est, numerumque ad hebdomadas exacte respondentem habet. Quatuor nempe decades hebdomadarum dies sunt ducenti & octoginta. Hebdomadarum autem decuriam dies septuaginta constituunt. At septimo mense editus partus, tres hebdomadarum decurias obtinet, & ad unamquamque decuriam dies concurrunt septuaginta. Tres itaque hebdomadarum decuriæ in totum dies ducentos & decem faciunt.* Causam dat Hippocrates cur octavo mense nati non vivant; septimo autem & decimo die post nonum mensem nati recte valeant: quia illic septenarius non expletur, heic expletur. Septem namque menses sunt dies 210, qui hebdomades dant 30: menses vero novem cum diebus decem faciunt dies 280. qui per septem divisi dant hebdomades 40. At si ablatis decem diebus, residuos 270, in novem menses; aut 210, in septem diviseris: habebit quilibet mensis dies 30. Hæc ex usu vulgi dicta sunt. Ipse enim Hippocrates satis noverat, 29 diebus & dimidio &c. mensem absolvi. Lib. de partu septimestri: Ἑξήκοντα μιῆς δεούσης ἡμέρης ἐγγύτατα δύο μῆνες ἐκπληοῦνται. *Sexaginta namque diebus uno dempto fere duo menses constant.* Si quinquaginta novem dies fere duos menses faciunt, ergo 29. dies cum horis 12. fere mensem constituunt. Sed non à vulgo solum, sed etiam ab iis qui sacris præerant, Athenis peccatum fuit, etiam postquam Meto suum Cyclum ediderat: quod Aristophanes ἐν Νεφέλαις notat, ubi Lunam ita introducit querentem.

Ἄλλα τ' εὖ δρᾷν φησὶν ὑμᾶς, κοὐκ ἄγειν τὰς ἡμέρας
Οὐδὲν ὀρθῶς, ἀλλ' ἄνω τε καὶ κάτω κυδοιδοπᾶν.
Alia vos bene facere (Luna) dicit, at nullos recte dies
Transigere, sed hic sursum atque deorsum confundere omnia.

Vide locum integrum. Videntur ergo Athenienses & tunc annum 360 dierum usurpasse. Nam & postea temporibus Aristotelis & Demetrii Phalerei illa mensium atque annorum ratio in usu erat. Is enim lib. vi. hist. Anim. cap. xx. quintam partem anni 72 dies vocat. Ἔνιαι δὲ τῶν κυνῶν τίκτουσι πέμπτον μέρος ἐνιαυτοῦ, τουτέστιν ἡμέρας ἑβδομήκοντα καὶ δύο. *Quædam canum quinta parte anni uterum gerunt, hoc est diebus 72.* Et rursum: Κύει δὲ ἡ μὲν Λακωνικὴ ἕκτον μέρος τοῦ ἐνιαυτοῦ, τοῦτο δ' ἐστιν ἡμέραι ἑξήκοντα. *Laconica uterum gerit sexta parte anni, hoc est sexaginta diebus.* Si 72 dies dant quintam, & sexaginta sextam partem anni, ergo integer annus erit dierum 360 præcise. Scio quid responderi solet de anno Solari:

 at id

At id plane frivolum eſt. Annus namque Solaris, juxta Athenienſes, habebat dies 365, cujus quinta pars 73 dies, non 72. De Demetrio Phalereo, qui poſt Ariſtotelem floruit, hæc notat Plinius. Lib. XXXIV. cap. VI. *Nullique arbitror plures ſtatuas dicatas, quam Phalereo Demetrio Athenis, ſiquidem* CCCLX *ſtatuere, quas mox laceraverunt nondum anno hunc numerum dierum excedente.* Idem refert Laertius in ejus vita, καὶ εἰκόνων ἠξιώθη χαλκῶν ἑξήκοντα πρὸς ταῖς τριακοσίαις. *Et ſtatuis æreis honoratus eſt trecentis ſexaginta.* At doctiſſimus Togatorum Varro idemque antiquitatis Græcorum peritiſſimus, apud Nonium dicit, Demetrium Phalereum tot ſtatuas adeptum fuiſſe quot luces habet annus abſolutus.

Hic Demetrius æneus tot aptu eſt
Quot lucis habet annus abſolutus.

Ergo & tum, poſt tot emendationes ac Cyclos, menſes tricenarii annique 360 dierum apud Athenienſes in uſu erant. Et tandem cum jam menſes Solares ſive Julianos receperant, hanc anni rationem pro lunari habebant, juxta quam ſacra ſua celebrarunt. Neq; enim ſacra Græcorum rite niſi juxta Lunam celebrari poterant, ut ex oraculo cujus Geminus meminit manifeſtum eſt. Inter alia vero Græcorum ſacra etiam Leontica erant, de quibus ita Porphyrius in antro Nymp. ὅταν μὲν οὖν τοῖς τὰ Λεοντικὰ μυουμένοις εἰς τὰς χεῖρας ἀνθ' ὕδατος μέλι νίψασθαι ἐγχέωσι, καθαρὰς ἔχειν τὰς χεῖρας παραγγέλλουσιν ἀπὸ παντὸς λυπηροῦ καὶ βλαπτικοῦ καὶ μυσαροῦ. *Quando igitur iis qui Leonticis ſacris initiati ſunt, mel pro aqua affundunt, ut lavent, indicant illos debere manus ab omni pravitate, noxa & immunditie puros habere.* Hæc ergo feſtivitas una ex maximè ſolemnibus Græciæ erat, quæ nunquam recte juxta oraculum & Græcorum opinionem celebrari poterat, niſi juxta Lunam. Inter utramque ergo feſtivitatem annus præciſe Lunaris intercedere debebat, ſi non accuratus, at talis ſaltem qui à Græcis pro Lunari haberetur. Sunt vero duæ inſcriptiones Antiquæ quæ tempus Leonticorum celebratorum indicant. Prior convenit anno Per. Jul. 5071, Chriſti 358. altera anno ſequenti, ſicut ex Coſſ. nominibus Datiani & Cerealis, qui anno 358 Chriſti, Euſebii & Hippatii, (vel ut Quadratarius vocat, Lippatii) qui anno 359 conveniunt, patet.

DATIANO. ET. CEREALE. CONS.
NONIUS. VICTOR. OLYMPIUS. V.C.P.P.
ET. AURELIUS. VICTOR. AUGENTIUS. V. C.
P. TRADIDERUNT. LEONTICA
XVI. KAL. APRIL. FELIC.

Alia

Alia.

EUSEBIO. LIPPATIO. CONS
NONIUS. VICTOR. OLYMPIUS. V.C.ET
AURELIUS. VICTOR. AUGENTIUS. V.C.
P. TRADIDERUNT. LEONTICA. IV. IDUS
MARTIAS. FEL

Inter XVI. Cal. Aprilis hoc est XVII. Martii & IV. Idus Martias, sive XII Martii, dies sunt præcise 360: qui pro anno Lunari istis temporibus habitus fuerit. Ex his omnibus manifestum est, populum Atheniensem, quamvis accuratior mensium lunarium ratio publicè proposita esset, pertinaciter tamen antiquæ illi adhæsisse, quæ omnes menses tricenarios ipsumque annum CCCLX dierum constitueret. Equidem non me latet, plurimos Athenis doctos homines fuisse, qui rectius noverant: sed apud varium illud ac multorum capitum animal plebem parum proficiebant. Athenis enim id verè obtinuit, quod de Græcis olim respondebat Anacharsis, ὅτι λέγουσι μὲν οἱ σοφοὶ παρ' Ἕλλησι, κρίνουσι δ' οἱ ἀμαθεῖς. *Apud Græcos quidem Sapientes proponunt, judicant vero stulti & indocti.* Ideoque in aliis Græciæ locis, ubi vel Monarchia obtinebat, sicut in Macedonia, vel Aristocratia, sicut in aliis Græciæ civitatibus, celerius emendatio anni admissa fuit. Equidē conantur Viri undiquaq; Doctissimi totam hanc de anno æquabili Atheniensiū opinionē variis argumentis destruere. Plurima enim scriptorū testimonia adducunt, ex quibus diversam anni rationem demonstrare satagunt. Leo namque Allatius cap. XI. de mensura temporum plurima, tam ex antiquis, quam recentioribus scriptoribus, loca congessit, ex quibus demonstrare conatur, Græcos mensibus alternis plenis & cavis fuisse usos. Sed si duo observaveris, totus iste apparatus concidit. Primum, plures in Græcia fuisse Respublicas, quæ non omnes eadem anni ratione sunt usæ: eas quidem ubi aut Docti Imperabant, aut Imperatores Docti erant Doctorumve consilia sequebantur, veram & emendatam Lunaris anni rationem habuisse; ubi verò Docti proponebant, vulgus & indocti judicabant, aliam rationem fuisse. Alterū, diversissima tempora esse distinguenda. Quæ enim temporibus Galeni conveniunt, ea ad tempora Solonis accommodari non possunt. Maxima enim in anno mutatio interea fieri poterat, & vere etiam facta fuit. Equidem semper Græcis propositum fuit, annos mensesque juxta Solis & Lunæ motus agere. Sed antiqui cum existimarent 30 diebus unam lunationem absolvi, istud tempus mensem vocarunt.

runt. Atque ex talibus XII. mensibus annum CCCLX dierum construxerunt. Sed brevi post Astrologi deprehenderunt, mensem non plus habere quam dies XXIX & semissem, quod Doctis statim persuasum fuit, qui etiam, cum accuratius loquerentur aut scriberent, eam rationem sequebantur: sicut ex Hippocrate, Thucydide aliisque scriptoribus patet. Indocti vero illud percipere, vel non poterant, vel non volebant. Unde Galenus lib. III. de diebus decretoriis cap. II. Ὅτι δὲ ὁ μηνιαῖος χρόνος οὐ πλέως τριάκοντά ἐστιν ἡμερῶν ἀλλ' ἡμισύ που, καὶ τούτῳ προσδεῖ μιᾶς ἡμέρας, Ἱππάρχῳ μὲν ἀποδέδεικται δι' ἑνὸς ὅλου βιβλίου. γινώσκεται δὲ ἤδη καὶ τοῖς ἰδιώταις σχεδὸν ἅπασιν ὡς τῶν μηνῶν ὁ μὲν ἕτερος ὁ μὲν κοῖλος ὑπ' αὐτῶν ὀνομαζόμενος ἐννέα καὶ εἴκοσι ἡμερῶν ἐστιν, ὁ δὲ ἕτερος ὁ πλήρης τριάκοντα. Vides de suis temporibus, quibus jam tot seculis menses pleni & cavi in usu fuerant, Galenum minus audacter loqui. *Et nunc fere omnibus Idiotis constat mensem cavum* XXIX *dierum esse*. Dicit *nunc*, nempe post Hipparchi scriptum editum, in quo hoc demonstraverat; & *fere*, neque ergo omnes Idiotæ tum quidem illud noverant. Quid ergo de prioribus Idiotis censes, qui tot seculis ante Galenum, imo & ipsum Hipparchum vixerant? credisne illos statim admisisse? Imo si tu illud tibi persuades, ego tamen illud negabo & pernegabo, idq; ea de causa, quia optimi Scriptores testantur, Cleobuli Solonis, Hippocratis, Aristotelis & Demetrii Phalerei temporibus annum CCCLX dierum in usu fuisse. Nec ullus scriptor adduci potest, qui hæc negabit. Sed Leo Allatius existimat ista de anno Solari explicari debere. Græci enim juxta Lunam menses, juxta Solem annos agebant. Quod ita explicat cap. XIV. *Fuit ergo Græcorum annus duodecim mensium, qui menses Lunares erant, dierum tamen* CCCLXV. *cum quadrante. Hoc cum multi non intellexissent, in varias absurdasque sententias versi sunt*. Et postea statim: *Mensibus quippe Lunaribus in civilibus negociis utebantur, anno Solari.* Nemo sane est, ex iis saltem, qui aliquid his in literis norunt, cui non cognitum sit Græcos anni Solaris rationem habuisse. Sed vero annum Civilem Græcorum Solarem fuisse, id ego nunquam percipere possum. Dubium non est quin prima Hecatombæonis annus Atheniensium civilis semper cœperit. At constituatur Neomenia Hecatombæonis anno quodam in XVI. Iulii, ergo inde annus Atticus incepit. Anno sequenti Neomenia Hecatombæonis incidet in V. Iulii: quo Hecatombæon rursum cœpit, sed annus ex mente Allatii adhuc dies XI, durat. ergo XII. Hecatombæonis incipiet annus alter, & rursum seqenti anno XXIII. Ergo annus Atheniensium civilis, qui à prima Hecatombæonis semper incipiebat, à XII. & XXIII.

inci-

incipiet, quæ sunt ἀνύστατα. Sed audiamus Geminum, optimum scriptorem, qui ita de Octaeteride Græcorum disputat. Ἐπεὶ οὖν ἐν τῷ ἐνιαυτῷ παρὰ τὸν ἥλιον ὑστεροῦμεν ἡμέρας ιά δ', φανερὸν ὅτι ἐν τοῖς η' ἔτεσιν ὑστερήσομεν παρὰ τὸν ἥλιον ἡμέρας ἐνενήκοντα, αἵτινες εἰσὶ μῆνες γ'. δι' ἣν αἰτίαν καθ' ἑκάστην ὀκταετηρίδα τρεῖς ἄγονται μῆνες ἐμβόλιμοι ἵνα τὸ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν γινόμενον ἔλλειμμα πρὸς τὸν ἥλιον ἀναπληρωθῇ, καὶ πάλιν ἐξ ἀρχῆς διελθόντων τῶν η' ἐτῶν συμφωνῶσιν αἱ ἑορταὶ πρὸς τὰς αὐτὰς ὥρας. *Cum ergo in anno deficiamus à Sole diebus 11. & ¼ manifestum est, quod in octo annis deficiemus diebus 90. propter quod octo annis tres menses aguntur intercalares, ut defectus qui fit singulis annis à Sole repleatur, & rursus à principio cum octo anni fuerint elapsi, festa congruant ad easdem anni tempestates.* Quid clarius dici poterat? De anno Civili loquitur, quod manifestum est. At dicit illum uno in anno deficere à Sole diebus 11. ergo Lunaris erat, non Solaris. Sed in re manifesta pluribus verbis, uti supervacaneum est. Ex Platone & Hippocrate locum unum aut alterum adducit, qui annum à Sole dependere dicunt, & annum 365 diebus absolvi, quod nemo negat. Nec tamen ideo de civili anno loquuntur. Manifestum ergo est Græcos semper annos Lunares observasse, si non accuratos, at tales saltem, quales pro Lunaribus habebant. Unde exceptio illa de annis Solaribus tota corruit. Hippocrates lib. de carnibus ad finem. Ἔστι δὲ καὶ ἄλλο τεκμήριον τοὺς ὀδόντας οἱ παῖδες ἑπτὰ ἐτέων διελθόντων πληροῦσιν καὶ ἐν ἑπτὰ ἔτεσιν. Ἔστι δὲ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ ἀτρεκέως ἑβδομάδες ἑξήκοντα καὶ τριηκόσιαι. *Est vero & aliud argumentum. Pueri sæpius, septimo anno exacto, dentes explent. Et septem annos pleno & justo numero exacte trecenta & sexaginta hebdomades conficiunt.* Septem anni solares faciunt hebdomades trecentas sexaginta quinque, at vero Hippocrati saltem faciunt trecentas sexaginta. Differentia in quovis anno dierum quinque. Ergo annus vulgaris ac civilis tot dierum tunc erat. Quid clarius dici poterat? Sanè cui hæc non sufficiunt, illi nihil satis esse potest. Plura quidem de his dici & poterant & debebant; sed cum hic discursus propter aliud institutus sit, vereor ne nimius sim. Et forte alibi volente Deo melius & commodius hæc tractari possunt. Certum ergo est vulgus Græcorum ac præcipue Atheniensium sero accuratam anni rationem recepisse, ac diutissime æqualibus mensibus adhæsisse. Etiam tum, cum accurata illa, in sacris, ac jure dicundo demum recepta fuerat, (quod Ulpianus in præfatione κατ' Ἀνδροτίωνος indicat) suum tamen institutum longo tempore retinuit. Nec tamen illum intercalandi morem posterioribus temporibus mansisse arbitror, cujus Solon meminit. Qualem tamen habuerint, ego me ingenue nescire

 fateor

fateor. Nam Tetraeterides Scaligeri, cæteraque ejus generis maximam partem conficta esse videntur. Pollicitus quidem alicubi est summus Vir Claudius Salmasius aliquid se de his editurum, nondum tamen in lucem emissum est, quod ego sciam. Potuissent quidem illi, juxta simplicissimam rationem, Cyclo annorum 40 uti, qui quidem ex binis Cyclis minoribus conficeretur, uno annorum 23, altero 17, quorum hic ab anno bissextili inciperet, ac finiretur, ille ab anno primo post bissextilem. Et in primo quidem Cyclo quater intercalaretur mensis integer xxx dierum, anno nempe 6. 12. 18. & 23. in altero autem ter, anno nempe 6. 12. 17. & tum Cyclus absolutus esset. Aut simplicius sine Cyclo. Cum anni Cardinem sive solstitium haberent cognitum, à quo Athenienses annos suos inchoabant, observare poterant, si annus xxx dies aut ultra ante Solstitium terminaretur, & tum mensem adjicere. Sane quamvis nihil temere asseverare velim, hæc tamen ratio certissima videtur. Quivis tamen suo sensu gaudeat.

Ἑκατομβαιών
Μεταγειτνιών
Βοηδρομιών
Μαιμακτηριών
Πυανεψιών
Ποσιδεών
Γαμηλιών
Ἀνθεστηριών
Ἐλαφηβολιών
Μουνυχιών
Θαργηλιών
Σκιρροφοριών

Menses Atheniensium quod attinet sunt illi, sicut in anno lunari fieri amat, numero xii. quorum nomina in laterculo adjuncto habes. Equidem non me fugit de ordine à doctis Viris disputari. Sed mihi Petavii opinio maxime probabilis videtur. Qui vero probationes atque argumenta, quæ utrinque adducuntur, examinare volet, legat Theodorum Gazam lib. de Mensibus cap. iii. seq. Jos. Scaligerum lib. 1. de emend. temp. tit. de mensibus Atticis, Dionys. Petavium Doct. Temp. lib. 1. cap. x. xi. & in Auctar. lib. vi. cap. ii. seq. Cl. Salmasium Plin. Exerc. pag. 113. 181. &c. Ordinem dierum sive numerationem in mense quod concernit, priores decem dies juxta ordinem numerabantur, & ita appellabantur, *primus instantis*, *secundus instantis*, &c. reliqui, *primus post decimum*, *secundus post decimum*, usque ad vicesimum sive εἰκάς. Tum inverso ordine, sicut apud Romanos in Calendis, ita etiam numerabatur *decimus deficientis*, *nonus deficientis*, & sic ad ultimum diem, qui ἕνη καὶ νέα *vetus & nova* dictus fuit. Scholiastes Aristophanis in Nubibus: Οὕτως γὰρ ἠρίθμουν οἱ Ἀθηναῖοι τὰς μὲν ἀπὸ Νουμηνίας, ὁμοίως ἡμῖν λέγοντες, πρώτη ἱσταμένου, δευτέρα ἱσταμένου, μέχρι τῆς δεκάτης. Μεθ' ἣν πρώτην ἐπὶ δέκα, εἶτα δευτέραν ἐπὶ δέκα καὶ ἑξῆς ἄχρι εἰκοστῆς, ἣ αὐτὴ καὶ Εἰκάς. Μεθ' ἣν ἑνδεκάτην φθίνοντος ἢ δεκάτην ἢ ἐνάτην ἢ ὀγδόην, ὡς ἔτυχεν ἔχειν ὁ Μήν. καὶ ἑξῆς

αἰα-

ἀναλύοντες μέχρι δευτέρας. Οὕτω γὰρ οἱ Ἀθηναῖοι ἠρίθμουν οὐ προστιθέντες ἀλλ' ἀφαιροῦντες καὶ ἀναλύοντες μέχρι τριακάδος, Σόλωνος ἡγησαμένου τὰ τῆς Σελήνης φῶτα οὕτω μειούμενα. Μετὰ δὲ δευτέραν ἀκτέον ἕνην, τουτέστι τὴν τελευταίαν τοῦ Μηνὸς ἡμέραν. *Sic verò numerarunt Athenienses, eos quidem, qui à Neomenia usque ad decimum sunt, dies vocantes primam mensis instantis, secundam instantis. Post decimum reliquos vocabant primam post decimam, secundam post decimam, & sic usque ad vicesimam, quam icada vocarunt. Post illam prima erat undecima, aut decima, aut nona aut octava mensis desinentis, pro quantitate mensis, & sic decrescebat numerus usque ad secundam. Sic enim Athenienses numerant non apponentes, sed detrahentes, idque quia Solon existimavit lumen lunæ ita imminui, usque ad* XXX, *quam Veterem & Novam vocant, quæ est mensis ultima.* Erant vero omnes hi menses in anno populari, ut & antiquo XXX dierum: in Lunari autem civili alterni dierum XXX, alterini XXIX. Epocham Attici anni quod concernit, videntur Athenienses antiquitus à Posideone sive bruma annum inchoasse. Quippe Posideon intercalaris erat; & si quando ὡρέων ἑνέκεν, ut ait Solon, annum XIII. mensium faciebant, Posideon erat geminus, quorum prior ad differentiam πρότερος vocabatur, alter δεύτερος. Patet hoc ex Ptolomæo; qui lib. IV. cap. ult. refert Lunam defecisse anno Nabonnazaru CCCLXVII, Θὼθ ιϛ', ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐάνδρου, μηνὸς Ποσειδεῶνος προτέρου. *Thot* XVI. *Prætore Athenis Evandro, mense Posideone priore.* Verisimile autem est, inde illos annum inchoasse, ubi mensis intercalaris esset. Naturæ enim maxime convenit in fine anni intercalare. Postea vero à Solstitio æstivo annum Athenienses inchoabant: Simplicius lib. V. commen. in Phys. Arist. Ἃς δὲ ἡμεῖς τιθέμεθα ἀρχὰς ἐνιαυτοῦ μὲν περὶ τροπὰς ὡς Ἀθηναῖοι ἢ μετοπωρινὰς ὡς περὶ τὴν νῦν καλουμένην Ἀσίαν, ἢ περὶ χειμερινὰς ὡς Ῥωμαῖοι, ἢ περὶ ἐαρινὰς ὡς Ἄραβες καὶ Δαμασκηνοί. *Quæ vero à nobis statuuntur initia, anni quidem circa solstitium æstivum apud Athenienses, vel circa æquinoctium autumnale, velut in Asia modo sic dicta, vel circa brumam quod Romanis, vel denique ineunte vere, quod Arabibus & Damascenis in usu est.* Atque inde Meto annum suum exorsus est, teste Festo Avieno in Arateis;

Sed primæva Meton exordia sumpsit ab anno
Torreret rutilo cum Phœbus sidere Cancrum.

Solstititium igitur æstivum terminus erat, quem Plenilunium Hecatombæonis sive primi mensis Attici nunquam anticipare debebat. Quod enim Scaliger affirmat Neomoniam Hecatombæonis ante Solstitium nunquam incidisse, id ex Ptolomæo refutatur, ut Petavio lib. I. Doct. temp. cap. XII. demonstratum est. Quippe anno XLVII

 Perio-

Periodi Calippicæ, qui eſt P. Jul. 4431. Athyr xxix. Anni Nabonnaſſ. ccccLxv, confertur à Ptolomæo lib. vii. cap. iii. cum Antheſterionis viii. Primus ergo dies Antheſterionis convenit cum xxii. Athyr. qui illo anno erat xxii Januarii Juliani. Si ergo Neomenia Antheſterionis incidit in xxii. Januarii, ergo Hecatombæon anni ſequentis inibit à xix Junii Juliani vii dies ante τροπὰς. Neq; enim verum eſt, quod Scaliger affirmat, Calippum pro Poſideone intercalaſſe Scirrhophorionem, quod exinde probare ſatagit, quia inter Neomeniam Antheſterionis ſive xxii. Januarii & Pyanepſionis anni ſequentis xLviii Calippici, quæ convenit cum xv Octobris, intercedant dies 266. h. e. menſes Lunares ix. Sed fallitur quod in Menſiũ Atticorum Catalogo Pyanepſionem Mæmacterioni præmittat, quod Petavio l. 1. Doct. Temp. c. x. & xi. & lib. vi. Auctarii c. 3. & 4. demonſtratũ eſt. Satis igitur conſtat, id unũ in civili ac Lunari Athenienſium anno fuiſſe obſervatum, ne Plenilunium Hecatombęonis Solſtitium anteverteret. Sed de Solſtitio magna nunc oritur cõtroverſia. Quæritur enim quis dies in anno Juliano ab Athenienſibus pro Solſtitiali ſit habitus? Etenim in cardinibus anni conſtituendis, mira apud antiquos diverſitas occurrit. Alii enim in duodecimis ſignorum partibus Solſtitia & æquinoctia fieri putarunt alii in octavis, nonnulli in ſextis, quartis, ſecundis, & deniq; Aſtrologi accuratiores in primis. Hujus diverſitatis hæc cauſa fuiſſe videtur. Ægyptii ut Firmicus ait primi mortalium cœlum in duodecim æquales partes diviſerunt. In clepſydram namq; tantum aquæ indiderunt, quantum uno cœli circumactu deſtillaret. Hanc in duodecim partes diviſerunt; & juxta hujus fluxum, Univerſum. Obſervabant namque ſtellam quandam notabilem ac ſplendidam, qua oriente aquam fluere permiſerunt: quæ ubi defluxiſſet, aliam lucidam notabant, quæ rurſum Horizontem tangeret: & rurſum aliam: uſquedum cœlum univerſum in duodecim æquales partes fuit diſtributum. Partes has eo quod certis quibusdam aſteriſmis notabantur ſigna vocabant, quorum quodlibet in partes æquales triginta diviſerunt. Animadverſum inde fuit Solem, circa medietatem duorum ex his ſignorum, æqualem, circa medietatem vero aliorum duorum, nunc maximum, nunc minimum diem facere. In mediis ergo ſignis hoc eſt xv aut xvi gradibus, æquinoctia & Solſtitia contingere proditum fuit. Sed cum Sphæra octava ab occaſu verſus ortum ſenſim tendat, ac 72 annis gradum unum abſolvat, factum fuit, ut cardines qui antea xv. partibus convenerant, in xii hærerent, & poſtea in viii, vi. iv. ii. & denique in primis. Præterea, cum Aſtrologi animadverte-

verterent signa, quæ circa Zodiacum constituerant, non in æquales partes Zodiacum distinguere, sed quædam totum suum locum partemque alterius occupare, quædam vix dimidio spacio æqualia esse: Zodiacum in partes æquales duodecim distribuerunt, quę etiam ζώδια vocarunt. Geminus cap. 1. Διχῶς δὲ λέγεται ζώδιον· καθ' ἕνα μὲν τρόπον τὸ δωδεκατημόριον τοῦ ζωδιακοῦ κύκλου ὅ ἐστι διάστημά τι τοπικὸν ἢ ἄστροις ἢ σημείοις ἀφοριζόμενον· καθ' ἕτερον δὲ τὸ ἐκ τῶν ἀστέρων εἰδωλοποιούμενον κατὰ τὴν ὁμοιότητα καὶ τὴν θέσιν τῶν ἀστέρων. Τὰ μὲν οὖν δωδεκατημόρια ἴσα ἐστὶ κατὰ τὸ μέγεθος. διῄρηται γὰρ ὁ τῶν ζωδίων κύκλος εἰς ιβ' μέρη ἴσα. τὰ δὲ κατηστερισμένα ζώδια οὔτε ἴσα ἐστὶ κατὰ τὸ μέγεθος, οὔτε ἐξ ἴσων ἀστέρων συνέστηκεν, οὔτε πάντα ἐκπληροῖ τοὺς ἰδίους τόπους τῶν δωδεκατημορίων, ἀλλ' ἃ μὲν ἐλλείπει, καθάπερ ὁ Καρκῖνος, μικρὸν δέ τινα ἐπέχει τοῦ ἰδίου τόπου, ἃ δὲ ὑπερπίπτει, καὶ μέρη τινὰ τῶν προηγουμένων καὶ τῶν ἑπομένων ζωδίων ἐπιλαμβάνει, καθάπερ ὁ Λέων. *Dicitur signum duobus modis: uno secundum quem est duodecima pars Zodiaci: quæ est intervallum quoddam locale, quod vel stellis vel punctis determinatur: altero secundum quem est constellatio quædam ex pluribus stellis composita, secundum similitudinem & situm stellarum. Dodecatemoria igitur, quoad magnitudinem inter se sunt æqualia, eo quod Zodiacus in duodecim partes æquales est divisus: at signa, quæ ex fixis stellis sunt composita, neque inter se sunt æqualia, quoad magnitudinem, neque ex æqualibus stellis sunt composita, neque explent propria spatia dodecatemoriorum, sed quædam ab hujusmodi expletione deficiunt, ut cancer, (parvum enim spacium sui proprii loci occupat) quædam vero ultra sua propria loca extenduntur, & partes quasdam præcedentium & sequentium signorum occupant, ut Leo.* Horum ergo hæc differentia est, quod priora sive stellata signa semper in consequentia procedant: posteriora vero semper in eodem cœli loco maneant, & fixa sint. Et in primo quidem gradu fixi hujus arietis, semper vernum æquinoctium contingit, sicut in primo cancri solstitium, & rursum æquinoctium initio Libræ, & bruma initio Capricorni. Quamvis igitur asterismus arietis ab æquinoctiali puncto integris 27 gradibus distet: recte tamen Mathematici dicunt, initio arietis æquinoctium vernum contingere. Nam & Hipparchi temporibus arietis asterismus sive Signum tres ab æquinoctiali sectione gradus in consequentia progressum fecerat: & tamen initio Arietis æquinoctium fieri recte prodidit. Hanc differentiam cum alii non satis perciperent, omnia confuderunt. Nam cum audirent, Solstitiali, aut æquinoctiali die Solem primum Arietis aut Cancri gradum occupare, Solstitiaque & æquinoctia in vin signorum partibus confici, existimarunt id de iisdem signis esse intelligendum; nec inter fixa signa & asterismos distinxerunt. Quo ergo die audiverant Solem primum

Cancri occupare, illi dies VII addiderunt, eo quod scirent solem quovis die integrum fere gradum conficere, diemque octavum Solstitium aut æquinoctium constituerunt. Sic ergo cum temporibus Herculis Alcumenæ (qui 442 ante Iphitum annis, hoc est Per. Jul. 3496. Olympicum certamen celebraverat, ut vetus apud Clementem Chronologus lib. I. Strom. testatur) in Ægypto observaverant, priorem lucidissimarum in cancro stellarum asellum nempe boreum, octo ab intersectione solstitiali gradibus distare; prodiderunt in octava cancri parte solstitium contingere. Ad annum namque P. Jul. 3496. Asellus boreus (cujus longitudo ad annum Christi completum 1600 à Tychone nostro constituta fuit in 1 grad. 56′ Leonis) erat in 23 grad. 28′ Geminorum. Et cum, ut Firmicus testatur, Ægyptii juxta lucidissimas stellas signa in cœlo ordinaverint, nullæque in toto signo Cancri asellis sint lucidiores, (omnes enim 6. aut 5. ad summum magnitudinis sunt: aselli vero quartæ) verisimile est Ægyptios à priori harum Cancri signum inchoasse. Unde & in octavam signi hujus partem τροπαὶ incidebant. Id cum Græci ab Ægyptiis acceperant, tenacissime id ipsum retinebant. Et quanquam aselli post quingentos & plus annos in ipsa intersectione hærebant, hi tamen, stellarum motu nondũ cognito, de aliis stellis antiquos locutos fuisse rati, ab iis Cancri signum auspicabantur, quæ octo ab intersectione gradibus distarent. De Eudoxo & Metone testatur Columella lib. IX. cap. XIV. eos in octavis partibus signorum cardines constituisse. *Nec me fallit* inquit *Hipparchi ratio, quæ docet solstitia & æquinoctia, non octavis, sed primis partibus signorum confici. Verum in hac ruris disciplina sequor nunc Eudoxi & Metonis antiquorumque fastos Astrologorum; qui sunt aptati publicis sacrificiis, quia & notior est ista vetus agricolis concepta opinio.* Sane nec Meto nec Eudoxus cardines in octavis partibus constituerunt. Meto namque cum Euctemone observarunt Solstitium anno IV. Olympiadis LXXXVI Apseude Athenis Prætore, Phamenoth XXI. hoc est in anno Nabonnassari CCCXVI Junii 27. ut Diodorus & Ptolomæus testantur. Quo etiam die juxta Tabulas Prutenicas primum cancri ingressus fuit. Contigit namque Solstitium 27 Junii, hora post med. noctem 8.34. Vide Buntingum ad hunc annum. Ergo Metoni & Euctemoni Solstitium non in octava, sed prima signi parte contigit. Quod ipsum ex Gemino patet. Apud illum namque in primis Libræ & Capricorni partibus Euctemoni æquinoctium autumnale & Solstitium hybernum perficiuntur. Contra Eudoxo apud eundem, neque in primis, neque in octavis partibus cardines constituuntur, sed vel

vel in quartis, vel in ſextis. Ad quartum namque diem Capricorni hæc notat Geminus. *Εὐδόξῳ τροπαὶ χειμεριναί, Eudoxo converſiones hybernæ*, & rurſum ad 6 diem Arietis. *Εὐδόξῳ ἰσημερία. Eudoxo æquinoctium.* Quod ergo de Hipparcho refert Columella, ipſum docuiſſe, ſolſtitia in primis ſignorum partibus confici, non ita accipiendum quaſi illud ipſum reliqui Aſtrologi non fecerint, cum id ex ipſo Hipparcho, imo & ipſius Metonis ac Euctemonis obſervatione refutetur; ſed quod hic primus id ſcripto demonſtraverit, & vulgo iſtud ita eſſe perſuaſerit. Sane quamvis Meto in ſua Enneadecaëteride verum Solſtitium, quod optime haberet cognitũ, ſecutus ſit: populare tamen etiam poſt ipſius emendationẽ obſervatũ fuit. Erat vero populare ac vulgare ſolſtitium VIII dies Julii. Nam cum paulo ante Iphiti ſeculum Græci ab Ægyptiis aliisve ſapientib⁹ acceperant, circa diem qui in anno ipſorum reſponderet I Julii Juliani proleptici, ſolem primam cancri partem tenere, (quod etiam de fixo cancri ſigno verũ erat) illi de aſteriſmo Cancri id explicantes, in cujus octava parte Solſtitium contingere audiverant, VIII. poſt die ſolſtitiũ fieri prodiderunt. Et cum motus octavæ ſphæræ ac præceſſionis æquinoctiorum ignari eſſent; exiſtimabant illud ad omnia tempora pertinere. Cum igitur Iphitus brevi poſtea Olympicum certamen diu intermiſſum reſtauraret, quod ex antiquorum placitis primo poſt Solſtitium plenilunio celebrandum eſſe acceperat, VIII Julii terminum anni ac Certaminum Olympicorum conſtituit, ante quem nunquam celebrari poterant. Et hanc ob rem VIII Julii à Græcis civitatibus pro Solſtitio ac termino anni diutiſſime habitus fuit, etiam poſt tempora Metonis, quod ex Ptolomæo patet. Is enim lib. IV. ex Hipparcho tres Ecclipſes lunares recitat, quarum una contigit Anno Nabonaſſari CCCLVII. Thoth 16. Ἄρχοντος Ἀθήνησιν Εὐάνδρου, μηνὸς Ποσειδεῶνος προτέρου. Non dubium eſt, quin Plenilunium, ſive XV. menſis heic indicet, quandoquidem in omnibus exemplis abſolutè loquatur. Et Geminus de apparentiis ſatis monſtrat, Ecclipſes Solis, Noviluniis; & Lunę, Pleniluniis apud Græcos conveniſſe. Convenit igitur XV. Poſideonis prioris cum Thoth XVI. qui illo anno incidit in XII. Decembris; quo etiam Ecclipſis hæc contigit hora 10.30'. poſt meridiem. At Poſideon ſextus menſis eſt, ut Petavio lib. I. doctrinæ temporum demonſtratum eſt. Si ergo annus hic ſimplex fuiſſet, debebant ſex plenilunia hoc eodem anno perfici, & ſeptimum eſſet plenilunium Hecatombæonis. Addantur ergo ſeptem menſes Lunares, quorum tres cavi, quatuor pleni, omnes junctim dierum 207, ad plenilunium Poſideonis ſive XII. Decembris prodi-

prodibunt dies 219. à quibus 31 Decembris dies ablati dant 188 residuos, qui in menses Januarium Februar. Martium Aprilem Majum & Junium divisi dant plenilunium septimum in 7 die mensis Julii Sed annus hic non simplex fuit, sed intercalaris. Namque Posideon isto anno geminus erat, ut ex Ptolomæo patet. Intercalabant vero Athenienses in anno, ne Plenilunium Hecatombæonis Solstitium anteverteret. Ergo cum Plenilunium septimum, quod, in anno simplici, Hecatombæonis esse debebat, in 7 Julii incidat, & Athenienses eo tamen anno intercalaverint: patet Solstitium civile Atheniensibus in VIII. Juli constitutū fuisse. Nec tamen Metonem arbitror Cyclum suum juxta illud ordinasse, quin potius verū æquinoctium quod ipsemet observaverat fuisse secutum, quod in suo Cyclo Calippū fecisse ex eodē Ptolomæo liquet. Quippe capite III. lib. VII. ubi Timocharidis τηρήσεις in fixis stellis factas recenset, unam proponit, qua anno XLVII Periodi Calippicæ, octavo die Anthesterionis Luna deprehensa est conjuncta cum Vergiliis anno Nabonnos. CCCCLXV Athyr XXIX. qui, in anno Juliano, convenit cum XXIX Januarii: adeoque primus Anthesterionis sive Neomenia incidit in XXII. Januarii. Est vero Anthesterion octavus mensis. Si ergo ad XXII Januar. sive Neomeniam hujus addantur 5 menses Lunares (quorum tres pleni, duo cavi) sive dies 148, prodibunt dies 170, qui in menses Januarium, Februarium, Martium, &c. divisi dant Neomeniam Hecatombæonis in 19 Junii. Adeoque XV mensis sive Plenilunium incidit in III. Julii, quinque dies ante Solstitium vulgare. Calippus ergo accuratam rationem sequutus fuit. Quod etiam ab Græcis post tempora Hipparchi communiter observatum crediderim. Methodus ergo anni Attici hæc est. Quære ad datum tempus, quod Hipparchi seculum antecedit, Plenilunium quod VIII. Julii proxime sequitur, habebis Plenilunium Hecatombæonis. Huic si quatuordecim dies detrahas, habebis Neomeniam Hecatombæonis. Post Hipparchi vero tempora, & usq; ad Julii Cæsaris, imo & postea, in XXVI Junii Solstitium & terminus Hecatombæonis constituta erant. Hic igitur dies in calculo considerari debet. Nec me fallit Græcos accurato mediorum motuum calculo non fuisse usos. Sed tamen ad Lunæ rationes semper tempora sua digerebant, & si quando aberrarent, diem unum aut biduum omiserunt, aut addiderunt, ut ex Cicerone demonstravimus. Et propter hoc menses eorum quam proxime cum Lunaribus conveniebant. Geminus *De mensibus*: τοῦ δὲ κατὰ σελήνην ἄγειν ἀκριβῶς τὰς ἡμέρας παράδειγμά ἐστι τὰς μὲν τοῦ ἡλίου ἐκλείψεις γίνεσθαι τῇ τριακάδι. τότε γὰρ συνοδεύει ἡ σελήνη τῷ ἡλίῳ

ἡλίῳ καὶ κατὰ τὴν αὐτὴν μοῖραν γίνεται· τὰς δὲ τῆς σελήνης ἐκλείψεις νυκτὶ τῇ φερούσῃ εἰς τὴν διχομηνίαν. *Quod vero Græci accurate dies juxta Lunam agant, exinde liquet, quod Solis Ecclipses fiant in Triacade. Tunc enim Luna conjungitur cum Sole, & in eodem gradu constituitur. Lunæ verò Ecclipses contingunt ea nocte quæ tendit ad medietatem mensis.* Idem ex Ecclipsibus aliisque observationibus patet, quæ apud Ptolomæum sunt perscriptæ. Quamvis ergo civiles Cycli, post tempus aliquod Lunæ non consentirent: principio tamen satis bene convenire videbantur. Et tam diu in usum adhibiti fuere, usque dum vitium deprehenderetur, & tum statim additione aut detractione diei, aliisve modis fuere emendati. In omnibus igitur exemplis satis tuto ad mediorum motuum calculum confugitur. Ad annum ergo quemcunque datum in Periodo Juliana suppuта juxta medios motus Lunæ. Plenilunium quod Solstitium proxime sequitur: habebis plenilunium Hecatombæonis: cui si pro reliquis mensibus alternis 29 alternis 30 dies, vel pro quolibet mense dies 29 horas 12. 44'. 3''. adjeceris: habebis cujusque mensis plenilunium: & si 15 dies detraxeris, vel si mavis 14. dies 18. horas 22'. 1'', Neomeniam. Quod si motus Lunę ad loci cujusdam Horizontem applicatus, ultra medium diei se extendat, sequens dies primus mensis constituatur. Hæc de anno Atheniensium. Reliquarum civitatium annos attingere animus nunc non est, cum illarum disputatio incertis maxime principiis nitatur. Saltim de Olympiadibus, annisque Macedonicis paucis dicemus, quod eorum cognitio nobis in hoc scripto usui futura sit.

Cap. XIII.

De Olympiadibus & primis earum originibus. De certamine Herculis Idæi, Aëthlii, aliorumque. Olympias Ægyptiis tempus quatuor annorum erat, quo duplicato Luna ἀποκατάστασιν facere credebatur. Græcis etiam τετραετηρὶς erat, sed primo Solaris inde Lunaris. Hæc ab Endymione instituta fuit, qui & primus Octaeteridis inventor exstitit. Demonstratur Olympiades primo post Solstitium plenilunio celebratas fuisse. Scholiastes Pindari ex ratione anni Achæorum explicatur. Methodus annorum Olympicorum. De aliis quæ ad ludicrum spectabant. Quis primus Victores olea coronare instituerit? Pausanias notatur.

INter omnes Solemnitates quas Græcia feriata obſervabat, maxime eminebat Certamen Olympicum, quod, circa Alphæum fluvium, quarto quovis anno, maximo totius Græciæ conventu celebrabatur. De eo namque ita Pindarus Ode. 1.

μηδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα
φέρτερον αὐδάσομεν.

Neque ullum certamen Olympico
Præſtantius canemus.

Imo in tota hiſtoria Græcorum nihil illuſtrius eſt, nihil quod ad antiqua temporum illuſtranda magis inſervit. Namque ante Olympiadum initia, omnia maximis tenebris involuta erant, eo quod ad certam & ſtabilem Epocham non applicarentur: ut vere ab Juſtino Martyre λόγῳ παραινετικῷ dictum ſit: ὅτι οὐδὲν Ἕλλησι πρὸ τῶν Ὀλυμπιάδων ἀκριβὲς ἱστόρηται, *quod nihil certi in Græcorum hiſtoria ante Olympiadum tempora ſit.* Poſteaquam vero Græci omnes communi conſenſu Olympiades notare, Victorumque Nominibus faſtos ſignare cæperant, & juxta horum rationem tempora digerere: omnia certa ac manifeſta erant. Operæ precium igitur eſt, certam quandam annorum Olympicorum rationem inveſtigare, quo & ipſæ Olympiades certius inveniri, & quæ ab auctoribus paſſim ad illorum tempora applicantur, rectius demonſtrari poſſint. De primis autem originibus varia apud antiquos opinio eſt. Alii enim Idæos Dactylos qui & Corybantes vocantur, hos ludos primum inſtituiſſe volunt, inter quos Pauſanias in Eliacis, ubi refert Herculem Idæum Olympica primum inſtituiſſe. Ἡρακλεῖ οὖν πρόσεστι τῷ Ἰδαίῳ δόξα τότε ἀγῶνα διαθεῖναι πρώτῳ, καὶ Ὀλύμπια ὄνομα θέσθαι. διὰ πέμπτου οὖν ἔτους αὐτὸν κατεστήσατο ἄγεσθαι ὅτι αὐτός τε καὶ ἀδελφοὶ πέντε ἦσαν ἀριθμόν. *De Hercule igitur Idæo fert opinio primum hunc certamen inſtituiſſe, & Olympiorum nomen indidiſſe. Inſtituit vero ut quinto quovis anno ageretur, eo quod quini fratres eſſent.* Alia opinio Aethlium quendam auctorem facit, poſt quẽ Apis Aethlii filius certamen hoc celebravit, inde Endymion, Oenomaus, Pelops, & demum Hercules. Euſebius lib. 1. Chronici ἄλλοι δὲ ὑπὸ Ἀεθλίου τεθῆναι τὸν ἀγῶνα καὶ τοῦθεν Ἀθλητὰς ὀνομάζεσθαι τοὺς ἀγωνιστάς, μεθ' ὃν Ἄπιος παῖς αὐτοῦ, εἶτα Ἐνδυμίων, ἔπειτα Ἀλέξιος, καὶ μετὰ τοῦτον Οἰνόμαος, καὶ μετὰ τοῦτον, ὥς φασι Πέλοψ, &c. *Alii Aëthlium primum certamen celebraſſe, ab eoque eos qui certabant Athletas dictos volunt. Poſt quem filius Apius, inde Endymion, poſtea Alexius, & poſt illum Oenomaus, poſt quem Pelops, ut ajunt.* Ego, ut quid de his dicendum ſit, paucis proponam, exiſtimo, Heroes Græciæ & inter illos Herculem Idæum certamen quidem tale inſtituiſſe, tempus autem non definiviſſe, juxta quod

quod ageretur. Nam quod de quinis fratribus dicitur, vanum illud est. Si enim juxta fratrum numerum anni Olympiadum determinari debebant, quinque utique essent, non quatuor. Nisi forte dicendum est: primis temporibus, sicut lustrum Romanum, ita & Olympiades, quinque solidos annos habuisse. Postea, temporibus (ut ego existimo) Aethlii aut Apii quadrienni tempus definitum fuit: quod quidem ab Ægyptiis eos habuisse existimo. Hi namque tetraeterida, qua Lunę rationes cum Solis convenire videbantur, Olympiada vocabant. Africanus apud Eusebium in Chronicis lib. 1. Οὐκ ἄμουσον δ' ἂν εἴη καὶ τὴν παρ' Αἰγυπτίοις περὶ τῶν τετραετηρικῶν Ολυμπιάδων ἔννοιάν τινα ἄλλην τῆς παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις οὖσαν ἐν ἀρχῇ δηλῶσαι τοῖς ἀγνοοῦσιν. ἡ γὰρ σελήνη παρ' Αἰγυπτίοις κυρίως Ολυμπιὰς καλεῖται διὰ τὸ κατὰ μῆνα περιπολεῖν τὸν ζωδιακὸν κύκλον, ὃν παλαιοὶ αὐτῶν Ὄλυμπον ἐκάλουν. *Non injucundum erit Ægyptiorum de tetraetericis Olympiadibus opinionem, paulo ab Atheniensium diversam, ignorantibus exponere. Luna namque juxta Ægyptios proprie Olympias vocatur, eo quod menstruo spacio Zodiacum absolvat, quem Circulum majores ipsorum Olympon appellarunt.* Dicit rationem Ægyptiorum paulo diversam esse. Hi enim Novilunium observabant, quo Nilus crescere incipiebat, ut est apud Plin. Nat. Hist. lib. v. cap. ix. illi vero Plenilunium. Existimo autem Aethlium ex mente Ægyptiorum Tetraeterida Solarem instituisse. Sane Censorinus optimus scriptor, ubi de antiquissima Periodo Græcorum sive Trieteride egerat, subjungit statim, *Postea cognito errore hoc tempus duplicarunt, & τετραετηρίδα fecerunt. Sed eam quod quinto quoque anno redibat πενταετηρίδα nominabant. Qui annus magnus ex quadriennio commodior visus est; ut annus Solis constaret ex diebus* CCCLXV. *& diei parte circiter quarta, quæ unum in quadriennio diem conficeret. Quare Agon & in Elide Iovi Olympio, & Romæ Capitolino quinto quoque anno redeunte celebratur. Hoc tempus, quod ad Solis modo cursum nec ad Lunæ congruere videbatur duplicatum est & ὀκταετηρὶς facta.* Manifeste indicat Olympiades à Solis rationibus dependisse, quod tamen temporibus Censorini imo nec antea obtinuit. Ergo de antiquissimis temporibus intelligendum erit, de quibus & Censorinus loquitur. Existimo, Olympiades ab Aethlio τετραετηρικὰς fuisse institutas, ita quidem ut quatuor annis Solaribus absolutis rursum celebrarentur. Postea quadriennium hoc Solare ad Lunæ rationes fuit applicatum. Semper enim Plenilunio Olympia celebrabantur: quod ipsum Herculis Alcumenæ temporibus obtinuisse Pindarus Ode III. testatur.

ἤδη γὰρ αὐτῷ
Πατρὶ μὲν βωμῶν ἁγισθέν-
των, διχόμηνις ὅλον χρυσάρματος
Ἑσπέρας ὀφθαλμὸν ἀντέφλεξε μήνα
Iam enim ipsi
Sacratis Patri aris
Plena luna totum aureo curru vecta
Vespera oculum illustravit.

Ad quem locum ita Scholiastes. ἤδη γὰρ αὐτῷ τῷ Ἡρακλεῖ καὶ οἱ βωμοὶ τοῦ Διὸς θυσίαις καὶ ἐναγισμάτων ἐπεπλήρωντο, καὶ ἡ σελήνη πλήρης ἴσα καὶ ὁλόκληρος τῷ φωτὶ περὶ τὴν ἑσπέραν καὶ τὴν νύκτα ἀντιλάμπουσα τὸν καιρὸν παρεῖχε τῆς κρίσεως τοῦ ἀγῶνος. ἐν γὰρ τῇ ἑκκαιδεκάτῃ τῆς σελήνης ὁ Ὀλυμπιακὸς ἀγὼν τελεῖται. *Iam enim ipsi Herculi & aræ Iovis hostiis & sacrificiis impletæ erant, & Luna plena ac toto lumine circa vesperam & noctem refulgens, tempus exhibuit judicii certaminis. Decima sexta namque luna certamen Olympicum terminatur.* Et postea: Διχόμηνις ἡ σελήνη. ἐπεὶ ἐν τῇ Πανσελήνῳ ὁ Ὀλυμπιακὸς ἀγὼν ἄγεται, καὶ τῇ ἑκκαιδεκάτῃ γίνεται κρίσις. *Quippe Plenilunio certamen Olympicum celebratur, & decima sexta censura sive judicium instituitur.* Ita ergo & temporibus Herculis, & postea semper circa plenilunium Olympias agebatur; adeoque tetraëteris hæc non plane Solaris erat, sed ad Lunæ rationes accommodata, quod ab Endymione institutum crediderim. Statim enim post Aëthlium & Apium ejus filium Endymion nominatur, qui hoc certamen celebraverit. De Endymione consentit & Pausanias in Eliacis. At fuit hic magnus Astrologus, qui præcipue Lunam observabat, imo & omnium aspectuum diversitatem primus mortalium (si Plinio credimus) animadvertit. Hic enim lib II. cap. IX. ubi de varietate φάσεως lunaris dixerat, ita demum concludit, *quæ singula in ea deprehendit hominum primus Endymion, & ob id amore ejus captus dicitur.* Imo tam diligenter Lunam observavit, ut eam in sui amorem circa Latmia saxa (ubi speculationibus vacabat) pellexisse à Poetis fingatur. Catullus:

Ut Triviam furtim sub Latmia saxa relegans
Dulcis amor gyro devovet aërio.

Unde Leander, apud Ovidium epistola ad Heronem, ita Lunam affatur:

Hanc ego suspiciens, faveas ô candida, dixi,
Et subeant animo Latmia saxa tuo.
Non sinit Endymion te pectoris esse severi.

Hunc ergo primum instituisse arbitror, ut in certaminibus Olympicis

cis plena luna obſervaretur. Quocirca in tempore Olympiadum conſtituendo duo obſervabantur, Æſtas ſive Solſtitium æſtivum, & Plenilunium. Æſtate namque ſive ſtatim poſt ſolſtitium æſtivum certamen hoc fuiſſe actum auctores teſtantur. Thucydides lib. v. Ὀλύμπια δ' ἐγένετο τοῦ θέρους τούτου, οἷς Ἀνδροσθένης Ἀρκὰς παγκράτιον τὸ πρῶτον ἐνίκα. *Olympias autem hac æſtate celebrata fuit, qua vicit Androſthenes Arcas Pancratio primum.* Et Seneca in Hercule Furente,

Quantus Eleum coit ad Tonantem
Quinta cum ſacrum revocavit æſtas.

Et hæc duo ita ordinata erant, ut ab uno certamine ad aliud nunc 49. nunc 50. menſes obſervarentur: quod Scholiaſtes Pindari indicat. γίνεται δὲ ὁ ἀγὼν ποτὲ μὲν διὰ τεσσαρακονταεννέα μηνῶν, ποτὲ δὲ διὰ πεντήκοντα. ὅθεν καὶ ποτὲ μὲν τῷ Ἀπολλονίῳ μηνί, ποτὲ δὲ τῷ Παρθενίῳ ἐπιτελεῖται. *Fit vero certamen nonnunquam poſt 49. nonnunquam poſt 50 menſes. Vnde & aliquando menſe Apollonio, aliquando Parthenio celebratur.* Quod Endymionem ex diutina obſervatione didiciſſe, & demum juxta illud ludos ordinaſſe arbitror. Adeoque hic primus Octaeteridis inventor fuerit, qui primus animadverterit poſt duas Olympiades Solis & Lunæ rationes fere convenire. Unde & hic magnum annum annorum octo primus inſtituerit. Certe temporibus Cadmi longe vel ante Cleoſtratum, vel alios Octaeteridum inventores, hanc Periodum in uſu fuiſſe Apollodorus in Biblioth. lib. III. his verbis teſtatur. Κάδμος δὲ ἀνθ' ὧν ἔκτεινεν ἀΐδιον ἐνιαυτὸν ἐθήτευσεν Ἄρει. Ἦν δὲ ὁ ἐνιαυτὸς τότε ὀκτὼ ἔτη. *Cadmus autem pro iis quos occidit, perpetuum annum ſervivit Marti. Erat autem annus tunc octo annorum ſpacium.* Cadmus Agenoris filius floruit cum Pelope. Euſebius in Chronico Canone ad Annum DCXCVIII Abrahami. Πέλοπά τινες οὐ μόνον Ἀργείων καὶ Μυκηνῶν ἱστοροῦσι βασιλεῦσαι, ἀλλὰ καὶ πάσης τῆς Πελοποννήσου. *Pelopem narrant, non modo Argivis & Mycenis, ſed & toti Peloponneſo imperaſſe.* Poſtea ad annum ſequentem, ſcribit: Εὐρώπης ἐπὶ ζήτησιν Κάδμος ἐξελθὼν κτίζει τὴν Καδμείαν, καὶ Θηβῶν ἐβασίλευσεν, &c. *Cadmus ad quærendam Europam profectus Kadmiam ædificat, & Thebis regnat.* At vero una ante Pelopem generatione Endymion ludos Olympcios celebraverat, ut eſt apud Pauſaniam. Et primus hic inter Græcos Lunæ rationes inveſtigavit, unde & hunc primum Octaeterida inveniſſe exiſtimo. Qui igitur poſterioribus ſeculis vixerunt Cleoſtratus, Tenedius, Harpalus, & alii, non tam invenerunt quam correxerunt, & magis ad Lunæ rationes Octaeterida accommodarunt. Hoc ergo Endymionis inventum fuiſſe exiſtimo, ut Lunam in Olympiadibus obſervarent, alternasque Olympiadas quadrageſimo nono, alternas quinquageſimo

gesimo à prioris certaminis plenilunio celebrarent. Et hæc ratio postea semper obtinuit, quod etiam Africanus indicat. Πληροῖ οὖν ὁ Ἥλιος ἐν Ὀλυμπιάδι μιᾷ τετραετηρικῇ ἡμέρας ͵αυξα΄, ἡ δὲ σελήνη νυχθήμερα ͵αυιζ΄ ὥρας ια΄ λεπτὰ κθ΄ σελήνιον α΄. ἐν δὲ Ὀλυμπιάσι β΄ γίνονται σελήνια ἐννενήκοντα ἐννέα νυχθήμερα δὲ δισχίλια ἐννακόσια εἴκοσι τέσσαρα ἃ καὶ ὁ ἥλιος ἐν τοῖς η΄ ἔτεσι πληροῖ. *Absolvit vero Sol una Olympiade Tetraeterica dies 1461. Luna vero dies 1417. horas 11. minuta 29. & præterea mensem unũ. Sunt vero in binis Olympiadibus Lunationes 99, dies vero 2924. quos & Sol in octo annis absolvit.* Satis bene Octaeteridis Olympicæ rationem exponit, in qua prior Olympias 49 saltem lunationes habet, posterior verò 50. Quanquam non arbitror accuratam illam, & juxta dierum numerum supputatam Octaeterida ab Endymione introductam fuisse, sed eum hoc saltem constituisse, ut 49. vel 50. quovis plenilunio, hoc ludicrum celebrarent, eo nempe quod Solstitio æstivo proximum esset; adeo ut si quinquagesimum plenilunium longius post Solstitium incideret, quadragesimum nonum pro eo eligeretur. Plenam vero Lunam ad hoc negocium delegit, quod & illa tum pulcherrima esset, & errori minus sui observatores obnoxios faceret. Etenim cum Luna occidente Sole ab altera parte statim oriretur, plenam se esse indicabat. Nec species facile accuratos spectatores decipere poterat. Unde per universam Græciam, imo & aliis in locis cognitum certo erat, quo tempore Olympiades celebrati debebant. Cuivis enim facile erat quatuor perfectos annos numerare, & tunc plenilunium istud observare, quod Solstitium Civile proxime sequebatur. Et hanc rationem non Endymionis solummodo temporibus, sed & postea semper in usu retentam fuisse arbitror: secus quam in aliis Octaeteridibus fieri solet. In iis namque post annos quosdam ita descendunt plenilunia, ut si juxta harum rationem Olympiades essent celebrandæ; post annos 152. non primo, sed secundo post Solstitium plenilunio convenirent. In Octaeteride namque vulgari hæc ratio est, ut post XVI annos, sive duas Periodos tres dies addantur, qui super Solis rationes tum abundant. Atque sic binis quibusve Cyclis tres dies accedunt, usquedum 160 annis hoc est 20 Cyclorum spacio, ad mensis quantitatem excrescant; qui tum demum toti summæ detrahitur. Exemplo hoc clarius erit. Sit verbi gratia Olympias quædam celebrata XXIII. Julii (sicut prima omnium qua vicit Chorœbus Eleus, vere huic tempori convenit) post Octaeteridas 18. hoc est Heccaidecaeteridas 9. addendi erunt ad hoc tempus dies 27. pro quavis nempe Heccaidecaeteride dies III, ut diximus. Ergo Plenilunium Olympicum ex ratione Octaeteridum

post

post annos 152 incidet in xx Augusti: proximum vero ante illud in xxi. Julii. At Solstitium civile in viii. Julii istis temporibus contingebat, ut antea diximus. Ergo non circa Solstitium, sed longe post celebrabatur. Id vero in sequentibus annis adhuc majus discrimen dat. Post quadraginta namque Heccaidecaeteridas, sive annos 640 retractis in anteriora Solstitiis civilibus usque ad xxvi Junii, binis fere mensibus post Solstitium celebrabitur. Etiam Lunæ rationes totæ labascent. Relinquet enim Olympias Plenilunium & post duos dies celebrabitur: quod ex calculo fit manifestum. Nihil ergo aliud in Olympiadum celebratione observatum existimaverim, quam ut primo post Solstitium plenilunio celebraretur. Sed illud quod de primo post Solstitium plenilunio diximus, videtur parum cum scriptorũ verbis convenire. Etenim Scholiastes Pindari ad Oden III. strophen II. ita scribit. γίνεται δὲ ὁ ἀγὼν ποτὲ μὲν διὰ τεσσαράκοντα ἐννέα μηνῶν, ποτὲ δὲ διὰ πεντήκοντα. ὅθεν καὶ ποτὲ μὲν τῷ Ἀπολλωνίῳ μηνί, ποτὲ δὲ τῷ Παρθενίῳ ἐπιτελεῖται. *Fit vero certamen nunc post quadraginta novem menses, nunc vero quinquaginta. Nam quandoque Apollonio, quandoque Parthenio mense celebratur.* Menses hi erant Lunares, ut satis ex Scholiaste liquet. Adeoque anni ipsi etiam Lunares. At in Lunari anno necessario intercalandum erit. Quippe ut post quatuor annos idem mensis eidem tempestati conveniat, unus mensis intercalandus est, adeoq; in quatuor annis 49 menses numerandi: cum juxta simplicem rationem saltem 48 esse deberent. In aliis vero quatuor, bini menses sunt intercalandi, & in posterioribus quatuor annis 50 menses numerandi. Si enim in anno Attico Hecatombæon circa Solstitium inciderit; quarto anno post 49 Lunationes, & rursum quarto, hoc est octavo anno post 50, iterum incidet. Idem in mensibus hisce Apollonio & Parthenio observandum esset, quandoquidem & illi Lunares sunt. Quod si verum est, debebat utique Olympias, quæ primo post Solstitium plenilunio conveniebat, Apollonio semper mense absolvi. Sed observandum est menses hos Achæorum esse. Elis namque pars Achaiæ. Inchoabant vero Achæi annum, non à Solstitio, ut Athenienses, sed à vere, quo tempore Prætores Achæorum Magistratum inibant ut ex Polybio patet. Annus ergo Achæorum ac Elidensium omnino convenisse videtur cum Judaico. Sicut enim hi cavebant, ne Plenilunium Nisan æquinoctium anteverteret: sic illud ipsum ab hls observatum fuisse videtur. Apollonius igitur & Parthenius menses Solstitiales, convenient cum Tamuz & Ab Judaicis. Adeoq; Apollonius erit quartus mensis, Parthenius quintus. Sit ad initium Olympiadum Iphiti, Neo-

Neomenia Nisan aut primi mensis Achæorum, deprehensa in Aprilis XI, & plenilunium in 25 Aprilis. (Plenilunium namque quod ante hoc in 27 Martii contigerat, non poterat esse plenilunium Nisan, eo quod æquinoctium antecesserat. Quippe Æquinoctium Græcis, juxta illam proportionem, qua VIII Julii est Solstitium, hæsit ex ratione Juliana in 5. vel 6. Aprilis.) Plenilunium igitur Tamuz erit Julii XXII, quo Olympias fuit celebrata, idemque est Plenilunium quarti mensis Achæorum sive Apollonii. Rursum sequens Olympias celebrata fuit IX Julii. Tum enim plenilunium contigerat. At illo anno plenilunium Nisan incidit in XI. Aprilis, adeoque Plenilunium Iulii est etiam plenilunium mensis Apollonii. In his igitur binis exemplis, ut & sequentibus quibusdam, Olympia in Apollonium mensem incidunt. Sed Olympiade XIII. Neomenia incidit in XVIII Iulii, & Plenilunium Olympicum in 1. Augusti. Neomenia vero Nisan incidit in 22 Martii, & Plenilunium in 7 Aprilis, uno die post æquinoctium. Ergo Olympias non quarti, sed quinti sive Parthenici mensis plenilunio celebrata est. Sequens Olympias XIV. Apollonio mense contigit, XVIII. nempe Iulii. Sed XV. rursum Parthenio, &c. *Hoc ergo est, quod dicit, Olympias nonnunquam Apollonio, nonnunquam Parthenio mense celebratur.* In Olympiadibus igitur inquirendis, primo Solstitium observari, ac inquiri debet: de quo satis superiori capite diximus. Quod enim de Atheniensium instituto illic dictum fuit, id ab Hellanodicis sive iis qui ludis Olympicis præerant acceptum fuisse existimo. Methodus ergo Olympiadum hæc est. Quære ad datum tempus in annis Per. Iul. per calculum mediorum motuum Lunæ, plenilunium quod Solstitium proxime sequitur, (hoc est, in anno Attico Plenilunium Hecatombæonis,) quo invento, habebis tempus quo Olympias quædam celebrata est. Ad annum Periodi Iulianæ 3938. (quo prima Olympias Iphitæa acta fuit) Plenilunium Iulii contigit XXIII Iulii, Solstitium civile, de quo heic loquimur, erat in VIII. Iulii, ut priori capite in anno Attico demonstravimus. Ergo hoc plenilunium primum erat post Solstitium, adeoque verè Olympicum. Rursum, primo anno Christi, qui est Per. Iul. 4714, Olympias 195 celebrata est XXIV. Iulii. Prius enim plenilunium contigerat XXIV Iunii. Solstitium vero istis temporibus erat in XXVI Iulii, ut Cæsar prodidit, de quibus postea. Et hic Calculus per medios motus satis bene convenit. Videntur enim Hellanodicæ non juxta Cyclos (quorũ usus antiquis ignotus erat) sed juxta φάσιν observasse; diemq; XXX à priori plenilunio sacrũ habuisse. Antiquitus ergo

mane

mane xv. diei post sacrificia cæteraque sacra, certare incipiebant: sed cum decimus quintus dies ludis non sufficeret, eo quod Pancratio sub noctem demum inciperet, ludicrum uno die anticiparunt, ut est apud Pausaniam in Eliacis libr. primo. XVI autem die judicium fiebat, ut Scholiastes Pindari nos docuit. Post judicium Victor corona oleagina coronabatur. Id enim Victoriæ Olympicæ insigne erat. Quodvis enim ex quatuor illis celeberrimis Græciæ certaminibus peculiare ac proprium insigne habebat. Scholiastes Pindari loco sæpius laudato: Σύμβολον στέμμα τῶν ἱερῶν ἀγώνων. οἷον Ὀλυμπίων κότινος, Πυθίων δάφνη, Νεμέων σέλινον χλωρόν, Ἰσθμίων σέλινον ξηρόν. *Insigne sacrorum certaminum corona, quæ Olympiis ex Oleastro erat, Pythiis Lauru, Nemeis Apio viridi, Isthmiis Apio arido.* Idem habes apud Pausaniam. Ritum hunc victores olea coronandi primus introduxit Hercules, non tamen Idæus, ut Pausanias vult, sed Alcumenæ, quod antiquissimus scriptor Pindarus testatur. Ode III. ἐπῳδ. α.

ᾧτινι κραίνων ἐφετμὰς
Ἡρακλέος προτέρας
Ἀτρεκὴς Ἑλλανοδίκας βλεφάρων
Αἰτωλὸς ἀνὴρ ὑψόθεν
ἀμφὶ κόμαισι βάλοι γλαυ--
κόχροα κόσμον ἐλαίας, τάν ποτε
Ἴστρυ ἀπὸ σκιαρᾶν παγᾶν ἔνεικεν
Ἀμφιτρυωνιάδας
Μνᾶμα τῶν οὐλυμπίᾳ καλλίστων ἄθλων.
Cuicunque, exequens jussa
Herculis antiqua
Verus Hellanodica Ætolus Vir,
Super palpebras
Crinibus circumposuerat glauci
Coloris olivæ decus, quam quondam
Ab opacis Istri fontibus attulit
Amphitruoniades
Monumentum pulcherrimorum apud Olympiam certaminum.

Ritum hunc postea Iphitus, qui & certamen ipsum diu intermissum restauraverat, postliminio quasi introduxit. Et primi sex Olympiadum victores non sunt coronati. Septimum vero Daïclem nempe Messenium, consulto prius Apolline coronarunt, ut est apud Pausaniam & Anonymum Olympiadum scriptorem. Plura qui de his scire volet, legat præter Pindari Olympica ejusque Scholiasten, Pau-

 saniam

ſaniam in Eliacis, ubi de loco, tempore, inſtitutoribus, aliisque, accuratiſſime diſſerit.

CAP. XIV.

Macedonum annus Lunaris erat, ſicut reliquorum Græcorum. Menſes Macedonum, eorumque ſitus. Difficillimus apud Demoſthenem de Loo Macedonum & Boëdromione Athenienſium locus explicatur. Menſes Macedonum nullam ante Alexandrum mutationem ſubierunt. Methodus anni Attici vulgaris exponitur juxta Cyclum annorum 40, cujus Epocha demonſtratur. Diodorus Siculus explicatur. Primus Hecatombæon Metonis, ejusdemque ratio intercalandi demonſtratur, ubi Scaliger & Petavius notantur. In Aſia primum menſes Macedonici mutari cœperunt, quos Iudæi & Chaldæi non à jugo, ſed à viſione inchoabant. Etiam ex Lunaribus Solares facti ſunt. Galenus emendatur. De translatione menſium. Ejus origo. Cur, & à quibus, Lunares menſes in Solares transmutati ſint? Tota anni Solaris Macedonici ratio exponitur. Chaldæi Solſtitium Hybernum in XXIV. *Decembris conſtituerunt: quod & Alexandri temporibus verum erat. Tabella menſium, Macedonicorum antiquorum, Aſianorum, Bithynorum, Paphiorum. Methodus eorundem inveniendorum, &c.*

QUod de annis menſibusque lunaribus, & hoc & ſuperiori capite dictum fuit, id ad omnes omnino Græcos, qui terram Græciam incolebant pertinuiſſe, ex auctoribus ſatis liquet. Geminus namq; de apparentiis aperte teſtatur Græcis, (hoc eſt non ſolis Athenienſibus aut Lacedæmoniis, aliisve populis, qui vel intra vel extra Iſthmum habitabant, ſed omnibus in univerſum, qui proprie τῶν Ἑλλήνων, ſive Græcorum nomine veniebant) Apollinem de ſacris rite peragendis conſulentibus reſponſum dediſſe, ut κατὰ τὰ πάτρια *juxta ritus patrios*, aut quod idem Apollini fuit, κατὰ τρία *juxta tria* ſacrificarent. Quod poſtea ita explicatum à ſapientibus fuit, debere nimirum eos juxta tria, hoc eſt, juxta annum menſes & dies ſacrificare, ita quidem ut an-

ut anni cum Sole congruerent, menses & dies cum Luna. Inter Græcos autem proprie dictos, etiam Macedones erant, ut Strabo testis est. Nam ubi demonstraverat Græciam antiquitus à Barbaris (ut Ægyptiis, Lydis aliisque) fuisse occupatam, demum ita concludit: Ἔτι μὲν τοι μᾶλλον πρότερον ἢ νῦν· ὅπου γε καὶ τῆς ἐν τῷ παρόντι Ἑλλάδος ἀναντιλέκτως οὔσης τὴν πολλὴν οἱ Βάρβαροι ἔχουσι, Μακεδονίαν μὲν Θρᾶκες καί τινα μέρη τῆς Θετταλίας, Ἀκαρνανίας δὲ καὶ Αἰτωλίας τὰ ἄνω Θεσπρωτοὶ καὶ Κασσωπαῖοι. *Antiquitus quidem magis quam nunc. Et tamen hisce temporibus magnam partem illius terræ, quæ sine controversia Græcia est, Barbari tenent; Thraces quidem Macedoniam & partes Thessaliæ. Thesprotii vero & Kaspopai Acarnaniæ & Ætoliæ superiora.* Vides Macedoniam inter illas regiones recenseri, quæ sine controversia Græciæ erant. Eundem ergo ritum quem reliqui Græci in sacris faciendis sanctissime observarunt (ut nempe juxta annum, menses & dies sacrificarent) eandemque anni rationem à Macedonibus observata fuisse, satis liquet. Agebant vero Græci, ut ex Gemino antea demonstravimus, annos quidem juxta Solem, menses vero & dies juxta Lunam, ita quidem ut menses omnes convenirent quam proxime cum rationibus Lunæ, anni vero cum Sole, ob cujus rationes tertio quoque anno mensis integer adjiciebatur, & XIII. menses numerabantur, qui ordinarie saltem XII erant. Et Græci quidem non statim Lunæ rationes assequuti sunt: sed prius omnes menses tricenarios fecerunt, inde meliora edocti alternos fere plenos & cavos. Athenis quidem, ubi indocta plebs dominabatur, sero emendatio hæc admissa fuit: in aliis vero locis, ubi unus aut pauci saltem imperio præerant, qui vel ipsimet docti erant, vel doctorum hominum consilia & monita rectius percipiebant, & sequebantur, statim ad civiles annos mensesque ordinandos adhibita fuit. Quod igitur de Græcorum anno capite XII dictum fuit, id de Macedonum etiam intelligendum erit. Numerabant quippe Macedones XII menses in anno, quorum nomina & situm in adjuncto laterculo habes: Intercalari vero anno unum ex his geminabant. Initium autem anni non ab æstivo Solstitio ducebant, sicut Athenienses: nec à vere, sicut Achæi; sed ab autumno. Quippe Hyperberetæus, ultimus mensis anni est, quod Zenobius in proverb. centur. VI. num. 30. his verbis indicat, quibus causam dat, cur ὑπερβερεταίου appellatio ἐπὶ τῶν ὑπερχρονίων *de intempestivis & cunctatoribus* usurpetur. Παρὰ γὰρ Μακεδόσιν ὁ τελευταῖος μὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ Ὑπερβερε-

Δῖος
Ἀπελλαῖος
Αὐδυναῖος
Περίτιος
Δύστρος
Ξανδικός
Ἀρτεμίσιος
Δαίσιος
Πάνεμος
Λῷος
Γορπιαῖος
Ὑπερβερεταῖος

ταῖος ἀνεγράφη. *Quippe Macedonibus Hyperberetæus ultimus anni mensis est.* At vero confertur hic à Galeno lib. IV. de sanitate tuenda cap. VIII. cum Septembri Romanorum, & Boedromione Attico. Verba ejus de Abiete hæc sunt: Ἐστὶ μὲν ὡραιότατον τὸ αὐτῆς τὸ σπέρμα περὶ τὴν ἐπιτολὴν τοῦ Ἀρκτούρου. ὅστις καιρὸς ἐν Ῥώμῃ μὲν ὁ καλούμενος μὴν Σεπτέμβριός ἐστιν, ἐν Περγάμῳ δὲ παρ' ἡμῖν Ὑπερβερεταῖος, Ἀθήνησι δὲ Μυστήρια. *Est igitur ejus pulcherrimum semen circa Arcturi emersum: quo tempore Romæ quidem September vocatus mensis est, apud nos vero Pergami Hyperberetæus, Athenis autem Mysteria.* Menses Pergamenorum sunt Macedonici, ut postea dicetur. Si igitur Hyperberetæus, qui ultimus eorum erat, cum Septembri Romanorum & Boedromione Atheniensium, quo Mysteria Athenis peragebantur, (teste Plutarcho in Alexandro, qui Ecclipsin Lunæ, quæ XI. ante prælium ad Gaugamela diebus contigerat, Boedromione mense περὶ τὴν τῶν Μυστηρίων ἀρχὴν *circa initium Mysteriorum* factam fuisse refert) conveniebat; primus sane cum Romanorum Octobri & Athæniensium Pyanepsione congruit. Quod ipsum ex Plutarcho satis liquet. In vita namque Alexandri, Lous Macedonum mensis decimus, quo Alexander natus est, confertur cum Atheniensium Hecatombæone; & alibi Dæsius mensis octavus cum Thargelione. Victoria namq; quæ ad Granicum ab eodē Plutarcho in Alexandro contigisse perhibetur mense Dæsio, in Camillo confertur in mensem Atheniensium Thargelionem: quod etiam ex Æliani variæ Historiæ lib. II. cap. XXV. confirmatur. Sed obstare huic sententiæ videntur Philippi Macedonum Regis literæ, ad Peloponnesios scriptæ, postquam sacri contra Phocenses belli Dux ab Amphictyonibus creatus esset: quod refert Pausanias in Phocicis statim initio, & Diodor. lib. 16. ad ann. 2. Olymp. 108. Verba Epistolæ à Demosthene oratione de corona recitata, hæc sunt: Ὥστε συναντᾶτε μετὰ τῶν ὅπλων εἰς τὴν Φωκίδα ἔχοντες ἐπισιτισμὸν ἡμερῶν τετταράκοντα, τοῦ ἐνεστῶτος μηνὸς Λώου, ὡς ἡμεῖς ἄγομεν, ὡς δὲ Ἀθηναῖοι, Βοηδρομιῶνος, ὡς δὲ Κορίνθιοι, Πανέμου. *Quare armati nobis occurrite in Phocide, allato commeatu quadraginta dierum, hoc mense Loo, ut nos agimus, ut autem Athenienses, Boedromione, ut Corinthii, Panemo.* Si Lous mensis decimus convenit cum Boedromione Attico mense tertio, ergo perperam à Plutarcho confertur cum Hecatombæone sive primo. Quod ipsum de Thargelione & Dæsio dicendum est. Viri undiquaque Doctissimi (inter quos Iacobus Urserius Archiepiscopus Armacanus & Hyberniæ primas Vir in omni antiquitate præsertim Ecclesiastica longe versatissimus, qui hoc ipso anno eruditissimum tractatum de Macedonum & Asianorum anno Solari &c. in lucem emisit) arbitrantur, post

Olym-

Olympiadem 108. mutationem quandam in mensibus Macedonicis fuisse factam. Sed cum illius mutationis nullum plane in antiquis scriptoribus indicium exstet; nec causa ulla dari, aut fingi saltem possit, cur hoc factum fuerit: non videtur necessarium, locum hunc ita explicare: præsertim cum alia, eaque meo judicio satis commoda dari possint. Ex iis enim quæ partim heîc, partim XII capite disputata sunt, satis liquere arbitror, Athenienses menses tricenarios, etiam temporibus Aristotelis & Demetrii Phalerei, hoc est longe post Philippum, in usu civili pertinaciter retinuisse: contra Macedonas aliosque Græcos, qui sapientioribus parebant, veros Lunæ motus quam proxime secutos fuisse. Equidem Methodus anni istius Attici demonstrari non potest. Verisimile tamen illud esse videtur, quod cap. XII. à nobis propositum est, Athenienses nempe, qui annum suum à Solstitio inchoaverant, (ut Simplicius testis est) post sex annos, (cum jam integro mense initium Hecatombæonis Solstitium anteverteret) mensem integrum intercalasse; quæ quidem intercalatio juxta Cyclum 40 annorum optimè perficiebatur, in quo hi anni intercalares erant, 6.12.18.23.29.35.40. ut capite XII. à nobis dictum fuit. Juxta quam rationem, anni Atheniensium in quovis Cyclo incipient ab his diebus anni Juliani, quos in laterculo appositos habes. Cyclum hunc ad anni Attici rationem ita accommodamus. Refert Diodorus Bibliothecæ lib. XII. ad annum 4. Olympiadis LXXXVI, quo Archon Atthenis fuit Apseudes, Metonem Enneadecaeterida suam Athenis proposuisse, quam quidem à XIII. Scirrhophorionis mensis inchoavit. Ἐν δὲ Ἀθήναις Μέτων ὁ Παυσανίου μὲν υἱὸς δεδοξασμένος ἐν Ἀστρολογίᾳ ἐξέθηκε τὴν ὀνομαζομένην Ἐννεακαιδεκαετηρίδα, τὴν ἀρχὴν ποιησάμενος ἀπὸ μηνὸς ἐν Ἀθήναις σκιρροφοριῶνος τρισκαιδεκάτης. *Athenis vero Meton Pausaniæ filius, scientia Astrologica clarus, Enneadecaeteridem quam vocant, id est novendecennalis circuli tabulam promulgavit, initium ejus à decimo tertio mensis, qui Athenis erat*

Anni Cycli.	*dies mensium Iulianor.*	
1.	8.	Iulii.
2.	3.	Iulii.
3.	28.	Iunii.
4.	23.	Iunii.
5.	17.	Iunii.
6.	12.	Iunii.
7.	7.	Iulii.
8.	2.	Iulii.
9.	26.	Iunii.
10.	21.	Iunii.
11.	16.	Iunii.
12.	11.	Iunii.
13.	5.	Iulii.
14.	30.	Iunii.
15.	25.	Iunii.
16.	20.	Iunii.
17.	14.	Iunii.
18.	9.	Iunii.

Anni Cycli	Residuum latercul. dies	mensium Iulianor. Scirrophorion, ducens.
19.	4.	Iulii.
20.	29.	Iunii.
21.	23.	Iunii.
22.	18.	Iunii.
23.	13.	Iunii.
24.	8.	Iulii.
25.	2.	Iulii.
26.	27.	Iunii.
27.	22.	Iunii.
28.	17.	Iunii.
29.	11.	Iunii.
30.	6.	Iulii.
31.	1.	Iulii.
32.	26.	Iunii.
33.	20.	Iunii.
34.	15.	Iunii.
35.	10.	Iunii.
36.	5.	Iulii.
37.	29.	Iunii.
38.	24.	Iunii.
39.	19.	Iunii.
40.	14.	Iunii.

Equidem satis cognitum habeo, quomodo Clariss. Petavius hæc explicet. Sed manifesta verba illam explicationem respuunt. Dixi vero antea, Metonem, ut & Calippum, imo & Doctos omnes qui accuratas Lunæ rationes sequebantur, illud in initio anni constituendo observasse; ut Plenilunium Hecatombæonis Solstitium æstivum proxime sequeretur. Et cum, teste Ptolomæo & Anonymo Olympiadum scriptore, Meton, hoc ipso Archonte, Solstitium in XXVIII. Iulii constituerit, dubium non est, quin hoc etiam pro termino in annis suis observaverit. Contigit ergo Plenilunium primum Metonis, hoc est Hecatombæonis XXX Julii. Quippe exeunte anno IV. Olympiadis LXXXVI. Enneadecaeteris proposita fuit, quod ex Archonte liquet. Apseudes namque incepit ineunte anno IV. Olympiadis, & exivit Magistratu quarto anno ad finem perducto, & I. Olympiadis LXXXVII. ineunte, Pythodorus inivit, ut ex Diodoro & Anonymo patet. At Archontes Athenis Neomenia Hecatombæonis incipiebant. Et cum XIII. mensis Scirrophorionis, Enneadecaeteris proposita sit: ergo XVII saltem dies ex anno Apseudis tum residui erant. Scirrophorion namque apud Athenienses XII. & ultimus mensis est. Exitu ergo Præturæ Apseudis adeoque finiente IV. anno Olympiadis 86, Enneadecaeteris proposita fuit, qui est annus P. Jul. 4282. quo quidem anno, primum, post Solstitium Metonis, plenilunium contigit Junii 30. Quippe Neomenia sive Syzygia media contigit Athenis XVI. Junii hora post med. noctem. 1′. 36″. Unde plenilunium XXX Iunii verè conveniebat. Scio quidem Scaligerum & Petavium in XVI Iulii primam Metonis Neomeniam constituere, sed illud perperam fit. Equidem Scaligerum istud facere mirum non est,

cum

cum id ex ipsius principiis sequatur, quæ tamen falsa sunt. At Petavius qui Scaligeri principia rejicit, minus excusari potest. Enimvero Hecatombæonis Plenilunium Solstitium immediate sequebatur, ut priori capite satis à nobis demonstratum esse confidimus. Nec dissentit Petavius, quin potius omnibus id ipsum viribus defendit ac tutatur, tam in libris de Doctrina temporum, quam in Auctario. Nec cardine Solstitiali excusari potest. Quippe ipsemet hypothesin illam Scaligeri de VIII. Iulii, imo & VIII. signorum partibus rejicit, ac Astrologos, inprimis vero Metonem & Euctemonem, in primis signorum partibus cardines constituisse demonstrat, de quo capite XII. satis à nobis dictum fuit. At sane primum, post Metonis Solstitium, Plenilunium contigit XXX Iunii biduo post τροπὰς. Illud ergo Metoni Plenilunium Hecatombæonis erat. Scio quid de annorum intercalarium ordine objici potest. Sed iste quidem à nemine antiquorum quod sciam proditus fuit; neque uspiam scriptum est, utrum 3.6.8. 11. 14. 16. 19. anni in Cyclo Metonico fuerint intercalares, quod Petavius vult, an. 1.3.7. 9. 12. 14.17. quod ego arbitror, & ex primi rationibus Lunæ confirmatur ac demonstratur. Neomenia igitur Hecatombæonis Metonici, contigit Athenis 16 Junii, cum quo tum in anno Attico conveniebat Scirrhophorionis XIII. Neomenia ergo Hecatombæonis incidit illo anno Per. Jul. in 4. Julii. Adeoque est 19. Cycli. Cum igitur 19. Cycli annus ineat à diebus æstivis anni Per. Jul. 4282: ergo primus annus Cycli inibit à diebus æstivis anni Per. Iul. 4264. quo quidem primus dies Hecatombæonis civilis in VIII Iulii, sive Solstitium Civile incidit. Hac Periodo concessa: nunc facile erit, ea quæ in Epistola Philippi leguntur explicare. Literæ hæ statim ante bellum fuere scriptæ. Confectum vero hoc bellem fuit anno primo Olympiadis CVIII. sicut Pausanias in Phocicis testatur. Diodorus ad annum 2 Olympiadis hujus hæc refert. Gesta igitur fuerint exeunte primo & ineunte secundo, adeoque convenient cum anno Periodi Iulianæ 4367. quo quidem Neomenia Hecatombæonis Lunaris contigit 22 Iulii. Loi ergo Neomenia etiam in eundem diem incidit. Nam ut ex Plutarcho antea demonstravimus, Lous & Hecatombæon accuratus, quo scriptores semper utuntur, conveniunt. At anno Periodi Iulianæ 4367 Hecatombæon Atticus Civilis (de quo saltem Philippus loqui poterat) inivit à 13. Iunii. Est enim annus Cycli 23. Si enim 4264. P. J. annus qui est primus Cycli auferatur de 4367, residuos dat 103 annos. Quibus si duos Cyclos sive annos 80 dempseris; remanet 23. annus Cycli, qui in laterculo à XIII. Iunii

Iunii initium sumit. At si XIII Iunii Hecatombæon incipit; ergo XIII Iulii Metagitnion, & XII Augusti Boedromion. Unde Lous qui XXII. Iulii isto anno inceperat, convenit partim cum Metagitnione, partim cum Boedromione. Neomenia namque incidit in XII. Metagitnionis. Εἰκὰς vero in Neomeniam Boëdromionis, & τριακὰς in XI. Optime ergo prudentissimus Imperator Boëdromionem Atticum adscripsit: cum vellet eos extremo mense Loi Macedonici convenire. Sane si Loum saltem posuisset, ignari fuissent, utrum initio mensis an fine convenire deberent: quod sane magnum gerundæ rei impedimentum esse posset. Contra fine mensis monstrato, omnes satis noverant extremo mense se adesse debere, adeoque ad illud se diligentius præparare. Nihil ergo in mensium serie, aut Epocha immutandum censeo, quin potius domi ac in ipsa Macedonia semper eundem mensium situm fuisse contendo. Primus igitur mensis semper est Dius, cujus plenilunium semper proxime post Æquinoctium Autumni incidit. Videntur vero Macedones usque ad Calippi tempora, & forte etiam post, cardinem in VII. aut VIII Octobris, sicut Athenienses Solstitii in VIII Iulii constituisse: de quibus vide quæ capite XII. disputata sunt. Postquam vero Menses hi Macedonum una cum victoribus in Asiam penetraverant, mutationem quandam subiere. Quamvis enim apud plurimos Græcorum tales manerent, quales principio fuerant: ab aliis tamen immutati sunt, & ad cujusvis populi annum civilem accommodati. Quippe Iudæi, quibus Neomenia non à jugo, sed φάσει dependebat, etiam Macedonũ menses inde inchoarunt. Hanc ob causam menses Iudaici & Macedonici ita inter se conferuntur, ut plane pro iisdẽ habeantur. Quartus decimus namque Nisan apud Iosephum cum quartodecimo Xanthici, & quartus decimus Tisri cum quartodecimo Hyperberetæi plane conveniunt; cum tamen uno fere die differant: quamobrem, ne quis erratum esse cogitaret, addidit κατὰ σελήνην, ut cap. x. lib. III. τῷ δὲ μηνὶ τῷ Ξανθικῷ ὃς Νισὰν παρ' ἡμῖν καλεῖται καὶ τοῦ ἔτους ἐστὶν ἀρχὴ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ κατὰ σελήνην. *Mense autem Xanthico (qui Nisan nobis vocatur, & anni initium est) XIV juxta Lunam.* Et statim antea: τῷ δὲ ἑβδόμῳ μηνὶ ὃν Μακεδόνες Ὑπερβερεταῖον καλοῦσι, προστιθέντες τοῖς εἰρημένοις ταῦρον καὶ κριὸν καὶ ἄρνας ἑπτά, θύουσι - - - - δεκάτῃ δὲ τοῦ αὐτοῦ μηνὸς κατὰ σελήνην διανηστεύονται. *Septimo autem mense quem Macedones Hyperberetæum vocant, præter jam dicta mactant taurum, arietem, & agnos septem - - - - -. Decimo autem die mensis hujus juxta Lunam jejunant.* Quid vero Phrasis illa κατὰ σελήνην Iosepho denotet alibibi explicatum est. Neque enim illud significat, quod Thucydidi; id enim Judæorum rationi-

tionibus adversum: sed plane idem quod aliis dici posset κατὰ τὴν φάσιν sive *juxta visionem*. Idem Chaldæi fecisse videntur. Ptolomæus namque lib. XI. cap. VII. confert XIV. mensis Tybi cum V mensis Xanthici. Cæpit autem Tybi illo anno à XVII. Februarii. Unde in anno bissextili 14. Tybi convenit cum 1 Martii, adeoque primus Xanthici cum XXVI Februarii. At vero Neomenia media contigit Babylone 24. die Februarii, hora post mediam noctem 6.32′. Prius vero Novilunium contigerat 25 Ianuarii, hora post mediam noctem 17.48′.39″. cui si tempus visionis extremæ horarum 27. min. 30′. addatur, prodit 26. Ianuarii hora 21.18′, hoc est hora 9. post meridiem, quo, juxta Iudæos Arabas, omnesque Gentes, qui φάσιν observabant, dies 27 Ianuarii cæperat. Vide Georgium Chrysococcen de constructione Persarum ad Iohannem Charsioten. Quia vero ante hoc tempus Luna apud Chaldæos se videndam non dederat: hic dies, qui XXXI. erat post priorem Lunationem, primus sequentis mensis constitutus est. Et quia circa Neomeniam alterius mensis, etiam Luna occultabatur: ergo XXXI dies, illic etiam pro Neomenia fuit habitus, qui est XXVI Februarii. Idem ex aliis exemplis patet, ut postea volente Deo dicemus. Imo non ad Lunares saltem rationes prædicti Macedonum menses fuere applicati, sed etiam ad Solares. Galenus commentario primo ad primum Epidemiorum Hippocratis. Ἐὰν προμάθῃ τὸ κατὰ τὴν ἀρχὴν τοῦ Δίου μηνὸς καὶ φθινοπωρινὴν γίνεσθαι ἰσημερίαν, εἴσεται τὴν μὲν χειμερινὴν τροπὴν ὡς μετὰ τρεῖς μῆνας ἐσομένην ἐν ἀρχῇ τοῦ καθ' ἑαυτὸν πέμπτου μηνός: lege si placet, [τοῦ καθ' ἐνιαυτὸν πρώτου μηνὸς ἢ Περιτίου] τοῦτο γὰρ σημαίνει κατὰ Μακεδόνας. τὴν δὲ ἐαρινὴν ἰσημερίαν Ἀρτεμισίου, καθάπερ γε καὶ τὴν θερινὴν, τοῦ Λώου. *Si quis didicerit, in principium mensis Dii autumnale æquinoctium incidere, intelliget, brumale Solstitium post tres menses futurum, initio mensis illius, qui juxta annuam rationem primus est,* (Romanis nempe rerum Dominis, quos sequi reliqui cogebantur. Galenus sane ad illorum instituta, sicut in multis aliis, ita heic quoque se accommodat) *sive* Peritii; *hoc enim apud Macedones significat. Æquinoctium vero vernum idem intelliget Artemisio fieri, & Solstitium Loo.* Postea addit, χρὴ δὲ δηλονότι τοὺς μῆνας οὐ πρὸς σελήνην ἀριθμεῖσθαι καθάπερ ἐν ταῖς πλείσταις νῦν τῶν Ἑλληνίδων πόλεων, ἀλλὰ πρὸς Ἥλιον, *Oportet vero menses non juxta lunā agere, sicut multa in Græcia civitates faciunt, sed juxta Solem.* Inde exempli loco quosdam recenset, qui ita faciant, ὥσπερ ἔρην ὑπό τε Ῥωμαίων καὶ Μακεδόνων, Ἀσιανῶν τε τῶν ἡμετέρων, καὶ πολλῶν ἄλλων ἐθνῶν. *Sicut dixi*, illud nempe observari à *Romanis Macedonibus, nostrisque Asiaticis, & multis aliis gentibus.* Manifestum est Macedonum menses Solares fuisse, ex quibus quaterni à cardinibus inceperint. Idem

ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis, aliisque demonſtratur, quod erudite Jacobus Urſerius Armacanus perſecutus eſt. Imo ne ſitus quidem menſiũ idem manſit. Qui enim quibusdam Dius erat, is aliis Hyperberetæus numerabatur: & Xanthicus Artemiſius. Sic Hyperberetæus aliis menſium primus atq; anni initium erat, & æquinoctio autumnali conveniebat: aliis Dius. Hoc Macedonibus ipſis, qui in Græcia erant, & antiquitus & poſtmodum ſemper in uſu fuit, idq; ab iis ſcriptorib⁹ obſervatur, qui antiquitatem, ac inſtituta Macedonum propria ſectantur. Illud vero Joſepho aliisque, qui in Oriente vixerunt, uſurpatum fuit. Joſephus enim paſſim, imo ſemper, Niſan cum Xanthico, & Hyperberetæũ cum Tiſri confert. At Tiſri æquinoctio autumni ſemper proximus eſt Ergo juxta priora Dio Macedonico convenit. Unde Adar cum Xanthico, Niſan vero cũ Artemiſio conferri debebat. Patet ergo Joſephi numerationẽ, Macedonica integro menſe poſteriorem eſſe. Origo hujus rei ex Plutarcho in Alexandro patet. Nam, cũ Darii Duces in trajectu Granici ingentẽ aciem inſtruxiſſent, à quibusdam Alexandro religionem menſis objectam fuiſſe refert. Δαισίου γὰρ οὐκ εἰώθεισαν οἱ βασιλεῖς τῶν Μακεδόνων ἐξάγειν τὴν στρατιάν, quod emendavit ille, κελεύσας δεύτερον Ἀρτεμίσιον ἄγειν. Sic ergo Artemiſius in Dæſii locũ pervenit, & per conſequens Dęſius in Panemi, & tandẽ Hyperberetæus in Dii, & Xanthicus in Artemiſii. Nec id in Lunaribus ſaltem, ſed etiam in Solarib⁹, ac maxime quidem, locũ habuit. Quibusdam etiam Solares Macedonum menſes in uſum recepti ſunt, ſed aliis nominib⁹ inſigniti. Quippe gentes propriis menſibus retentis, formam ſaltem anni ac meſiũ Solariũ eo applicuere; non ſecus ac Dictator Cæſar, menſes Numæ Lunares in Solares immutavit. Quem ergo Macedones antiqui Audynæũ, Aſiatici Apellæum vocant, is Paphiis Αἰγυκὸς vocatur, Bithynis Μητρῷος. Sic Panemus ſive Dæſius Paphiis Πληθύπατος appellatur. Operæ precium vero eſt, cauſas mutationis hujus tam anni, quam menſiũ paulo accuratius inquirere. Chaldæis, ſicut ex Ptolomæo, aliisque conſtat, ſolemne erat, à novi cujusdam regni Regiſve primordiis annos ſuos deducere. Sic à Nabonnaſſare (qui illos in libertatem vindicaverat, & à jugo Aſſyriorum liberaverat) annos illos deducunt, quos Nabonnazaru vocant. Utebantur vero in his annis determinandis, non incerto illo & ad Lunæ rationes ordinato anno, qui pro ratione menſium nunc major erat, nunc minor, ſed certiori, quique ex Solis rationibus dependebat. Fuit vero is annus duplex. Vel enim fixus erat vel ſolutus. In fixo anno dies unus quarto quovis anno intercalabatur. In vago, primus menſis Thoth quarto quoque anno unum diem

diem in anteriora recedebat. Is vulgo cognitus, & in usu fuit: hic Solis Astrologis, de quibus postea. Cum igitur Chaldæi, anno quo Alexander occiderat, fraterque ejus Aridæus, quem Philippum vocarunt, in Imperium successerat, annos Philippi Aridæi numerare cœperant, (ut ex Censorino, Ptolomæo atque Albategnio satis patet) videntur etiam Macedonum menses ad novi hujus Macedonici Regis annos numerandos tum primum applicuisse. Et cum ad Solarem rationẽ applicari debebant, ex Lunaribus menses ipsi Solares facti sunt. Anni vero hi Philippæi (sicut & Seleucidarum) duplices fuerunt, vel vagi vel fixi. Vagi à primo Thoth mensis Ægyptiaci inibant, & quovis quadriennio unum diem à capite retrocedebant. Censorinus: *Item Philippi qui ab excessu Alexandri Magni numerantur, & ad hunc usque diem perducti annos* DLXII *consummant. Sed horum initia semper à primo die mensis ejus sumuntur, cui apud Ægyptios nomen est Thoth.* Et sic quoque Albategnius multis in locis annis his vagis utitur. Alibi tamen & fixos adhibet. Nam quamvis Astrologi Chaldæorum, in observationibus, anno isto æquabili uterentur, alium tamen fixum habebant, in quo quarto anno dies intercalabatur. Et hic ipse est, qui vulgo cum mensibus Macedonici in usu erat. Testis autem est Galenus in annis Solaribus Macedonum, Solstitia & æquinoctia in initiis mensium Macedonicorum confici. Observabant vero omnes ante Hipparchum Astrologi, non tam æquinoctia, quam Solstitia. Cum ergo unum Solstitium cognitum esset, ex hujus rationibus reliquos cardines ita deduxerunt, ut pari intervallo utrumque æquinoctium ab Hyberno Solstitio removerent, diebus nempe 91. Solstitium vero æstivum medio loco inter æquinoctia collocarent. Et cum divisio, nisi intercalari anno, exacta non esset; à verno æquinoctio ad Solstitium æstivum dies 92 numerabant; à Solstitio vero ad alterum æquinoctium dies 91. Quippe Chaldæi & Ægyptii Eccentricitatem illam, (uti Mathematici vocant) circuli Solaris cognitam habuisse non videntur. Ideoque cum quatuor cardines anni essent, quatuor etiam in partes æquales annus distributus fuit; & ex 365 diebus unicuivis quadranti 91 dies attributi. Sed residuus erat ex ratione anni unus dies, & in bissexto biduum. Etenim 365. per 4 divisi, dant 91 & præterea diem unum residuum in quatuor partes dividendum: 366 vero 91. & duos dies residuos. Hi ergo dies quadrantibus addendi erant. Cum vero hyberna spatia satis ampla essent, imo justo majora, æstati hæc adjicienda videbantur, quod etiam præstitum fuit. In simplici ergo anno priorem Æstatis quadrantem, qui est ab Ariete ad

 Can-

Cancrum, uno die longiorem fecerunt, & 92 dies numerarunt; in anno vero Intercalari utrumque, adeo ut tum, æstivum Solstitium ab utroque æquinoctio 92 diebus esset remotum; hybernum vero 91. His cognitis facile erit totius anni rationes ordinare, modo hybernus Chaldæorum cardo cognitus fuerit. Refert vero Columella capite 2. lib. XI. Chaldæos in 24. Ianuarii Iuliani Solstitium brumale constituisse. *Nono Kalendas Ianuarias Brumale Solstitium, sicut Chaldæi observant, significat.* Et sane paucis ante obitum Alexandri mensibus, anno nempe Per. Iul. 4389. Solstitium brumale verum contigit Parisiis, ex calculo Tabularum Parisinarum XXIV. Decembris, hora post med. noct. 23. cum min. 13'. Motus namque Solis medius ad diem XXIV. Decembris completum erat 8 Sign. 29 gr. 5'. 42". Anomalia 6. Sig. 26. grad. 21'. 13". Unde Phostaphæresis addenda 56'. 13". quæ motui medio addita dat 9. signa, 0 grad. 1'. 55". Ergo ad finem 24 diei, Solis locus verus erat in primo gradu Capricorni, in quo unum minutum primum & 55. secunda confecerat, quæ in tempus conversa dant scrupula horaria 46', quæ diei 24 detracta dant horam à med. nocte 23. cum scrupulus 13'. quo verum Solstitium Parisiis confectum fuit. Adde ob differentiam meridianorum 3 horas, 16', prodit 25 Martii hora 2. 29'. incipiens à media nocte, quo Babylone confectum fuit Solstitium. Sed Babyloniis tum 24 erat. Quippe ut dictum est, dies illis non à media nocte, sed à matutino tempore incipiebat XXIV. ergo Decembris Solstitium Brumale Babylone confectum fuit, sicut à Columella proditum est. Hoc cardine dato facile erit, juxta priora reliqua inquirere. Nam æquinoctium utrumque 91 abhinc diebus distare debet. Unde æquinoctium vernum in anno communi incidet in XXV Martii, autumni in XXIV Septembris. Solstitium vero æstivum, quod, juxta priora, 92 diebus ab æquinoctio verno distat, in XXV Iunii conveniet. Bissextili vero anno, quandoquidem Julius Dictator in Februario diem intercalavit, quod Macedones non ante finem anni faciebant, Æquinoctium juxta hanc rationem non in XXV. sed XXIV Martii, & Solstitium æstivum in XXIV Iulii incidet. Nunc ad annum hæc applicentur. Ex Galeno ante didicimus æquinoctium autumni initio Dii Macedonici contingere. Brumales vero conversiones initio Peritii. Et eodem modo, æquinoctium vernum initio Artemisii, sicut & Solstitium initio Loi. Quatuor ergo mensium horum initia in anno Iuliano cognita sunt. Dii nempe in XXIV Septembris: Peritii in XXIV Decembris: Artemisii in XXV Martii; & Loi in XXV Iunii. Refert vero Ptolomæus lib. VII. cap. 2,

cap.2, Agrippam Astronomum observasse Lunam australi suo cornu cum succedente Vergiliarum conjunctam. *Metroi mensis die* VII. *hora* 2. *noctis incipiente, anno à Nabonnassare 840, Tybi die* 2. Dies secundus Tybi, illo anno convenit cum XXIX Novembris Iuliani. Thoth namque inivit à XXXI Julii, anno P. Jul. 4805. unde primus Tybi convenit cum XXVIII Novembris, & secundus cum XXIX. Ergo & septimus Metroi mensis convenit cum XXIX Novembris, & per consequens primus cum XXIII. Est vero Metrous mensis apud Bithynos idem ille qui apud Macedones vocatur Audynæus, & Peritium proxime antecedit, ut antea dictum fuit. Audynæus ergo Solaris inivit à XXIII. Novembris, & erat dierum XXXI. Nam ut diximus Peritius à XXIV Decembris incepit. Quod & ex actis Timothei, à Petro Haloixio (in notationibus ad cap. VII. Vitæ Polycarpi) citatis demonstratur. Ἐτελειώθη δὲ ὁ ἅγιος καὶ ἔνδοξος Ἀπόστολος, καὶ Πατριάρχης, καὶ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Τιμόθεος, μετὰ τρεῖς ἡμέρας τῶν καλουμένων Καταγωγίων. ἥτις ἐστὶ κατὰ μὲν Ἀσιανοὺς μηνὸς τετάρτου τριακάδι, κατὰ δὲ Ῥωμαίους μηνὸς Ἰανουαρίου εἰκάδι δευτέρᾳ. *Obiit autem sanctus & gloriosus Apostolus, & Patriarcha, & Martyr Christi Timotheus, post tres dies festivitatis illius, quæ Catagogiorum nomen obtinet, qui dies secundum Asianos mensis quarti est tricesimus, juxta Romanos autem vicesimus secundus Ianuarii*. Si tricesimus quarti mensis est XXII Januarii, ergo I. erit XXIV. Decembris, in quo Chaldæi Solstitium brumale, & juxta hos Galenus initium Peritii constituit, quod & nos antea secuti sumus. At si Hyperberetæus ultimus mensis est, & Dius primus, ut antea dictum fuit; ergo Peritius erit quartus mensis: adeoq; primus Peritii conveniet cum 24 Decembris, omnibus modis, ut antea. Rursum Epiphanius Hæresi LI. quæ est Alogon num. XXIV, menses plures ita inter se confert. τουτέστι κατὰ Αἰγυπτίους Ἀθὺρ δωδεκάτῃ, πρὸ ἓξ Εἰδῶν Νοεμβρίων, κατὰ Ἕλληνας Δίου ή, κατὰ Σαλαμινίους τοὺς καὶ Κωνσταντιεῖς τρίτου Χοιὰκ ς', κατὰ Παφίους Ἀπογονικοῦ ις', κατὰ Ἄραβας Ἀγγαλθαβαεὶθ κβ', κατὰ Μακεδόνας Ἀπελλαίου ις', &c. *Hoc est juxta Ægyptios Athyr* XII, *ante* VI *Eidus Novembreis, juxta Græcos Dii* VIII, *juxta Salaminios sive Constantienses tertii Chœak* VI, *juxta Paphios Apogonici* XVI, *juxta Arabas Angalthabaith* XXII, *juxta Macedones Apellai* XVI. Inter omnes hosce menses nulli inter se conveniunt, præter Paphiorum & Macedonum. Utrobique enim XVI dies notatur, quod indicio est eosdem menses sub diversis nominibus in usu fuisse: quod etiam ex iis patet, quæ hoc eodem numero Epiphanius recitat. Ibi enim Paphiorum Julii XIV. confertur cum Romanor. Januarii VI. unde liquet Julium Paphiorum à XXIV Decembris iniisse, & eundem fuisse cum Macedonum Peritio. Confertur vero heic Apogonici XVI.

juxta Paphios,& Apellæi XVI juxta Macedonas, cum VIII Novembris Romani. Unde initium Apellæi sive primus dies conveniet cum XXIV Octobris Juliani, totusque mensis Apellæus, qui est secundus Macedonum, erit dierum XXX. Nam Audynæus à XXIII Novembris incipit, ut nunc demonstravimus. Primus ergo mensis Dius habebit dies XXX. Quæ & iis, quæ de quandrante anni diximus, consentanea sunt. Prodit enim ita quantitas quadrantis primi dierum 91. præcise. Secundi quadrantis quantitatem, ex iis, quæ hucusque disputata sunt, facillime consequimur. Nam si constet, eum XXIV die Januarii incipere, (quod demonstratum est,) & XXIV Martii desinere: erit ergo dierum præcise 91. At XXV Martii, æquinoctium juxta illorum rationis contigit. Ergo & septimi mensis Macedonici (qui Macedonibus ipsis Artemisius vocatur, Josepho vero, aliisque Asiaticis Xanthicus, ut antea demonstratum fuit) initium in hunc diem incidet. In actis Polycarpi legitur, ipsum passum fuisse mensis Xanthici, die secundo, septimo Calendas Aprilis, in magno Sabbatho. De magno Sabbatho consentit Eusebius lib. IV. Hist. Eccl. cap. ιε'. qui illud ex Smyrnæorum Epistola ad Fratres in Ponto scripta habuit. Epistolam hanc integram brevi se in lucem editurum pollicetur Armacanus, in qua Polycarpus passus dicitur μηνὸς Ξανθικοῦ δευτέρᾳ, ἱσταμένου, πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Μαΐων, σαββάτῳ μεγάλῳ, ὥρᾳ ὀγδόῃ. *Secundo mensis Xanthici*, VII *Calendas Majas, Sabbatho magno.* Sed in Chronico Alexandrino ad IV *annum Lucii Aurelii Commodi, post Cons. Æliani & Castoris, anno post Christi in cœlos ascensionem* CXXXIII id factum perhibetur, τῇ πρὸ ἑπτὰ καλανδῶν Ἀπριλλίων, τῷ μεγάλῳ σαββάτῳ, VII *Cal. Aprilis, Sabbatho magno.* quod & verum esse ex Sabbathi magni charactere patet. Quippe Polycarpus, ut notum est, Pascha XIV Luna cum Judæis celebrabat, in quamcunque tandem feriam incideret. Unde & ipsi Sabbathum magnum commune erat cum Judæis. Est vero Sabbathum magnum, illud quod proxime Pesach antecedit, quod ideo שבת הגדול vocatur, quod Sabbatho proxime ante Pesach Israelitæ in Ægypto mandatum acceperint, de agnis paschalibus secernendis, ut est in Libro כל בו· At Pascha Judæorum, aut Sabbathum magnum, illis temporibus non in finem Aprilis ac VII Calendas Majas incidere poterat. Legendum itaque in actis VII Calendas Aprilis, ut Doctissimus Armacanus erudite probat, quem vide. Si ergo secundus Xanthici convenit cum XXVI Martii, hoc est VII Calend. Aprilis; ergo primus Xanthici incidet in XXV Martii. Est vero Xanthicus hic non Macedonum, sed aliorum Asianorum, quibus primus mensis non Dius est, sed Hyberberetæus.

retæus. Unde Xanthicus heic est Macedonum Artemisius; in cujus initio Æquinoctium fieri Galenus prodidit, ut antea diximus. Inter Brumam igitur & Æquinoctium vernũ eadem est quantitas quæ inter Æquinoctium autumni & Brumam, 91 nempe dierum, qui menses faciunt tres, duos quidem tricenarios, tertium XXXI dierum, ut antea dictum fuit. In Martyrio B. Pauli Apostoli [ab Euthalio Diacono circa annum Christi CCCXCVI. exarato legitur B. Apostolum passum fuisse πέμπτῃ ἡμέρᾳ κατὰ Συρομακεδόνας Πανέμου μηνὸς, ὅστις λέγοιτο παρ' Αἰγυπτίοις Ἐπιφὶ, παρὰ Ῥωμαίοις τῇ πρὸ τριῶν καλανδῶν Ἰουλίων, μηνὶ Ἰουνίῳ κθ'. *Quarto die juxta Syromacedones Panemi mensis, qui apud Ægyptios dici potest Epiphi, apud Romanos vero tertio Kalendarum Iulii, vicesimo nono die mensis Iunii.* Si Junii XXIX convenit cum Panemi quinto, ergo primus Panemi convenit cum Junii XXV. Unde quarti quadrantis initium, ac tertii terminus, demonstrata sunt. Sic enim tertio quadranti tribuuntur dies 92, ut antea: alteri vero 91. Epiphanius libro de ponderibus & mensuris Valentinianum Juniorem in Palatio suffocatum dicit pridie Pentecostis, Idibus Maji, *Arcadio II. & Ruffino Coss. sepultum vero ipsa Pentecostes die,* quæ tum fuerit *secundum Ægyptios Pachon* XXI. κατὰ δὲ Ἕλληνας Ἀρτεμισίου τρίτῃ καὶ εἰκάς, *secundum Græcos Artemisii* XXIII. *secundum Romanos vero* XXII *Kalendas Iunias.* Si XVI Maji (quo Pentecoste illo anno celebrata fuit, & Ægyptiis in anno fixo XXI. Pachon numeratur,) est XXIII, Artemisii, ergo primus Artemisii incidet in XXIV Aprilis. Sed notandum est, annum illum Intercalarem fuisse. Erat namque vulgaris Christi 392. Per. Jul. 5105. Cycli Solis IX. Lunæ XIII. ut ex adjuncto Pentecostes charactere patet. Uno ergo die mensis Artemisius in anno anticipat. In simplici ergo anno Artemisius XXV Aprilis incipit, unde Xanthicus XXX dierum est. Alexander Monachus in Barnabæ Encomio, confert tertium Idus Junii Romani cum decimonono mensis Noni, quem Asiani vel Paphii homines Pthithipatum (rectius forte Plethytatum) vocant. Nonus mensis omnino est Panemus Macedonicus, sive Dæsius Asiaticus. Si ergo 19. hujus convenit cum XI Junii, ergo primus Dæsii conveniet cum XXIV Maji, non cum XXV. ut jam dictum fuit. Sed quod prius de Intercalari anno diximus, id heic locum habet. Chaldæi enim, quos Macedones sequebantur, in ultimo quadrante, sive illo, qui est à Solstitio æstivo, ad Æquinoctium autumni, diem intercalabant, ut antea dictum fuit. Artemisius ergo erit saltem XXX dierum, unde Panemus sive Dæsius in anno simplici à XXV Maji incipiet, & erit dierum XXXI. Cum igitur Romani Februarium XXIX dierum facerent, Dystrus, qui

XXII Februarii inceperat, ac XXXI dierum erat, XXIII Martii terminabatur: unde ſequens Xanthicus XXIV inibat: ut ſic Artemiſius XXIV Aprilis, Dæſius vero ſive nonus menſis XXIV Maji conveniat. Artemiſius ergo XXX ſaltem dierum erit: & propter hoc Panemus, ſive Dæſius in anno ſimplici à XXV Maji incipiet, & erit dierum XXXI. Sed ut omnia quæ hucusque diſputata ſunt, rectius percipiantur integrum Parapegma ſubjunximus, in quo menſes omnes Cœleſtes, non quidem accurati, ſed juxta Macedonum menſes ordinati, primum locum obtinent, alterum menſes Macedonici priores; tertium menſes Aſiatici ſitu ſaltem à Macedonicis differentes: quartum Paphii: quintum Bythynici: ſextum quantitas menſium; ſeptimum deniq; dies menſium Julianorum, à quibus Macedonici incipiunt, tam in anno ſimplici, quam intercalari.

Signa cœleſtia.	*Menſes priores.*	*Macedonici poſteriores.*	*Paphi.*	*Bithyn.*	*Quantitas menſis.*	*in anno comm. biſſ.*
I. Ζυγός.	Δῖος.	Ὑπερβερεταῖος.	Ἀφροδίσιος.	Ἥραιος	30. Sept.	24. 24.
II. Σκορπίος.	Ἀπελλαῖος.	Δῖος.	Ἀπογονικός.	Ἕρμαιος	30. Octo.	24. 24.
III. Τοξότης.	Αὐδυναῖος.	Ἀπελλαῖος.	Αἰνικός.	Μητρῷος.	31. Nov.	23. 23.
IV. Αἰγοκέρως.	Περίτιος.	Αὐδυναῖος.	Ἰούλιος.	Διονύσιος.	30. Dec.	24. 24.
V. Ὑδροχόος.	Δύστρος.	Περίτιος.	Καισάρειος.	Ἡράκλειος.	30. Jan.	23. 23.
VI. Ἰχθύς.	Ξανθικός.	Δύστρος.	Σεβαστός.	Δῖος.	31. Feb.	22. 22.
VII. Κριός.	Ἀρτεμίσιος.	Ξανθικός.	Αὐτοκρατορικός.	Βενδιδαῖος.	30. Mart.	25. 24.
VIII. Ταῦρος.	Δαίσιος.	Ἀρτεμίσιος.	Δημαρχεξούσιος.	Στρατηγικός.	30. April.	25. 24.
IX. Δίδυμος.	Πάνεμος.	Δαίσιος.	Πληθύπατος.	Ἄρειος.	31. Maji.	25. 24.
X. Καρκίνος.	Λῷος.	Πάνεμος.	Ἀρχιερεύς.	Περιέπιος.	30. Jun.	25. 24.
XI. Λέων.	Γορπιαῖος,	Λῷος.	Ἔσθιος.	Ἀφροδίσιος.	31. Julij.	25. 24.
XII. Παρθένος	Ὑπερβερεταῖος	Γορπιαῖος	Ῥωμαῖος	Δημήτριος	30. Aug.	25. 24.

In hac tabula, quaſi uno intuitu totam iſtam rationem perſpicere poteris, quam hucusque expoſuimus, atque per hanc, dato die menſis Julani, ad quodcunq; tempus Græci menſis diem indagare, & vice verſa; quæ quoniam cuivis manifeſta ſunt heîc pluribus exponere opus non eſt.

Plura qui volet, adeat Armacanum, qui hoc argumentum erudite admodū, & ſatis diducte pertractavit. De Macedonicis vero menſibus ad Juliani anni formam applicatis, capite ſequenti dicemus.

CAP.

Cap. XV.

De anno Romanorum antiquo. Diversæ antiquorum de anno Romuli opiniones explicantur, & inter se conciliantur. Emendatio Numæ prior & posterior. Vtriusque ratio accurate exponitur. De Cyclo Numæ. De genuina loci cujusdam Liviani lectione & explicatione. Macrobius contra Petavium & Leonem Allatium explicatur. Cyclus Numæ qualis fuerit? De Epocha anni Romani, & ad Iulianum applicatione. Illustri exemplo Vrbis, à Gallis Senonibus captæ, Cyclus ac Methodus anni Romani demonstratur, quod frustra ab aliis tentatum est. Quando primum & qua occasione Romanus annus depravari cæperit? Emendatio Cæsaris Dictatoris. Cardines ejusdem. De mensibus Macedonum & Syrorum ad Iuliani anni formam applicatis.

ANtiquissimam temporum mensurandorum rationem, eam esse quæ à φάσι, sive prima visione Lunæ dependeret, inde satis liquere arbitror, quod & omnium simplicissima sit, & omnibus paulo antiquioribus gentibus usurpata. De Judæis, Græcisque hactenus demonstratum est, illos quidem semper ad usque supremum civitatis excidium, hos vero antiquitus, juxta visionem menses ordinasse. Idem de antiquis Albanis Romanisque dicendum erit: quippe qui non solum mensium dies juxta species Lunæ denominaverint; sed etiam, post admissam fixam anni rationem, juxta φάσιν Nonas ordinaverint. Equidem illud omnes gentes à Diluvii temporibus retinuisse existimaverim, ut primum apparente Luna mensem inchoarent. Sed cum cœlo minus, quam in Oriente, puro ac nubib⁹ libero viveretur; contigit Lunam quandoque multis post jugum diebus occultari: quandoque ipso Neomeniæ die, aut saltem sequenti apparere. Hinc inæqualis ac plane incerta mensium, annique ratio orta fuit, in qua nemo mortalium quantitatem anni mensisve præscire poterat. Nec in uno saltem die, aut biduo error committebatur, sed nonnunquam in sex, nonnunquam & in decem, ut ex iis liquet, quæ de Albano ac Tusculano anno antea diximus. Hoc ergo cum civilibus negociis magnum adferre detrimentum Albani animadverterent: juxta pha-

ses uno anno in luna observatas, omnes omnium annorum menses ordinabant, eamque quantitatem quæ intra binas visiones deprehensa fuit, postea semper illi mensi tribuerunt, cui primo anno convenerat. Ita ergo Albanis alii menses XXXVI dierum erant, alii XXII. September XVI saltem, & Sextilis XVIII. ut Censorinus cap. XXII docet. Idem in anno Romuli fuisse, Plutarchus indicat: Ῥωμύλου γὰρ βασιλεύοντος ἀλόγως ἐχρῶντο τοῖς μησὶ καὶ ἀτάκτως, τοὺς μὲν οὔτε εἴκοσιν ἡμερῶν, τοὺς δὲ πέντε καὶ τριάκοντα, τοὺς δὲ πλειόνων λογιζόμενοι, &c. *Romulo namque imperante menses habuerunt temere confusos, quum partim nec viginti dierum, partim quinque & triginta computarent.* Sed diversa de Romuli anno Censorinus & Macrobius referunt, qui decem saltem mensium principio fuisse arbitrantur, quorum quatuor XXXI dies habebant; reliqui sex XXX: adeoque totus annus dierum erat CCCIV, cum juxta Plutarchi mentem dierum esset CCCLX. ut in Numa loco laudato refert. Et utraque sententia optimos ac Romanæ rei peritissimos scriptores sibi faventes habet. Nam Licinius Macer & Fenestella annum vertentem Romæ statim ab initio duodecim mensium fuisse scripserunt. Junius vero Gracchanus, & Fulvius, & Doctissimus Togatorum Varro, decem mensium fuisse putaverunt, ut tunc Albanis erat, unde orti Romani. Sed ne præstantissimi Scriptores frustra inter se committantur: videndum est, numne ratio aliqua dari possit illos conciliandi. Notum est Urbem Romam ex duobus populis unam factam fuisse, Romanis, (qui partim ex Albanis, partim ex colluvie variorum hominum constabant, qui primum Urbem cum Romulo habitabant) & Sabinis, qui cum Tito Tatio in urbem allecti sunt. Et priores quidem Romuli ac Albanorum instituta sequebantur; posteriores vero Sabinorum. Hinc duplex in una civitate anni ratio erat. Albani namque, quibus decem menses inæquales in anno erant, hanc sub Albano Rege Romulo sequebantur. Contra Sabinis duodecim in anno menses erant, minori quam Albanorum inæqualitati obnoxii. Hoc tamdiu obtinuisse videtur, quamdiu Tatius Sabinorum Rex pari cum Romulo imperio præesset. Postquam vero ille sublatus erat: videtur Romulus omnes ad eandem anni formam reduxisse. Atque tum quidem Albanam, quam à majoribus acceperat, proposuisse, nonnihil tamen emendatam. Nam cum observaret XXX fere, aut ad summum XXXI post φάσιν die, rursum Lunam novam apparere: sex menses XXX dierum constituit, reliquos quatuor XXXI. Decem namque menses Romulum in anno constituisse, Ovidius Fastorum lib. I. testatur.

Tem-

Tempora digereret cum Conditor Vrbis in anno
Constituit menses quinque bis esse suo.

Et lib. III. causas hujus rei has recenset.

Annus erat decimum cum Luna receperat orbem.
Hic numerus magno tunc in honore fuit.
Seu quia tot digiti, per quos numerare solemus,
Seu quia bis quino fœmina mense parit.

Nec quisquam inter omnes antiquos scriptores ita ab his dissentit, quin commode satis explicari possit. Neque enim Fenestella aut Julius Gracchanus aliud dicunt, quam annum principio XII mensium fuisse, quod & verum esse demonstravimus: quamvis postea à Romulo aliter constitutum fuerit. Menses ergo quam proxime cum Lunaribus convenientes, vel à Sabinis acceperit, vel juxta diligentem Lunæ observationem emendaverit. (namque Lunam ab Romulo in mensibus constituendis observatam fuisse Macrobius auctor est.) Talis ergo anni & mensium Romuli tempore ratio fuit, qualem nos in adjuncto laterculo ex Censorino & Macrobio proposuimus, quæ tamen non diu duravit. Statim enim à Numa Pompilio sublata fuit, ac in ejus locum alia introducta. Et in hoc omnes fere scriptores consentiunt, inter quos Censorinus totam hanc emendationem pulcherrimis hisce verbis expressit: *Postea sive à Numa, ut ait Fulvius, sive, ut Iunius, à Tarquinio duodecim facti sunt menses, & dies* CCCLV. *quamvis Luna duodecim suis mensibus* CCCLIV. *dies videatur explere. Sed ut unus dies abundaret, aut per imprudentiam accidit, aut, quod, magis verum ea superstitione, qua impar numerus plenus & magis faustus habebatur. Certe ad annum priorē unus & quinquaginta dies accesserunt: qui quia menses duos non implerent, sex illis cavis mensibus dies sunt singuli detracti; & ad hos additi, factiq; sunt dies quinquaginta septem: & ex his duo menses, Ianuarius undetriginta dierum; Februarius duodetriginta. Atque ita omnes menses pleni, & impari dierum numero esse cœperunt, excepto Februario, qui solus cavus, & ob hoc cæteris infaustior est habitus. Denique, cum Interkalarem mensem viginti duum, vel viginti trium dierum, alternis annis addi placuisset, ut civilis annus ad naturalem exæquaretur: in mense potissimum Februario, inter Terminalia & Refugium, interka-*

Martius	XXXI.
Aprilis	XXX.
Majus	XXXI.
Junius	XXX.
Quintilis	XXXI.
Sextilis & September	XXX.
October	XXX.
November & Decemb.	XXX.
Dies omnes anni	CCCIV.

terkalatum est. Macrobius verbis paulo aliis hæc refert, idem tamen dicit, cap. XIII. lib. I. Saturnal. *Sed secutus Numa, quantum sub cœlo rudi & seculo adhuc impolito, solo ingenio Magistro comprehendere potuit: vel quia Græcorum observatione forsan instructus est, quinquaginta dies addidit: ut in trecentos quinquaginta quatuor dies, quibus duodecim Lunæ cursus confieri credidit, annus extenderetur: atque his quinquaginta à se additis, adjecit alios sex, retractos illis sex mensibus, qui triginta habebant dies, id est singulis singulos: factosque quinquaginta & sex dies, in duos novos menses pari ratione divisit: ac de duobus priorem Ianuarium nuncupavit, primumque anni esse voluit: tanquam bicipitis Dei mensem, respicientem ac prospicientem transacti anni finem futurique pricipia: secundum dicavit Februo Deo ..... Paulo post Numa in honorem imparis Numeri secretum, hoc & ante Pythagoram parturiente natura, unum adjecit diem, quem Ianuario dedit, ut tam in anno quam in mensibus singulis, præter unum Februarium, impar numerus servaretur,* &c. Numa igitur optimè quidem cognitum habebat, Lunarem annum non plus quam CCCLIV solidos dies habere. Atque talem principio annum instituerat: quod ipsum & Plutarchus confirmat: Νυμᾶς δὲ τὸ παράλλαγμα τῆς ἀνωμαλίας, ἡμερῶν ἕνδεκα γίνεσθαι λογιζόμενος, ὡς τοῦ μὲν σεληνιακοῦ τριακοσίας πεντηκοντατέσσαρας ἡμέρας ἔχοντος, τοῦ δὲ ἡλιακοῦ τριακοσίας ἑξηκονταπέντε, τὰς ἕνδεκα ταύτας ἡμέρας διπλασιάζων, ἐπήγαγε παρ' ἐνιαυτὸν ἐπὶ τῷ φεβρουαρίῳ μηνὶ τὸν ἐμβόλιμον ὑπὸ Ῥωμαίων Μερκίδινον καλούμενον εἴκοσι καὶ δυοῖν ἡμερῶν ὄντα. *Numa vero discrimen inæqualitatis cursus Solis & Lunæ undecim dierum esse animadvertens, quod Lunaris trecentis quinquaginta quatuor diebus constet, solaris vero expleat* CCCLXV, *geminatis undecim hisce diebus, mensem intercalarem duorum & viginti dierum, quem Romani Merkidinum vocant, mensi Februario, alternis quibusque annis, inseruit.* Hæc ergo anni Pompiliani prima ordinatio erat. Annus Solaris juxta Numam dies habebat 365 & quadrantem; qualis istis temporibus & Ægyptiis & Chaldæis pro accuratissimo habebatur. Annus vero Lunaris dierum est 354 præcise differentia dierum 11 & horarum 6. hoc est in binis annis 22 dierum, horarum 12. in quaternis 45 præcise. Cum ergo Numa id præcipue in sua civitate observaret, ut tempora sementis ac messis, cæteraque quæ in usu civili probe sciri debebant, certis anni mensibus certo convenirent: ad quartum aut tertium annum intercalationem differre non poterat, eo quod tempora civilia ultra mensem à tempestatibus differrent. Ita ergo ordinavit, ut secundo anno 22 dies, quarto anno 23 intercalarentur. Et hic annus civilis, Lunaris quidem erat, magis tamen cum Sole, quam cum Luna conveniebat. Nam quamvis primus & secundus annus satis bene

cum

cum Luna convenirent, tertius tamen, propter Epactas Solis ſecundo anno adjectas, minime illud faciebat, nec niſi poſt multa ſecula ἀποκατάστασις in his fieri poterat. Quia tamen annua quantitas non Solaris erat, ſed Lunaris, Romanos juxta Lunæ rationes tempora ſua agere, & alii arbitrati ſunt, & ipſimet profitebantur. Unde Dio perhibet, Romanos ad tempora uſque Cæſaris Dictatoris menſibus Lunaribus fuiſſe uſos, ubi ita ſcribit: πρὸς γὰρ τὰς τῆς σελήνης περιόδους ἔτι καὶ τότε τοὺς μῆνας ἦγον. *Nam ad Lunæ circuitus etiam tum menſes agebant.* Sed quicunque totam anni rationem paulo diligentius conſideraverit, animadvertet ſtatim, optime quidem eam cum Solaribus rationibus, minime vero cum Lunaribus convenire. Nam anno quovis quarto Civilis & Solaris annus plane conveniebant. Et tum peræquatio tam accurata ab Numa facta fuit, ut ne in minimis quidem diſſentirent: juxta primam ergo Numæ inſtitutionem annus Civilis Lunaris cum Solari plane poſt quartum annum conveniebat, adeoque Cyclus quatuor ſaltem annorum erat. Sed poſtea Numa, vel quod revera deprehenderet, annum Lunarem 354 diebus triente & ultra majorem eſſe, vel contemplatione imparis numeri, quod Cenſorinus & Macrobius tradunt, anno civili diem unum adjecit: ut annus ſic eſſet dierum 355. cætera vero, ut ante ordinaverat, permiſit. Atque ſic 51 dies anno Romuli additi ſunt, qui antea dierum fuerat 304. In omnibus autem imparem numerum obſervavit. Quippe quaternos menſes, qui juxta Romuli inſtitutum XXXI dierum erant, tales permiſit; reliquis vero ſex, qui ſub Romulo tricenarii fuerant, ſingulos dies detraxit, ut ſic XXIX ſaltem dies haberent. Et ſic decem menſes dierum erant 298. reſidui ex anno erant dies 57. quos in duos menſes diſtribuit, & uni quidem dies dedit XXIX, alteri vero XXIIX, ut ſic omnes menſes impari dierum numero eſſent, præter Februarium, qui ob id infauſtus & Diis inferis ſacratus erat. Sed additio illa unius diei totam Cycli rationem perturbavit. Nam antea quaternis annis reſtitutio & æquatio Solaris & civilis anni contingebat, nunc poſt quatuor annos quaternum dierum diſcrimen erat. Unde & alium Cyclum inſtituere coactus fuit, quo hi dies debito modo tollerentur. Quod & ab ipſo factum fuiſſe, Livius graviſſimus ſcriptor teſtis eſt. Verba ejus de Numa hæc ſunt, lib. 1. *Atque omnium primum ad curſum Lunæ in duodecim menſes deſcribit annum, quem (quia tricenos dies ſingulis menſibus Luna non explet, deſuntque dies ſolido anno, qui Solſtitiali circumagitur orbe) intercalares menſes interponendo ita diſpenſavit, ut vigeſimo quoque anno ad metam eandem Solis, unde orſi eſſent, plenis annorum*

omnium spaciis dies congruerent. Magna de genuina hujus loci tam lectione quam explicatione inter Doctos contentio est: quæ ex diversitate librorum nata fuit. Alii enim *vigesimo* legunt, cum quibus Codex MSS. Buslidianus convenit, teste Nannio Συμμίκτων v. & sic omnes fere editiones Belgicæ. Alii *vigesimo quarto*, quam lectionem Petavius sequitur. Unicam vero causam, propter quam hanc lectionē priori præferant, ex Macrobio petunt. Quippe is capite XIII. Saturnal. I. refert Romanos ad Græcorum exemplum in octo annis dies 90 intercalasse, tertio autem octennio saltem dies 66. *compensatis ita viginti quatuor diebus pro illis, qui per totidem annos supra Græcorum numerum creverant.* Ex quibus verbis illud colligi videtur, Romanos Cyclum 24. annorum habuisse, juxta quem ultimo anno dies XXIV. detrahebant. Sed omnino verba ipsius Macrobii accuratius expendenda erunt, quæ ob id integra adscripsi. *Cum ergo Romani ex hac distributione Pompilii ad Lunæ cursum, sicut Græci annum proprium, computarent: necessario & intercalarem mensem instituerunt more Græcorum. Nam & Græci cum animadverterent temere se trecentis quinquaginta quatuor diebus ordinasse annum: quoniam appareret de Solis cursu, qui trecentis sexaginta quinque diebus & quadrante Zodiacum conficit, deesse anno suo undecim dies & quadrantem: intercalares statuta computatione commenti sunt. Ita ut octavo quoque anno nonaginta dies, ex quibus tres menses tricenum dierum composuerunt, intercalarent. Id Græci fecerunt, quoniam erat operosum atque difficile, omnibus annis undecim dies & quadrantem intercalare. Itaque maluerunt hunc numerum octies multiplicare, & nonaginta dies, qui nascuntur, si quadrans cum diebus undecim octies componatur, inserere, in tres menses, ut diximus distribuendos. Hunc ergo ordinem Romanis quoque imitari placuit: sed frustra: quippe fugit eos, diem unum, sicut supra admonuimus, additum à se ad Græcum numerum in honorem imparis numeri. Ea re per octennium convenire numerus atque ordo non poterat. Sed nondum hoc errore comperto, per octo annos, nonaginta, quasi superfundendos, Græcorum exemplo, computabant dies: alternisque annis binos & vicenos, alternis ternos vicenosque intercalares expensabant intercalationibus quatuor. Sed octavo quoque anno intercalares octo affluebant dies ex singulis, quibus vertentis anni numerum apud Romanos super Græcum abundasse jam diximus. Hoc quoque errore jam cognito, hæc species emendationis inducta est. Tertio quoque octennio ita intercalandos dispensabant dies: ut non nonaginta, sed sexaginta sex intercalarent.* Sed quod de Græcis heic narrat, vera non sunt, qui nunquam *octavo quoque anno nonaginta dies* intercalabant. Id enim institutis ipsorum quam maxime contrarium erat. Duo enim Græcis proposita fuere, dies

nempe

nempe & menses juxta Lunam, annos vero juxta Solem agere; idque ob eam causam, quod se alias rite Diis servire non posse existimarent. Iuxta Solem vero sacrificare est ita annos agere, ut iisdem tempestatibus eadem sacrificia peragantur, ut ex Gemino antea cap. XII. probavimus. At si octavo quoque anno nonaginta dies intercalare debebant: utique septimo anno festa duos integros menses debitum tempus in anno Solari anticiparent. Sit enim festivitas quæ statim post æquinoctium vernum mense Munychione celebrari debebat, ea quidem primo anno in debitum tempus statim post æquinoctium incidet. Septimo autem anno longe ante æquinoctium, ac ultra duos menses debitum tempus anticipabit: quod omnium Græcorum institutis plane adversatur. Sed Macrobius, cum alicubi legerat, Græcos in octo annis dies ὑπερβαίνοντας numerasse 90, ex quibus tres menses ἐμβολίμους, sive intercalares constituerent: arbitratus est, omnes hos 90 dies, sive tres menses, octavo anno intercalatos fuisse. Eundem cum ipso errorem Solinus erravit, qui scribit: *Græcos singulis annis undecim dies & quadrantem detraxisse, eosque octies multiplicatos in nonum annum reservasse, ut contractus nonagenarius numerus in tres menses per tricenos dies scinderetur. Qui anno nono restituti efficiebant dies quadringentos quadraginta quatuor, quos ἐμβολισμοὺς vel ὑπερβάλλοντας nominabant.* Absurdissime quidem ac ineptissime, sicut in aliis multis, ut summo Viro Claudio Salmasio in erudito opere, quod Exercitationes Plinianas inscripsit, multis in locis demonstratum est. Facile igitur nobis esset fidem heic Macrobii atque auctoritatem elevare; aut aliter saltem verba ejus interpretari: cum ipse non explicet, qua ratione XXIV. illi dies detracti sint. Sed habuerit is hæc optime cognita, verissimaque de iis protulerit; at nihil ista ad Livii locum explicandum faciunt. Macrobius dicit Romanos, Græcorum in Octaeteride intercalandi rationem sequutos, hunc Cyclum instituisse. At ab Græcis nihil hac in re discere poterant, antequam ipsimet Græci aliquid de his cognitum haberent. Octaeterida equidem ab Endymione inventam antea capite XIII diximus; sed non talem quæ ex tam subtili dierum computo dependeret; sed aliam, quæ super plenas lunæ φάσεις esset fundata. Altera illa subtilis & accurata, in qua annus quilibet 354 dierum constituebatur, tertius vero, sextus & octavus dierum 384 multis seculis post à Cleostrato Tenedio (qui post Solonis tempora vixit) inventa. Nec tum statim in usum Græcorum recepta fuit, sed varias mutationes ac emendationes subiit, ut habes apud Censorinum & Geminum. Saltem ergo post hæc tempora hanc intercalandi

landi

landi rationem instituerunt Romani. Imo ne tunc quidem; quandoquidem diu, eodem quo Græci modo, intercalaverint: nec maximum committi errorem animadverterint. Tandem postea isto errore cognito Cyclus hic XXIV annorum institutus fuit. Quid hic ergo ad tempora Numæ, quid ad locum Livii pertinet, qui de Numæ invento loquitur? Imo ex eo ipso demonstratur, alium sacerdotes Cyclum à Numa accepisse: cum adeo in his errarent. Nam modum in annis intercalandi, non à Græcis, sed multo antea quam vel Græcorum vulgus, quid Octaëteris esset, haberent cognitum, ab Numa acceperant, ut ex Censorino optimo scriptore, & Plutarcho antea probavimus. Is enim primus docuit rationem alternis annis XXII. alternis XXIII dies, ut ait Macrobius, intercalandi. Nec dubiũ est, Numam, diei illius, quem anno propter imparis numeri præstantiam adjecerat, habita ratione, alium Cyclum instituisse, quo ista inæqualitas tolleretur: quandoquidem prior Cyclus quaternum annorum propter illum plane inutilis esset redditus. Quod & Livius expressis verbis testatur. At si Cyclus hic Numæ XXIV annorum fuisset: cujus extremo anno 24 illi dies essent auferendi, convenisset utique plane cum illo, quem Macrobius descripsit. Falsus ergo is fuisset, qui ab Græcis Romanos hunc habuisse diceret, siquidem à Numa institutus esset, longe antequam Octaëteris inventa fuit. Sed manifestum est, de alio Cyclo Livium, de alio Macrobium loqui. Unde ruit Petavii assertio, qua hunc Cyclum à Numa inventum fuisse asserit. Id enim contra Macrobium est, quem unicum sibi Patronum elegerat. Sed Petavius ipse parum huic sententiæ fidit, unde tandem modestissime concludit. *Sed eæ omnes conjecturæ quamlibet verisimiles, pro confessis ac liquidis minime sanciendæ sunt; sed ut probabiles ambiguis de rebus opiniones Lectoribus offerendæ.* Sed Leo Allatius Vir Doctissimus, at quantum ego perspicio nimis forte partium studiis deditus, sententiam quidem Petavii optime assecutus est: an vero modestiam ejusdem imitari hac in re noluerit, ego quidem nescio. Satis quidem audacter ac gloriose Scaligero & heic & alibi passim insultat, Viro de re literaria multisq; bonis optimè merito, homini tamen & errori obnoxio, quod nec ipsemet dissimulavit. Verba ejus de Scaligero hæc sunt. *Hæc omnia ex sola anni Pompiliani ignoratione nata sunt. Attamen, talia se ignorasse, cum fateri pro modestia sua nollet, nova nobis commenta, quæ nec somniavit antiquitas, compingit.* Age, mi Allati, quandoquidem tanto supercilio Scaligero summo Viro ignorationem anni Pompiliani objectas, modestiamque ipsius sollicitas, ipse nos annum Pompilianum doce. Nam quem proponas Pompilia-

pilianus plane non est. Livius sane ne vel unum verbum de 24 dierum detractione facit. Macrobium laudas. At ille Cycli istius rationem, non à Pompilio, sed à Græcis acceptam prodit; adeoque diversus ab hoc Numæ Cyclus fuerit. Quis ergo antiquorum hunc annum, Numæ vel per somnium unquam tribuit? Alius ergo Numæ Cyclus erat, ac plane ab hoc diversus. Unde patet, meliorem lectionem eam esse, quæ *vigesimo anno* habet Fraudi locus fuit, quod, qui Macrobium legerant, rati, de eodem Cyclo ambos hos loqui, Livium ex Macrobio emendare, aut saltem explicare fuerint conati. Unde ad oram forte *quarto* annotabant, quod posteriores textui ipsi intruserunt. Alia ergo ratio dies hos superfluos eximendi à Numa instituta est: qualis tamen illa fuerit, dicere non æque est facile. De Cyclo quidem Numæ diebusque eximendis, nullum ultra dubium esse potest. Nam si constet xx annis Cyclum totum fuisse absolutum, etiam cognitum erit, xx dies toti Cyclo esse auferendos. Utrum vero simul, & semel an separatis vicibus, id nunc videndum est. Varro lib. v. de ling. Latin. explicat, cur xxiii Februarii dies Terminalia vocetur. *Terminalia*, inquit *quod is dies anni extremus cõstitutus. Duodecimus enim mensis fuit Februarius, & cum intercalatur inferiores quinq; dies duodecimo demuntur mense.* Terminalia igitur juxta Varronem à termino dicebantur, quod, si quando quinq; dies extremi mensis Febr. propter intercalationem demerentur, annũ ipsum terminarent. Non ergo semper Terminalia ultimum anni diem constituebant. Simplici enim anno xxviii Febr., qui post Terminalia quintus erat, ultim⁹ anni dies est. Sed nec omnibus annis intercalaribus illud contingebat. Quamvis enim dies intercalares non ad finem anni adderentur sed inter Terminalia ac Regifugium (hic est vi. Kal. Mart., ut Verrius apud Festum testis est) infinderentur, quini tamen superflui dies non demebantur; sed post xxii dies intercalares rursum numerabantur, & ad finẽ addebantur: *idque vetere religionis suæ more, ut Februarium omnino Martius sequeretur*, ait Macrobius c. xiii. l. 1. Saturnal Ergo nec semper intercalari anno Terminalia ultimum diem Februarii constituebant. At Varro docet, Terminalia inde appellationem invenisse, quod Februarium clauderent. Quod tum contigisse refert, quando intercalabatur, & quinque dies anno demebantur. Ergo aliquando quinq; dies posteriores (qui ut ex Macrobio audivimus post Intercalares addebantur) plane omittebantur; atque sic ultimus dies anni cum terminalibus conveniebat. Cognitum ergo ex his habemus, quinque dies detractos fuisse. Unde vitiosa est Clar. Viri Samuelis Petiti Methodus, quæ in Cyclo minori 10 annorum ex binis lustris composito, 10 dies nono anno auferri jubet. Nam cum

toto Cyclo xx saltem superflui sint quater ergo hæc detractio in uno; Cyclo fieri debet. Varro autē hos dies demi ait quando intercalatur. Unde nec quinto, nec quintodecimo anno detrahi possunt; quandoquidem isti anni non sunt intercalares. At neque quarto aut decimoquarto id contingere potest. Quamvis enim hi anni intercalares sint, dies tamen quinq; demi non possunt antequam superflui fuerint. At in quatuor annis quatuor saltē dies abundant. Sexto ergo anno illud fieri debebat, quo quidem post ordinariam intercalationem quinque ultimi dies omittebantur: quod etiam decimo anno fiebat, & rursum decimo sexto, ac tandem vigesimo. Equidem si quatuor singulis quadrienniis fuissent detracti: Cyclus quaternis annis fuisset absolutus. Sed Numa, sicut in diebus anni augendis imparem numerum sequutus fuit: ita quoque in iisdem imminuendis idem observasse videtur. Sane quemcunque numerum quinario minorem sumpsisset, breviori Cyclo rem expedivisset. Sed cum quinarium huic negotio delegerat, non minus quam xx annis Cyclus absolvi poterat. Post primam namque dierum subtractionem integer. dies supra rationes Lunæ abundat: post alteram horæ 12. post tertiam rursum integer dies: post quartam denique perfecta est æquatio." Hæc ut melius percipiantur, ac facilius ad usum applicentur, integram Periodum cum cujusvis anni diebus exscripsi. Adposui differentiam dierum quæ inter Civilem & Solarem, quolibet anno intercedat, cum appositis Notis S, hoc est Subtractionis, quando Civilis Solari minor est: & A, hoc est additionis, quando Civilis Solarem excedit. Ipsos quoque anni Solaris dies, una cum horis, adjunxi, ut statim videri posset Cyclum ante xx annum non finiri. Hæc ergo ita se habent.

Cyclus Romanus Numæ xx annorum.

Anni Cycli.	*dies annorum Civilium.*	*Different.*	*dies & hora annorum Solarium.*
I.	355.	10. S.	365. 6.
II.	732.	2. A.	730. 12.
III.	1087.	8. S.	1095. 18.
IV.	1465.	4. A.	1461. 0.
V.	1820.	6. S.	1826. 6.
VI.	2192.	1. A.	2191. 12.
VII.	2547.	9. S.	2556. 18.
VIII.	2925.	3. A.	2922. 0.
IX.	3280.	7. S.	3287. 6.
X.	3652.	0. A.	3652. 12.

Resi-

Residuum Cycli.

xi.	4007.	10. S.	4017.18.
xii.	4385.	2.A.	4383. 0.
xiii.	4740.	8. S.	4748. 6.
xiv.	5117.	4.A.	5113.12.
xv.	5472.	6. S.	5478.18.
xvi.	5845.	1.A.	5844. 0.
xvii.	6200.	9. S.	6209. 6.
xviii.	6577.	3.A.	6574.12.
xix.	6932.	7. S.	6939.18.
xx.	7305.	0.	7305. 0.

Vides in omnibus hisce annis, semper differentiam quandam esse, usque ad xx. Decimo quidem anno nullius diei differentia est, sed propter duodecim horas abundantes Cyclus ibi terminari non poterat. Nunc Epocha tam anni quam Cycli demonstranda erit; cum alias ad usum applicari minimè possit. Numam à Martio annum inchoasse, optimi quique & Romanæ rei peritissimi scriptores testantur, ex quibus duos saltem omnium præstantissimos Varronem & Ciceronem testes citabo. Varronis verba antea ex lib. v. de lingua Latina adduxi, quæ ita habent. *Terminalia, quod is dies anni extremus constitutus sit. Duodecimus enim mensis fuit Februarius.* Si Februarius ultimus ac duodecimus mensis anni est: ergo Martius omnium primus. Clarius Cicero lib. 2. de leg. *Februario autem mense, qui tunc extremus anni mensis erat, mortuis parentari voluerunt, quod tamen D. Brutus, ut scriptum à Sisenna est, Decembri facere solebat. Cujus ego rei causam cum mecum quærerem, Brutum reperiebam idcirco à more majorum discessisse, (nam Sisennam video causam, cur is Vetus institutum non servavit, ignorare: Brutum autem majorum nostrorum institutum temere neglexisse, non fit mihi verisimile, doctum hominem sanè, cujus fuit Accius perfamiliaris) sed mensem credo extremum anni, ut Veteres Februarium, sic hic Decembrem sequebatur.* Cicero probat, Brutum, non antiquum illum, qui Reges exegit, sed alium quendam Accii Poetæ σύγχρονον) mensem Decembrem anni ultimum existimasse, eo quod illo mense sacra Diis Manibus faceret, quod ultimo mense fieri antiquitas voluit. At teste Macrobio (qui tamen ipse Januarium primum anni Pompiliani mensem designat) Numa Februario mense *statuit, ut justa Diis Manibus solverentur.* Saturn. 1. cap. xiii. Ergo ex mente Ciceronis Numa Februarium ultimum anni mensem prodidit. Scio quidem Plutarchum, Numæ, transmuta-

 tionem

tionem illam mensium tribuere, qua Martius tertius, & Januarius primus constitutus fuit, sed is Ciceroni & Varroni, & longe antiquioribus & harum rerum peritioribus, opponi non potest. Primus ergo mensis Martius erat. Sed non illud novisse satis est, nisi una tempus cognitum habeamus, cui præcipue in anno Solari vulgari, sive Juliano convenerit. Macrobius libro I. Saturnal. cap. XII. ubi nomina mensium Romanorum explicat, varias nominis Aprilis origines recenset. Quosdam enim existimasse ait, Aprilem dictum esse, quasi Aphrilem, à Venere, quæ ex spuma, hoc est Græcis ἀφρὸς, orta perhibetur. Sed recte hæc etymologia auctoritate Cingii & Varronis postea rejicitur. Alia vero causa ex ipsa natura ac tempore petita hujus originationis datur. Verba ipsa Macrobii, quoniam apprime ad rem faciunt, integra adscribam. *Sed Cingius in eo libro, quem de Fastis reliquit, ait imperitè quosdam opinari Aprilem mensem aliquos à Venere dixisse, cum nullus dies festus, nullumque sacrificium insigne Veneri per hunc mensem à majoribus institutum sit. Sed ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla, ut cæterorum cælestium, laus celebratur. Cingio etiam Varro consentit, affirmans nomen Veneris ne sub regibus quidem apud Romanos vel Latinum, vel Græcum fuisse: & ideo non potuisse mensem è Venere nominari. Sed cum fere ante æquinoctium vernum triste sit cœlum & nubibus obductum: sed & mare navigantibus clausum: terræ etiam ipsæ, aut aqua aut pruina, aut nivibus contegantur: eaque omnia verno id est hoc mense aperiantur: arbores quoque nec minus cætera quæ continet terra aperire se in germen incipiant: ab his omnibus mensem Aprilem dici merito credendum quasi Aperilem.* Ex quibus verbis satis liquet, antiquorum Aprilem primum vernalem mensem esse, imo & vernum tempus inchoare. Ideoque primus Aprilis dies in vernum æquinoctium inciderit, quod ipsum ex Cæsaris emendatione confirmatur, ut statim videbimus. Apparet autem Numam & mensuram anni Solaris, & ipsos cardines à Græciæ sapientibus habuisse. Nam multas Græci in Italiam colonias partim ante, partim post bellum Trojanum transmiserant, inter quos forte quidam Cardinem ab Ægyptiis acceptum, & in solemnitatibus Olympiadum ab Heroibus Græciæ observatum, diligentius observaverint ac postmodum retinuerint. Etiam opinio fert Pythagoram Spartiaten, qui sextamdecimam Olympiada vicit, cum Italiam peragraret, consuetudinem habuisse cum Numa, ex quibus forte tum alia sapientiæ præcepta, tum ea quæ ad cardines anni Græci & Olympici spectant, didicerit. Erant vero cardines Græcorum istis temporibus in octavis signorum partibus. Et juxta eam rationem, qua Solstitium in VIII Julii conficiebatur, æquinoctium

vernum

vernum in vi Aprilis contingebat. Quod & antea secuti sumus. His ita constitutis facile erit dies mensium Julianorum, à quo menses Romani primo Cycli anno inceperint, investigare. Cognito enim, primum Aprilis diem in vi Aprilis Juliani incidere, (quod admodum verisimile esse, ex iis quæ hucusque disputata sunt, satis patet) una & illud cognitum erit, Martium qui in anno Romano xxxi dies habet, à vi Martii Juliani inire. Adeoque omnium mensium Romanorum primo anno Cycli hic ordo erit.

Romani menses.	*num. dier.*	*Dies*	*mensium Iulianorum.*
Martius.	31.	6.	Mart.
Aprilis.	29.	6.	April.
Majus.	31.	5.	Maji.
Junius.	29.	5.	Junii.
Quintilis.	31.	4.	Julii.
Sextilis	29.	4.	Augusti.
September.	29.	2.	Septemb.
October.	31.	1.	Octobris.
November.	29.	1.	Novemb.
December.	29.	30.	Novemb.
Januarius.	29.	29.	Decemb.
Februarius	28.	27.	Januar.

Deducuntur vero omnes Cyclorum anni à sexto Numæ. Primo namque alterum Cyclum proposuerat, in quo annus civilis 354 dierum erat. Post annos quosdam unum diem adjecit, ut satis probabile sit, à sexto anno Numæ Cyclum hunc inchoari. Est vero annus Numæ sextus Per Jul. 4006. ut postea volente Deo in Epochis demonstrabimus. Ideoque perpetua methodo pro inveniendis annis Cycli Romani ab annis Per. Jul. 4005 auferendi sunt: residuum per 20 divisum dat annum Cycli Romani. Sed cum posteriora hæc nonnihil incerta videantur, illustri aliquo exemplo totam Methodum probabimus, ut & veritas Methodi, & usus ejusdem, certius innotescat, ac facilius percipiatur. Paucissima imo nulla fere in Romanorum Historia exempla occurrunt, quæ ad hunc annum applicari possunt. Nam quamvis sæpius dierum anni Romani apud Historicos mentio fiat: raro tamen iis characterismis signatur, ut certus illorum in anno Juliano situs investigari possit. Sunt equidem duæ apud Livium Ecclipses, quæ ad dies anni Romani applicatæ sunt: sed illæ post

 trans-

transitum Romanorum in Græciam contigere, quo tempore priscus Numæ annus ad Græcorum rationes reformatus, misere fuit depravatus: ideoque alia plane tum anni forma erat. Una autem est omnium illustrissima Epocha, qua Urbs Roma ab Gallis Senonibus capta & incensa fuit. Id vero omnes scriptores unanimi consensu contigisse perhibent x v Calendas Sextileis. Livius namque refert postridie Idus Quintilis Posthumium sacra fecisse; & triduo post, urbem captam fuisse. De sacris consentiunt Gellius Annal. xv. & Cassius Hemina Historiarum II. qui referunt: *Anno ab V.C. CCCLXIII. à Tribun. Milit. Virgulo Manlio, Ebulio Posthumo, collegisque eorum, in Senatu tractatum, quid esset propter quod toties inter paucos annos male esset afflicta respublica: & ex præcepto Patrum L. Aquinium Aruspicem in Senatum venire jussum religionum requirendarum gratia, dixisse, Q. Sulpitium Tribunum Militum ad Alliam adversum Gallos pugnaturum rem divinam dimicandi gratia fecisse postridie Idus Quintilis.* Eodem die ad Alliam pugnatum esse Plutarchus in causis tradit, ὅτι μετὰ τὰς Κυιντιλίας Εἰδοὺς ἃς νῦν Ἰουλίας καλοῦσιν ἐξάγοντες οἱ Χιλίαρχοι τὸ στράτευμα περὶ τὸν Ἀλλίαν ποταμὸν ἐκρατήθησαν ὑπὸ Κελτῶν μάχῃ, *quod Tribuni militum post Eidus Quintileis, quas nunc Iulias vocant, educentes exercitum victi sint à Gallis ad Aliam fluxium.* Tertio vero post pugnam die Galli urbem occuparunt. Plutarchus in Camillo. Τρίτῃ δὲ ἀπὸ τῆς μάχης ἡμέρᾳ παρῆν ὁ Βρέννος ἄγων ἐπὶ τὴν πόλιν τὸ στράτευμα, καὶ τάς τε πύλας εὑρὼν ἀνεῳγμένας καὶ τὰ τείχη φυλάκων ἔρημα, πρῶτον μὲν ἔδεισεν ἐνέδραν καὶ δόλον, ἐπεὶ δὲ ἔγνω τὸ ἀληθές, εἰσελάσας διὰ τῆς Κολλίνης πύλης εἷλε τὴν Ῥώμην. *Tertio vero post pugnam die Brennus aderat exercitum ducens contra Vrbem. Cum vero & portas apertas, & mœnia defensoribus vacua videret, insidias primum veritus, postea veritate comperta, per Collinam portam ingressus Romam cepit.* Livius, tertio demum, post peracta à Tribunis sacra, die, pugnatum fuisse refert, & statim fusis Romanis Brennum contra Urbem duxisse, sed insidias veritum, tota nocte extra urbem mansisse, & sequenti demum die eam occupasse, quod x v Calendas Sextilis sequenti libro contigisse refert. Tacitus xv Annalium incensam ab Gallis urbem fuisse narrat x I v Cal. Sextileis. Ergo uno ad minimum die aut biduo forte antea capta fuit. Quicquid sit, nonnisi unius saltem diei, aut ad summum bidui discrimen hinc nascitur, quod in tali re nihil est. Refert vero Plutarchus pugnam commissam esse περὶ τὰς τροπὰς θερινὰς καὶ περὶ τὴν πανσέληνον. *Circa Solstitium æstivum & circa plenilunium.* Videtur Plutarchus characteres hos à binis scriptoribus antiquis habuisse, quorum unus ipso die quo sacra peracta erant, alter tertio post, prælium commissum voluit.

Neque

Neq; enim vel anno illo, quo capta est, vel precedenti Plenilunium & Solstitium, exacte convenerunt, sed ad minimum quatriduo differebant. Anno enim Per. Iul. 4327 (quo urbem ab Gallis captam fuisse, sequenti libro contra Petavium probabimus.) Plenilunium XII Iulii contigit hora post med. noct. 8; Solstitiũ vero civile, quòd solum istis hominibus cognitum erat, VIII Iulii: differentia quatuor dierum. Antecedenti anno Plenilunium XXIII Iulii contigerat, & prius Iunii 23, procul à Solstitio. Inter Solstitium ergo & plenilunium pugna contigerit, atque Urbs ipsa capta fuerit. At juxta anni Romani rationem pugnatum est, ex mente Plutarchi, XVIII Calendas Sextileîs. Videbimus cui diei in anno Romano hic character conveniat. Est annus Per. Iul. 4327. ablati hinc juxta Methodum 4005, residuos dant 322 annos. qui per 20 divisi dant annum Cycli secundum. Decem igitur Epactæ superioris anni, hoc est primi, à 4. Iulii, quo Iulius sive Quintilis primi Cycli Romani iniit, abstractæ, dant initium Quintilis in 24 Iunii Iuliani. adde dies XV. habebis XVI diem Quintilis, hoc est XVIII Calendas Sextileis, convenientem IX Iulii Iuliani, uno die post Solstitium, quo prælium juxta Plutarchum contigit. Tertio vero die post XI, nempe Iulii Iuliani, XVI Calendas Sextilis Romani, prælium ex Livii mente contigit, cujus diei vespera, Luna plena face, occidente Sole, oriebatur. Sequenti die XV Calendas Sextileis, XII Iulii, Urbs capta est, & XIV Calendas, sive Iulii XIII combusta. Hæc est nobilissima Epocha, quam & Scaliger & Petitus frustra tentarunt, queis magis catus Petavius eam plane omisit, nec ullo exemplo suam experiri Methodum voluit. Nostra vero, ut vides, exactissime convenit. Unde illius certitudo satis demonstratur. Post hæc vero tempora ratio anni mirum in modum perturbata fuit. Qui enim æstati convenire debebant menses primo vere agebantur. Manifestum id ex Livio est, qui lib. XXXVII refert, V. Eidus Quintilis L. Scipione & C. Lælio Coss. Anno Urbis Varronian. DLXIX. Per. Iul. 4524. Solem defecisse, Luna sub orbem ejus subeunte. At vero isto anno Ecclipsis Solis contigit Martii XIV. quæ Romæ visa fuit hora post med. noctem septima, ut ex calculo patet. Iuxta rationem Cycli Romani V. Eidus Quintilis conveniret septimo Iulii Iuliani. Differentia 115 dierum. Sed non injucundum erit tantæ diversitatis ac corruptelæ causas, quantum possumus inquirere. Macrobius dicit, Romanos, cum Græcorum in anno intercalando institutum imitari vellent, nec eorum ritus ac morem recte cognitum haberent, mirum in modum errasse, annumque suum corrupisse. Et dubium sane non est, quin Romani

Græ-

Græcos, quos ſemper ut omnis ſapientiæ Magiſtros colebant, in anni ratione fuerint imitati. Nec tamen ea in re primum à Romanis erratũ fuit, quod diem trecenteſimũ quinquageſimũ quintum anni non ſatis obſervarent: tũ enim annus juſto major fuiſſet, ipſiq; menſes ac menſiũ dies non in antecedentia retracti fuiſſent, ſed potius in cõſequen- progreſſi. At non hoc, ſed illud factũ fuiſſe, ex Livio patet, ubi Quintilis centũ & quindecim diebus ante tempus debitum init. Quod igitur Macrobius dicit heic locum habere non poteſt. Exiſtimo, Romanos, cũ audirent Græcos ter ſaltem, quovis octennio menſem intercalare, id etiam ita imitatos fuiſſe, ut ſolidos dies XXIII. in intercalatione omitterent. Nam cum audirent, Græcos tertio, ſexto & octavo annis menſem unum intercalarem addere; nec alium menſem intercalarem cognitum haberent, præter ſuum Merkedonium aut Merkedinum, qui alternis annis XXII alternis XXIII dierum erat: hunc ad Græcorum exemplum quovis octennio intercalarunt, tertio quidem anno dies XXII. ſexto XXIII. octavo autem XXII addentes. Atq; ſic quodvis octennium XXIII. ſolidis diebus juſto minus erat. Hoc tum primum ab Romanis factum fuiſſe arbitror, cum primam Græcam urbem Corcyram occupaverant, quod Anno P. Iul. 4485. L. Poſthumio Albino Cn. Fulvio Centumalo Coſſ. Urbis Cond. DXXIV contigit. Quippe ante illud tempus rara Romanis cum Græcis commercia. Equidem antea in Sicilia fuerant, hosque debellaverant. Sed Siculi ſub proprio Rege Hierone manſerunt. Sic ergo XIII anno initium anni integro menſe, ſive XXX diebus retroceſſerat: quod etiam ex Livio patet. Libro namque ſecundo Dec. III. refert, Coſſ. Flaminium II, & Servilium Geminum Idibus Martiis Magiſtratum iniviſſe, qui dies iſto anno, hoc eſt Per. Iul. 4497, convenit cum 10 Martii Iuliani, & ſtatim poſt Romæ nunciatum fuiſſe, in Sardinia Solem minui viſum, & Arpis Solem cum Luna pugnaſſe, quæ Ecclipſin Solis contigiſſe indicant, quæ etiam XI Februarii iſto anno facta fuit. Quod ſi à 10 Martii dies XXX abſtuleris, habebis VIII Februarii, quo Coſſ. invere, & tertio poſt die hæc viſa ſunt, & ſtatim Romæ nunciata. Tandem vero, cum jam ultra integrum anni quadrantem, centum nempe & quindecim diebus, propter unius menſis intercalaris quovis octennio (& forte etiam ſæpius) omiſſionem, à vero termino anni aberraverant, demum animadverterunt, Græcos non XXII aut XXIII dies, ſed ſolidos XXX quavis intercalatione addere. Adeoque deprehenſo errore operam dederunt, ut annus priſtinis characteribus reſtitueretur. Quam ob rem Pontifices menſem Intercalarem præter
ordi-

ordinem intercalasse videntur. Anno enim vicesimo secundo, post consulatum L. Scipionis & Lælii, qui est annus Urb. Varron. DLXXXVI. Coss. L. Paulo Æmylio & Licinio Crasso memorabilis ille defectus Lunæ contigit, quem Sulpitius Gallus prædixerat, nocte quam Prid. Nonas Septembr. insecuta est dies, ut Livius lib. XLIV. refert. Erat vero is dies in anno Juliano XXIII Iunii, differentia 76 dierum, adeoque, tum 70 saltem diebus à debito tempore distabat. Et statim post, illud ab Romanis observatum crediderim, quod Macrobius refert, eumque Cyclum tum in usum fuisse introductum; de quibus tamen omnibus nihil certo affirmare ausim. Sane menses in hoc statu mansisse, ex anno confusionis liquere arbitror, cui Dictator Cæsar dies 67 addidit. Sed de anno hoc nimis multa verba fecimus: Nunc de emendatione Julii dicendum est.

Cum Dictator Cæsar, anni rationem Pontificum licentia admodum corruptam cerneret, ita ut menses cum tempestatibus anni minime convenirent; unaque consideraret, si eadem anni forma maneret, fore ut facillime rursum corrumperetur: antiqua illa Lunari sublata, Solarem introduxit, quod hæc minus errori obnoxia esset, faciliusque à vulgo perciperetur. Anno ergo Urbis Cond. 707, quo ipse Consul. III cum Collega M. Aimilio Lepido fuit, emendationem exorsus, XV illum mensium constituit; ita ut totus is annus esset dierum CCCCXLV. Quod ita factum fuit. Annus simplex Numæ, uti diximus erat 355 dierum, sive XII mensium; intercalaris 377, vel 378 dierum, sive mensium XIII. Cæsar ergo primum auctoritate Pontificali pronunciavit annum hunc Intercalarem esse: inde addidit dies LXVII. ut Dio testis est. Annus ergo totus dierum fuit CCCCXLV. quorum ultimus terminabatur prid. Calendas Januarii. Verba de his Censorini optimi scriptoris digna sunt quæ adscribantur. *Pontificibus datum est Negotium, eorumque arbitrio interkalandi ratio permissa. Sed horum plerique ad odium vel gratiam, quo quis magistratu citius abiret, diutiusve fungeretur, aut publici redemtor, ex anni magnitudine, in lucro damnove esset, plus minusve ex libidine interkalando, rem sibi ad corrigendum mandatam ultro depravarunt. Adeoque aberratum est, ut C. Cæsar Pontifex Maximus suo III. & M. Æmilii Lepidi consulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menses interkalarios dierum sexaginta septem in mensem Novembrem & Decembrem interponeret, cum jam mense Februario dies tres & viginti interkalasset, faceretque eum annum dierum* CDXLV. *simul providens in futurum, ne iterum erraretur. Nam interkalario mense sublato, annum civilem ad Solis cursum formavit.* Itaque diebus CCCLV. addidit decem, quos

per septem menses, qui dies undetricenos habebant, ita distribuit, ut Ianuario & Sextili, & Decembri bini accederent, cæteris singuli: eosque dies extremis partibus mensium apposuit, ne scilicet religiones sui cujusque mensis à loco summoverentur. Quapropter nunc cum in septem mensibus dies singuli & triceni sint, quatuor tamen illi ita primitus instituti eo dinoscuntur, quod Nonas habent septimanas: cæteri quintanas. Præterea pro quadrante diei, qui annum verum suppleturus videbatur, instituit, ut peracto quadriennii circuitu, dies unus, ubi mensis quondam solebat, post Terminalia interkalaretur: quod nunc Bissextum vocatur. Ex hoc anno, ita à Iulio Cæsare ordinato, cæteri ad nostram memoriam Iuliani appellantur, iique consurgunt ex IIII. Cæsaris consulatu. Plenius ac planius hac de re nihil dici potest, ut mirum sit dari homines, qui tam manifestis verbis contradicere audeant. At Dionem pro se adducunt, qui ait, Julium non plus quam 67 dies addidisse, & errare eos qui aliter sentiant. At idem dicit Censorinus: nam Intercalaris mensis XXIII dier. isti anno ex majorum instituto conveniebat, nec ab Cæsare præter ordinem additus fuit. At dicunt, quindecim saltem menses in anno isto fuerunt, 67 vero dies faciunt menses Intercalares tres. Si ergo Intercalaris ordinarius isto præterea anno fuit, ergo annus 16 mensium erat, non quindecim. At quis illos docuit 67 dies tres menses constituere? Intercalaris ordinarius quem Merkedinum Romani vocabant, XXII aut XXIII dierum erat: ergo etiam illi quos Cæsar ad explendum annum, præter ordinem, adjecit, tales fuere. Quis antiquorum hoc unquam dixit? adversatur id Censorino optimo scriptori, & satis antiquo: adversatur omnibus aliis. Mirum est, homines ita conjecturis suis indulgere, ut quamvis optimi & antiquissimi scriptores plane iis adversentur, malint tamen eorum fidem damnare, quam sententiam mutare. Sed de his nimis dictum est. Quæri posset cur Cæsar cardines anni sui non initiis mensium more Macedonum, sed VIII antea diebus attribuerit? Scaliger respondet, percrebuisse Romæ illam de Æquinoctiis ac Solstitiis in octavis partibus signorum constituendis opinionem, quam cum vulgo extorquere non posset, maluisse potius Cæsarem inveteratæ eorum opinioni ex parte assentiri. Et bene quidem illud, si constaret, Cæsarem, cardines, in VIII. semper ante Calendas die, constituisse: quod vereor ne satis firmum sit. De hyberno quidem & verno cardine nullum dubium est. Disertis enim verbis auctores hac de re testantur. Columella lib. IX. cap. XIV. *Ab æquinoctio primo quod mense Martio circa VIII Calendas Aprilis, in octava parte arietis conficitur.* Plinius lib. XVII. cap.

cap. XXV. *Omnesque ea differentiæ fiunt in* VIII *partibus signorum. Bruma Capricorni ad* VIII *Kalend. Ianuarii fere.* Sed idem Plinius, etiam in VIII Calendas Julias Solstitium æstivum, in VIII. Calendas Octobris Æquinoctium autumni constituit. Cum tamen Ovidius in Fastis illud in sextum Calendas conferat, Columella vero & in octavum, & in sextum. Ita enim de VIII Calend. scribit. *Hoc & biduo sequenti solstitium.* Eadem ejusdem de æquinoctio autumni sententia est. Sed imperitissime hi omnes Solem, his diebus, VIII. signorum partes occupare, arbitrati sunt. Unde semper octo diebus ante cardines illos quos omnium verissimos existimabant, Solis in dodecatemorium ingressum atq; accuratum, ac Astrologicum Solstitium aut æquinoctium fieri docent. De octavis signorum partibus res manifesta est. Germanicus Cæsar præfatione in Aratæa. *Medius est æquinoctialis, qui octavam partem Arietis tenens æquinoctium vernum facit: octava Libræ autumnale constituit.* Idem habes apud Plinium loco laudato. Quo ergo die æquinoctia, aut solstitia omnium accuratissima fieri audiverant, eum pro vero Solstitiali aut æquinoctiali habebant; ita tamen ut VIII. parti signi alicujus illum tribuerent, & VIII diem antea, ingressui Solis in Dodecatemorium assignarent. Patet hoc ex Columella, qui lib. XI. cap. 2. hæc scribit: *Nono Kalendas Ianuarias Brumale Solstitium, sicut Chaldæi observant, significat.* Nam cum Chaldæorũ observationes omnium accuratissimas arbitraretur, illud potius quam Julii Solstitium pro vero habuit. Sed hoc in VIII. parte Capricorni confici credidit VIII enim dies antea ad XVI Calendas hæc notat: *Sol in Capricornum transitum facit. Brumale Solstitium, ut Hipparcho placet.* Quod quamvis imperitissime & absurdissime factum sit, scientiæ tamen istorum hominum investigandæ apprime confert. Veri igitur Cardines juxta Columellam illi erunt, qui octavo post Solis in dodecetemorion ingressum die contingunt. Adeoque juxta Columellam non VIII, sed VI Calendas Julias Solstitium, & VI Calendas Octobris æquinoctium autumnale continget. Ad XIII. namq; Calendas horum mensium, ipsemet notat, Solem signum, Cancri & Libræ ingredi. Imo & juxta accuratam ipsius Plinii recensionem Solstitium æstivum, & Æquinoctium autumnale, non in VIII, sed VI Calendas incident. Verba ejus ex XVIII. cap. 25. hæc sunt: *Cardo temporum, quadripartita anni distinctione constat, per incrementa lucis. Augetur hæc à bruma, & æquatur noctibus verno æquinoctio* XC *diebus,* III *hor. Deinde superat noctes ad Solstitium diebus* XCIII. *horis* XII. *usque ad æquinoctium autumni. Et tunc æquata die procedit ex eo ad brumam diebus* LXXXIX. *horis* III. *Hora nunc in accessione,*

æquinoctiales non cujuscunque diei significantur, omnesque eæ differentiæ fiunt in VIII *partibus signorum. Bruma Capricorni ad* VIII *Kalend. Ianuarii fere: Æquinoctium vernum Arietis: Solstitium Cancri: alterumque Æquinoctium Libræ.* Si hanc accuratissimam Plinii recensionem sequamur, deprehendemus Solstitium & æquinoctium autumni non VIII, sed VI, imo V Calendas contingere. Ponatur namque Solstitium hybernum in eo die, quo ipse collocat VIII. nempe Calendas Januarii sive XXV Decembris. A bruma inquit ad æquinoctium vernum, dies sunt XC, & horæ tres. Ergo æquinoctium incidit in XXV Martii. Ab Æquinoctio autem ad Solstitium dies sunt XCIII, horæ XII. quos si ad XV Martii adjeceris, prodit Junii XXVI. hoc est sextus Calendas Julias, non VIII. Æquinoctium autumni distat ab solstitio diebus XCII. & horis XII. quæ addita ad XXVI Junii, dant Septembris XXVII, sive V. Kalendas Octobris. Tandem ab hoc ad brumam sunt dies LXXXIX, horæ III. quæ ad XXVII Septembris addita, dant Solstitium in XXV Decembris. Hæc ergo accuratissima ratio est, quam juxta Cæsaris partitionem factam fuisse satis liquet. Neque enim accuratiora illis hominibus cognita erant. Dubium igitur illud est, ac plane incertum, quod tamen in priori sententia proconcesso assumitur, Cæsarem Dictatorem, VIII Calendas, cardinibus, dicasse. Imo ex iis, quæ hactenus disputata sunt, satis liquere arbitror, Solstitium & Æquinoctium Autumni in VI Kalendas incidisse. Alia ergo causa fuisse videtur, ob quam Cæsar ab VIII Kalendas, & non ab ipsis Kalendis annum suum inchoaverit: quam ego hanc esse arbitror. Cæsar, sicut in aliis multis, ita etiam in anni ratione emendanda, majorum ac antiquorum institutis tenacissime adhæsit. Patet illud ex tota anni Pompiliani emendatione, in qua nihil plane emendavit, nisi quod maximis erroribus ac infinitæ in civilibus negociis perturbationi causam dare posset. Sic ergo & Februarium XXVIII saltem dierum constituit, & eundem locum intercalationi unius diei dicavit, qui antiquis observatus fuerat, inter Terminalia nempe & Refugium. Ipsos quoque menses, quod à situ illo, in quo eos antiqui ac primus Institutor Numa collocaverat, recessissent, ad pristinum locum reduxit, duos alios menses interkalando: quod facere opus non fuisset, (quandoquidem à quocunque tempore menses satis bene incipere poterant) nisi annuam rationem ac ordinem, antiquissimi Institutoris voluntati, convenire voluisset. Cum igitur, ex antiquis commentariis ac Pontificum annalibus, aliisque ejusmodi, cognitum haberet, Numam, Kal. Aprilis in æquinoctio verno, constituisse, cum Sol octavum Arietis gra-

gradum teneret, id ipsum sibi imitandũ ratus, Kalendas Aprilis, in VIII parte Arietis constituit, in qua plurimi ex vulgo æquinoctiũ istis quoq; temporibus confici crediderunt. Nam cum Sol juxta medios motus (qui soli in civilibus negociis locum habere censentur) XXV. Martii Arietẽ isto seculo fuerit ingressus; VIII ergo die post, sive Kalendis Aprilibus in VIII parte Arietis, juxta medios motus hærere debebat. Ergo cum hunc terminũ primo constituisset, juxta rationem Plinianam reliquos exinde deduxit. Intercalarem vero uti diximus in pristina sede locavit, atque inter Terminalia & Refugium interseri jussit. De terminalibus conveniunt omnes, illum VII Kalendas Martias, sive XXIII Februarii convenire. Hunc Regifugium proxime excipere, omnes tradunt, præter Ovidium, qui Regifugium XXIII contigisse refert. Sed potior reliquorum omnium consentiens auctoritas est. Menses in anno Juliano totidem sunt quot in Numæ, iisdemque nominibus, Januarius nempe, Februarius, Martius, Aprilis, Majus, Junius, Julius, (qui ante emendationem Quintilis vocabatur) Sextilis, (ab Augusto postea Augustus denominatus) September, (Germanicus appellatus) October, (quem *suo nomine Domitianus invaserat. Sed ubi infaustum vocabulum ex omni ære vel saxo placuit eradi: menses quoque usurpatione tyrannicæ appellationis exuti sunt*. Macrob. Saturn. lib. I. c. XII.) November, (hunc ab Commodo denominationem habuisse arbitror, ex quo explicandum illud erit, quod in veteri inscriptione legitur IDUS COMMODAS) & December. Ratio dierum numerandorum eadem erat, quæ temporibus Numæ. Quivis enim mensis in tres partes distribuebatur. Calendas, Nonas & Eidus, ad quas reliqui dies referebantur. Illi namque qui intra Kalendas & Nonas erant, juxta eam rationem numerabantur, qua Nonas antecedebant: qui inter Nonas & Idus ad Idus referebantur: reliqui omnes ad sequentis mensis Kalendas. Sunt vero in quatuor mensibus Nonæ septimanæ, Martio nempe, Majo, Julio, & Octobri, in quibus Nonæ semper in septimum diem mensis incidunt. Quod à Romulo institutum, & à Numa retentum, etiam ad suum Calendarium Cæsar applicuit. In reliquis omnibus mensibus Nonæ quintanæ sunt, & in quintum diem mensis incidunt, unde in his statim post Calendas IV. Nonas sequitur, in illis VI. Nonas. In omnibus vero mensibus Idus sunt octo. Unde si Nonæ septimanæ fuerint, Idus in XV mensis incidunt, si quintanæ in XIII. Methodus ergo numerandorum dierum hæc est: cognito quot dies mensis quilibet habeat, (quod ex vulgari isto versu,

April terdenos, Iun. Septemberque, November:

Vno plus reliqui; viginti Februus octo.
At si bissextus fuerit superadditur unus.

aut per numerationem digitorum satis bene cognoscitur.) vide an Nonæ quintanæ sint, an septimanæ. Quod si quintanæ sunt: post Kalendas primus dies erit IV Nonas, qui mensis dies secundus est, tum III Nonas, Pridie Nonas, Nonæ quæ in V mensis incidunt. Si Septimanæ Nonæ fuerint, secundus dies VI Nonas vocatur, inde V. IV. III. Pridie Nonas, & demum Nonæ ipsæ, quæ tum septimo mensis conveniunt. Nonas semper excipit VIII. Idus. inde VII. VI. V. IV. III Prid. Idus. quæ si Nonæ quintanæ fuerint in XIII. diem mensis incidunt, sin septimanæ in XV. In quintanis ergo Nonis aufer XIII. ab integro mense, in septimanis autem XV, residuum unitate auctum, numerum diei ante Kal. prioris mensis dabit. In mense verbi gratia Januario, in quo quintanæ Nonæ sunt, adeoque Idus in XIII diem mensis incidunt, aufer XIII à XXXI. remanent 18. ergo primus dies post Eidus vocatur XIX Kalendas Februarias, sequens XVIII, tum XVII. & sic retrocedendo ad ultimum mensis, qui Pridie Kal. Februarias vocatur. Hæc vulgatissima sunt. Sed tamen cum in reliquis annis Methodus proposita est, neque hic omitti debebat. Notandum vero est, non Solis Romanis hunc annum in usu fuisse, sed una cum imperio, ad longe dissitas gentes pervenisse, ac in ipsum orientem penetrasse. Ægyptii quidem annum antea vagum, juxta rationes Julianas fixum reddiderunt, quarto quovis anno, pro quinque Intercalaribus, sive Epagomenis, sex addendo: Menses tamen proprios, atque peculiarem anni Epocham retinuerunt, ut de anno Ægyptiaco postea dicetur. Alię vero gentes, non tantum anni rationem, sed etiam menses plane Romanos receperunt. Nomina saltem antiqua mensiũ retinuerunt; quique proxime cum Julianis convenerant, pro Julianis adhibiti fuerunt. Duo vero mensium genera erant, quorum tum maxime usus vigebat. Etenim omnes fere gentes, qui rationem mensium Julianorum receperant, vel Macedonicis mensib⁹ utebantur, vel Chaldaicis sive Syriacis. Hos igitur ex Lunaribus antea Solares factos, sed aliis diebus in anno Juliano applicatos, è sua sede & loco dimoverunt, paulumque immutatos menses plane Julianos constituerunt. Ita ergo Xanthicus, qui juxta Asianorum rationem à XXV Martii antea in anno Macedonico iniverat, paululum in consequentia protrusus fuit, ut cum Aprili conveniret. Idem à Chaldæis in Nisan mense factum fuit. Hæc ergo mensium Macedonicorum & Chaldæorum in anno Iuliano dispositio est. Mensium horum ratio ex Patribus, atque inter eos Euse-

Januarius.	Αὐδυναῖος.	Canun ſecundus.
Februarius.	Περίτιος.	Schebath.
Martius.	Δύστρος.	Adar.
Aprilis.	Ξανθικός.	Niſan.
Majus.	Αρτεμίσιος.	Ijar.
Junius.	Δαίσιος.	Haziran.
Julius.	Πάνεμος.	Tamuz.
Auguſtus.	Λῶος.	Ab.
September.	Γορπιαῖος	Elul.
October.	Υπερβερεταῖος.	Tiſrin prior.
November.	Δῖος.	Tiſrin poſterior.
December.	Απελλαῖος.	Canun prior.

Euſebio præcipue demonſtratur. Apud eum namque lib. VIII. Hiſt. Eccl. in actis Martyrum, menſes Macedonici ita cum Julianis conferuntur, ut plane iidem ſint. Cap. namque XX. decimus quartus Apellæi confertur cum XIX Kalendas Januarii. cap.XIX. in actis Antonii & Zebinæ Martyrum XIII Dii cum Idibus Novembris. In Martyre Theodoſiæ Virginis IV Nonas Aprilis (qui iſto anno Paſchalis feſtivitas erat) cum ſecundo Xanthici: & libro ſeptimo in fragmento Anatolii XXII Dyſtri cum XI Kal. Aprilis. Sed hæc omnibus obvia ſunt. Orientalium vero menſes plane Julianos eſſe, ex Albategnio patet, qui Schebath. 28 dierum facit, & quarto quovis anno 29 Romanorum more. Sed & ex illis exemplis id ipſum patet, quæ in Periodo Conſtantinopolitana citabimus, quæ conſulas licet. Atque hæc de anno Romano, tam antiquo, quam Juliano dicta ſunto.

Cap. XVI.

De anno Ægyptiaco vago. Annus hierophanticus fixus. De duplici Cyclo Ægyptiorum majori & minori. Scaligeri de annis Ægyptiacis ſententia exponitur, & contra Petavium defenditur. Diodorus perperam à Petavio explicatus. Petavii ſecum pugna. De priſco Ægyptiorum anno. Ægyptii ante Exodum annum habuere CCCLX *dierum ſine Epagomenis, qui ab ipſis pro Lunari habebatur. Epocha anni Lunaris Ægyptiaci. Cycli Hierophantici origo. Epocha anni Dei*

Dei & Cycli canicularis Hierophantici. Annus hic fixus in usum civilem ab Aseth Rege adhibitus fuit. Thebæi, Diodori & Strabonis temporibus, anno fixo utebantur. Cycli majoris Canicularis origo. Theodorus Gaza castigatur. Leo Allatius iniquè Scaligerum carpit. Epocha anni magni Canicularis incerta. Methodus annorum Ægyptiacorum.

INter omnes omnium gentium annos nulla celebrior ratio est, quam quæ Ægyptiis in usu fuerit. Hac enim Mathematici, atque inter hos Princeps Ptolomæus, in omnibus suis calculis usus est. Erant vero omnes anni, juxta hanc, dierum præcise CCCLXV: ex quibus XII menses omnes tricenarii & V. prætera Epagomenæ sive Intercalares conficiebantur. Et hic quidem annus cum Solis rationibus quam proxime conveniebat. Quoniam vero intercalaris quarto quovis anno omittebatur, factum fuit, ut primus dies anni, hoc est primus Thoth, quarto quoque anno, uno die Solis rationes ac motus anticiparet. Unde is post annos 1460 omnes anni tempestates pervagatus demũ pristino termino restituebatur. Quippe Ægyptii diversum plane à Græcis institutum in suis sacris sequebantur. Hi enim volebant ut sacra Diis patriis certis anni tempestatibus fierent, ut antea dictum est. Illi vero dies, sacris, Dei cujusdam, dicatos, per omnes anni tempestates vagari permiserunt. Sic ergo festum Isidis, quod Eudoxi temporibus, hybernis conversionibus conveniebat, postea, Gemini seculo, mense integro inde distabat: ut Geminus ipse cap. VI. sive *de mensibus* testatur. Et hæc juxta vulgarem & civilem usum ita se habebant: ut annus Ægyptiacus civilis vere diceretur, tantum dies 365 habere, qualis & apud Ptolomæum semper in usu est. Hic enim ubi juxta annos Ægyptiacos numerat, dies 365 præcise sine horis appendicibus, cuivis anno tribuit, ut ex sexcentis ejusdem locis cuivis manifestum esse potest. Theon quoque Alexandrinus, insignis & ille Mathematicus idem testatur, *comm.* εἰς τοὺς προχείρους κανόνας, ubi ita scribit: Ἐπεὶ γὰρ ὁ καθ' Ἕλληνας ἤτοι καθ' Ἀλεξανδρέας ἀναδιδόμενος ἡμῖν ἐνιαυτὸς ἡμερῶν ἐστι τξε΄ δ΄. ὁ δὲ καθ' Αἰγυπτίους ὡς ἔφαμεν τξε΄. μόνον, δῆλον ὡς ὅτι κατὰ τέσσαρα ἔτη ἡμέραν μίαν προσλαμβάνει ὁ κατ' Ἀλεξανδρέας, (alii Codices legunt προσλαμβάνει τὸν κατ' Ἀλεξανδρέας. utraque lectio satis bona est, prior tamen præstat, nam alias indefinita est oratio) κατὰ δὲ αυξ΄, ἡμέρας τξε΄ τουτέστι κατ' Αἰγυπτίους ἐνιαυτὸν ἕνα. Καὶ πάλιν ἅμα ποιοῦσιν ὅ τε κατὰ τὸν Ἀλεξανδρέας, καὶ οἱ κατὰ τὸν Αἰγυπτίον, τὴν ἀρχὴν τοῦ ἐνιαυτοῦ, καὶ ἑξῆς τὰς ἡμέρας καὶ τοὺς μῆνας

τοῦ κατ'

τοῦ κατ' Αἰγυπτίους χρόνου ὅλον ἐνιαυτὸν προσειληφότες. Καὶ ἐν τῇ ἀρχῇ πάλιν τοῦ ἑξῆς ἐνιαυτοῦ ἄρχονται οἱ Αἰγύπτιοι τῷ τετάρτῳ τῆς ἡμέρας προλαμβάνειν· καὶ ἑξῆς πάλιν ἀκολούθως. *Quia enim annus juxta Græcos aut Alexandrinos, prout à nobis traditum est, diebus constat 365. cum quadrante, juxta Ægyptios autem 365 præcise, prout diximus, manifestum est, quod annus Alexandrinus in quatuor annis integrum diem assumat, in annis vero 1460, dies 365. hoc est juxta Ægyptios annum unum. Et tum rursum eodem tempore, & Alexandrini, & Ægyptii annum suum simul auspicantur, & toto isto anno dies mensesque plane juxta Ægyptiorum rationem Alexandrini agunt. Initio vero sequentis anni, incipiunt Ægyptii quadrante diei anticipare, & sic deinceps.* Quamvis vero annus ille civilis, juxta quem sacra & solemnitates agebant, Ptolomæi, Gemini, & Theonis, imo & antea Herodoti temporibus, talis fuerit: Sacerdotibus tamen Ægyptiacis ac Hierophantis quarto quovis anno dies intercalabatur. Unde illi completum Cyclum sive ἐνιαυτὸν illum vocarunt, qui quatuor annis constabat. Horus Apollo lib. II. cap. LXXXIX τὸ δὲ ἔτος κατ' Αἰγυπτίους τεσσάρων ἐνιαυτῶν. *Annus apud Ægyptios quatuor constat annis.* Hæc verba cum in editione Parisiensi Petavius non reperisset, Scaligero statim crimen falsi intentavit. Scribit enim de Doct. Temp. lib. III. cap. II. ad finem: *Ad hæc falso, & in illo ipso Isag. Can. loco Horum Apollinem citat, quem ait lib. II. cap. LXXXI. scripsisse: τὸ δὲ ἔτος &c. Hæc apud Horum in illo capite non reperi. Utrum alibi exstet, quærant quibus vacat.* Sed in Hœscheliana editione exstant. quod & ipsemet Petavius postea agnovit lib. V. variar. Dissert. cap. V. ad finem. Duplex ergo Cyclus Ægyptiis in usu fuisse videtur, major unus, annorum 1460, qui in civili anno locum habebat: minor alter, quo Sacerdotes & Hierophantæ imo & alii quoque utebantur, & quatuor annis absolvebatur. De priori loquitur Geminus & Censorinus, qui etiam Cyclum hunc magnum ἐνιαυτὸν κυνικὸν & Θεοῦ vocat, cap. XVIII. *Ad Ægyptiorum vero annum magnum, Luna non pertinet, quem Græce κυνικὸν, Latine canicularem vocamus, propterea quod initium illius sumitur, cum primo die ejus mensis, quem vocant Ægyptii Thoth, caniculæ sidus exoritur. Nam eorum annus civilis solos habet dies CCCLXV, sine ullo interkalari. Itaque quadriennium apud eos uno circiter die minus est quam naturale quadriennium: eoque fit, ut anno MCCCCLXI. ad idem revolvatur principium. Hic annus etiam ἡλιακὸς, à quibusdam dicitur, & ab aliis ὁ Θεοῦ ἐνιαυτός.* De posteriore autem Strabo & Diodorus Siculus, & Horus Apollo, & alii. Diodorus Bibliothec. lib. I. Οἱ δὲ Θηβαῖοί φασιν ἑαυτοὺς ἀρχαιοτάτους εἶναι πάντων ἀνθρώπων, καὶ παρ' ἑαυτοῖς πρώτοις φιλοσοφίαν τε εὑρῆσθαι καὶ τὴν ἐπ' ἀκριβὲς ἀστρολογίαν. Ἅμα καὶ τῆς χώρας αὐτοῖς συνεργούσης πρὸς τὸ τηλαυγέστερον

θεωρεῖν τὰς ἐπιτολάς τε καὶ δύσεις τῶν ἄστρων. Ἰδίως δὲ καὶ τὰ περὶ τοὺς μῆνας αὐτοῖς καὶ τοὺς ἐνιαυτοὺς διατετάχθαι. Τὰς γὰρ ἡμέρας οὐκ ἄγουσι κατὰ σελήνην, ἀλλὰ κατὰ τὸν ἥλιον, τριακονθημέρους μὲν τιθέμενοι τοὺς μῆνας, πέντε δὲ ἡμέρας καὶ τέταρτον τοῖς δώδεκα μησὶν ἐπάγουσι καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν ἐνιαύσιον κύκλον ἀναπληροῦσιν. *Thebani vetustissimos se omnium mortalium esse prædicant, apud quos omnium primos Philosophia, & exactior Astrologia sit inventa; adjuvante ipsos terræ situ ad ortus & occasus siderum illustrius cognoscendum, modoque peculiari menses & annos apud se ordinatos esse. Nam dies, non ad Lunæ, sed Solis motum exigentes, tricenos Mensibus dies tribuunt, & post duodecimum quemque mensem quinque dies cum quadrante intercalant. Eoque pacto circulum annuum absolvunt.* Strabo lib. XVII. de Thebanis Sacerdotibus. Τούτων δὲ ἔστι καὶ τὸ τὰς ἡμέρας μὴ κατὰ σελήνην ἄγειν, ἀλλὰ κατὰ τὸν ἥλιον, τοῖς τριακονθημέροις δώδεκα μησὶν ἐπαγόντων πέντε ἡμέρας κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον, εἰς δὲ τὴν ἐκπλήρωσιν τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ ἐπιτρέχοντος μορίου τινὸς, τῆς ἡμέρας περίοδόν τινα συντιθέασιν ἐξ ὅλων ἡμερῶν καὶ ὅλων ἐνιαυτῶν τοσαύτην ὅσα μόρια τὰ ἐπιτρέχοντα συνελθόντα ποιεῖ ἡμέραν. *Horum & institutum hoc est, dies, non juxta Lunam, sed juxta Solem agere; ita ut tricenariis duodecim mensibus appendices addant quotannis dies quinque. Porro cum ad totius anni complementum particula diei quædam excurrat, certam Periodum componunt ex integris diebus & annis integris, quot portiones singulorum annorum residuæ diem conficiunt.* Et omnium manifestissime Horus Apollo. lib. I. cap. V. βουλόμενοί τε ἔτος εἰπεῖν τέταρτον λέγουσιν. ἐπειδή φασι κατὰ τὴν ἀνατολὴν τοῦ ἄστρου τῆς Σώθεως, μέχρι τῆς ἄλλης ἀνατολῆς, τέταρτον ἡμέρας προστίθεσθαι· ὡς εἶναι τὸ ἔτος τοῦ Θεοῦ τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε ἡμερῶν. ὅθεν καὶ διὰ τετραετηρίδος περισσὴν ἡμέραν ἀριθμοῦσιν Αἰγύπτιοι. τὰ δὲ τέσσαρα τέταρτα ἡμέραν ἀπαρτίζει. *Annum volentes dicere quadrantem nominant: propterea quod ab uno sideris illius ortu, cui Sothis nomen est, ad alterum, quarta diei pars adjiciatur, ut annus Dei constet diebus* CCCLXV. *Vnde & quarto quoque anno vertente supervacuum diem computant Ægyptii. Nam quatuor quadrantes diem perficiunt.* Ex hisce auctorum locis illud Scaliger deducit, quod antea proposuimus, duplicem nempe apud Ægyptios anni rationem fuisse, quarum una vulgari in usu erat, altera solis Sacerdotibus. Verba Scaligeri, ut rectius sententia ipsius sciri possit, integra apponemus, quæ hæc sunt: de Emend. Temp. lib. III. cap. II. sive de anno Ægyptiaco. *Annus ergo Ægyptiacus fuit dierum trecentum sexaginta quinque sine quadrantis adjectione. Cujus Thoth primus necessario cœpit ab ortu Caniculæ, Sole in Leonem transeunte, novilunio. Quia observatio anni & temporum in Caniculæ ortu ab Ægyptiis statuebatur: eaque erat ipsis cursus Solaris Epocha. Et quamvis eorum Thoth laxis habenis in anteriora fugeret, tamen quarto quoque anno diem intercalabant, ut testatur Diodorus Siculus.....*

Id au-

Id autem fiebat hoc modo: Esto neomenia Thoth Kalendis Augusti, Canicula oriente: post quartum annum Thoth superatis Kal. Augusti ascendet in XXXI. *Iulii. Quare Ægyptiorum Hierophantæ, quinto anno ineunte, annum suum* ἱερογλυφικὸν *à secunda die Thoth auspicabantur.* Contra hæc ita disputat Petavius libro III. cap. II. *Multa deinceps commentitia vel incerta, neque probatione ulla stabilita de Ægyptiorum anno subjicit, quorum illud primum est: Ægyptios Hierophantas diem unum ex Iulianis quadrantibus intercalasse.* Sed rogo te, Petavi istud ne commentitium est, quod gravissimi Scriptores tradidere? An illud incertum ac nulla probatione stabilitum censeri debet, quod Diodorus Siculus, Strabo, & omnium longe peritissimus Horus Apollo confirmant? At inquis explicandi sunt scriptores. Bene quidem. Nec tamen contra verba propria, quod heic in Diodori verbis facis. Dixerat Diodorus de Thebanis, πέντε δ' ἡμέρας καὶ τέταρτον τοῖς δώδεκα μησὶν ἐπάγουσι. *Quinque dies & quadrantem duodecim mensibus addunt.* Id ita explicas: *Cum Ægyptii solarem cursum diebus* CCCLXV *& quadrante definiissent, tametsi quadrantem illum nunquam intercalarent; post quatuor annos intelligebant, Solem uno die solido in anteriora recedere.* (volebas dicere Neomeniam Thoth, neque enim Sol in anteriora recedit, quin potius post quatuor annos uno die tardior est) *ideo præter quinque dies quadrantem insuper tribuisse, hoc est Solis rationibus imputasse, Diodorus asserit. At illum ipsum diem tacita intercalatione servatum, neque probat Scaliger, neque probari unquam poterit. Innumera sunt apud Ptolomæum exempla observationum cælestium, in quibus anni Ægyptiaci dies accurate numerantur. Neque tamen diei hujus insititii uspiam meminit &c.* Optima sane explicatio & verbis Diodori exacte conveniens. Diodorus dicit Thebanos, quinque dies & quadrantem, duodecim mensibus, addidisse, quod quomodo factum sit Strabo & Horus explicant. Id vero tu negas. Imo ne tacita quidem intercalatione diem illum à Sacerdotibus observatum vis: sed saltem intellectum fuisse die uno Solis rationes anni epocha tardiores esse. Ergo secundum te ἐπάγειν, sive intercalare in anno non erit diem addere; sed saltem intelligere addi debere. At sic annus Ægyptiorum, aut saltem Thebanorum non CCCLXV dies habebit, sed saltem CCCLX; siquidem Diodorus verum dicat. Nam eadem vox & quinque dierum, & quadrantis intercalationem comprehendit. Dicit enim πέντε δ' ἡμέρας καὶ τέταρτον τοῖς δώδεκα μησὶν ἐπάγουσι. Si ἐπάγουσι heic non additionem, aut interkalationem, sed saltem defectus notitiam & cognitionem denotat, ergo eodem modo quo quadrans diei non additur, sed saltem ad rationes Solis pertinere intelligitur; ita etiam quinque dies ad annum non ad-

dendi erunt. Annus ergo Ægyptiacus, juxta te CCCLX dies habebit. Et hanc forte opinionem tibi tribuerem, nisi viderem te minus liberaliter Scaligerum habere, eo quod antiquis Ægyptiis talem tribuerat, quod tamen satis bene ex Plutarcho probat. Sed argumenta tua videamus, quibus fabulam hanc (ita enim heic loqueris; quam tamen postea in Auctario operis totidem, imo iisdem fere verbis proponis, quibus Scaliger, ac pro verissima ratione habes) redarguas. Duos tibi testes citas Ptolomæum & Geminum. At hic quidem nihil aliud dicit, quã Ægyptios aliam in festis celebrandis rationẽ fuisse secutos. Verba Gemini te citante hæc sunt. Οἱ μὲν γὰρ Αἰγύπτιοι τὴν ἐναντίαν διάληψιν καὶ πρόθεσιν ἐσχήκασι τοῖς Ἕλλησιν. Οὔτε γὰρ τοὺς ἐνιαυτοὺς ἄγουσι καθ' ἥλιον, οὔτε τοὺς μῆνας καὶ τὰς ἡμέρας κατὰ τὴν σελήνην, ἀλλ' ἰδίᾳ τινὶ ὑποστάσει κεχρημένοι εἰσί. βούλονται γὰρ τὰς θυσίας τοῖς Θεοῖς μὴ κατὰ τὸν αὐτὸν καιρὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ γίνεσθαι, ἀλλὰ διὰ πασῶν τῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ ὡρῶν διελθεῖν, καὶ γίνεσθαι τὴν θερινὴν ἑορτὴν καὶ χειμερινὴν καὶ φθινοπωρινὴν καὶ ἐαρινήν. ἄγουσι γὰρ τὸν ἐνιαυτὸν ἡμερῶν τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε. δώδεκα γὰρ μῆνας ἄγουσι τριακονθημέρους, καὶ πέντε ἡμέρας ἐπάγουσι. τὸ δὲ τέταρτον οὐκ ἐπάγουσι, διὰ τὴν προειρημένην αἰτίαν, ἵνα αὐτοῖς ἀναποδίζωνται αἱ ἑορταί. *Nam Ægyptii contrariam ac Græci sententiam & propositum secuti sunt. Neque enim annos ad Solem dirigunt, neque menses & dies ad Lunam, sed peculiari quodam fundamento nituntur. Student enim sacra Deorum, non iisdem anni repræsentare temporibus, sed ea ipsa omnes anni tempestates peragrare volunt: ut idem festum æstivum sit, & hibernum & autumnale, ac denique vernum. Annum quippe dierum observant trecentorum sexaginta quinque, menses vero duodecim tricenarios. Addunt his præterea dies quinque: neque quadrantem inserunt, ob eam videlicet causam, ut ipsis solemnia retrocedant.* At quid aliud dicit Scaliger? Refert Censorinus, Ægyptios in anno civili, juxta quam & sacra Diis faciebant, dies trecentos & sexagintaquinque numerasse; quadrantem vero non intercalasse. Ideoque dies mensium quovis quadriennio Solis rationes anticipasse. At eadem verba sunt Scaligeri. Sed addit hic in anno civili id obtinuisse; Sacerdotes vero alium annum ἱερογλυφικὸν habuisse, qui fixus esset; cujus initium jam quidem primo Thoth anni vulgaris conveniebat, sequenti vero quadriennio secundo Thoth: & sic consequenter. De hoc tacet Geminus, tacet item Ptolomæus. At mentionem illius facit, & Diodorus, & Strabo, & qui omnibus præstat Horus Apollo. Quorum verba ne Gemino adversa dicat, de Sacerdotibus Scaliger explicat. Idem ipsemet facis. lib. V. Variar. Diss. cap. V. ubi scribis: *Sic illud accipiendum est, quod de Epocha anni Ægyptiaci Horus, aliique prodiderunt, annum ab ortu caniculæ ad ortum alterum explicari.* *Hoc inquam ad arcanum & hiero-*

hierophanticum annum referri debet, non popularem. At si Diodori, Strabonis & Hori verba ita explicanda sunt, cur ergo male tractatur Scaliger? Iniquum est, ac indignum bono viro illud in altero carpere, quod ipsemet in te ipso probas. Equidem hæc tacitus præteriissem, memor humanæ imbecillitatis. Sed cum ex his manifestum sit, plus Scaligeri odium (à quo tamen omnes Christiani alieni esse debent) quam veritatis amorem apud te valuisse, dissimulari non debebant. Et hæc pro Scaligeri opinione dicta sunto. Ut vero omnia certius cognita sint, paulo altius exordiendum puto. Ægyptii, ut Plutarchus in Numa testis est, annos antiquitus habuere menstruos: inde quadrimestres. quod quomodo factum sit, cap. VI. hujus libri dictum est. Post diluvium vero illos annos usurpasse eos censeo quibus Patriarchæ usi sunt: qui talis quidem (juxta ea quæ eodem capite, ut & alibi dicta sunt) erat. Menses in anno XII numerabantur, qui omnes ex visione Lunæ dependebant. Quod si φάσις XXX die, non daretur, XXXI. à priori φάσει dies, erat primus mensis sequentis. Sed cum prudentes & cati homines viderent, incertam illam mensium annique rationem minime sapientibus viris dignam esse, certum mensibus annoq; modum constituerunt. Nam cum ex diutina observatione didicissent, Lunam sereno Cœlo non ultra XXX. à priori Phasi diem latere, mensem XXX dierum constituerunt. Sane Ægyptios juxta Lunæ rationes menses suos ordinasse, testis est Lucianus lib. de Astrologia, καὶ μηνῶν μὲν σφίσι μέτρον ἡ σεληναίη καὶ ἡ ταύτης ἀναστροφὴ ἐγένετο. ἔτεος δὲ ἠέλιος καὶ ἡ τοῦ ἠελίου περίφορος. *Atque hi quidem* (Ægyptii) *Luna ejusque conversione menses metiuntur; annum vero sole ejusque circuitu definiunt.* Lucianus de Ægyptiis loquitur, cum jam Epagomenas adderent, annumq; suum juxta Solis cursum exigerent, quibus tum menses in anno XII. erant omnes tricenarii. De his vero mensibus dicit, eorum mensuram & constitutionẽ ex motu Lunæ dependisse. Si ergo Epagomenæ quinq; demantur, annus Ægyptiacus Lunaris erit, non quidem verus, talis tamen qui ab Ægyptiis pro Lunari habitus sit. Lunaris namque annus est Systema XII. mensium Lunarium. Numerabant vero Ægyptii in anno menses XII omnes tricenarios, quos Luciano teste Lunæ rationibus convenire arbitrabantur. Ergo antiquitus Ægyptiorum annus Lunaris erat mensium quidem XII. dierum vero CCCLX præcise. Nam Epagomenas postea adjectas fuisse, testis est Eusebius in Chronico lib. I. qui ex antiquo quodam scriptore, & nisi fallor ex Manethone, ex quo omnia ea quæ ad Ægyptios spectant desumpsit, hæc citat.

Αἰγυπτίων ἐβασίλευσεν λβ' Ἀσὴθ ἔτη κ'. Οὗτος προσέθηκε τῷ ἐνιαυτῷ τὰς ἐπαγομένας, καὶ ἐπ' αὐτοῦ ὥς φασιν ἐχρημάτιζε τξε' ἡμερῶν ὁ Αἰγυπτιακὸς ἐνιαυτός, τξ' μόνον ἡμερῶν πρὸ τούτου μετρούμενος. *Ægyptiorum Regum XXXII regnavit Aseth annos XX. Hic adposuit anno dies interkalares, & illius temporibus, ut ajunt, annus Ægyptiacus CCCLXV dierum proditus fuit, qui antea CCCLX absolvebatur.* Idem Plutarchus in fabula illa de Mercurio & Luna indicat. εἶτα παίξαντα πεττείαν πρὸς τὴν σελήνην, καὶ ἀφελόντα τῶν φώτων ἑκάστου ἑβδομηκοστὸν δεύτερον, ἐκ πάντων ἡμέρας πέντε συνελεῖν, καὶ ταῖς ἑξήκοντα καὶ τριακοσίαις ἐπαγαγεῖν, ἃς νῦν ἐπαγομένας Αἰγύπτιοι καλοῦσι, καὶ τῶν θεῶν γενεθλίους ἄγουσι. *Inde Mercurius alea cum Luna ludens, partemque septuagesimam secundam singulis diebus detrahens, quinque inde dies confecit, & trecentis sexaginta diebus adjecit. Unde & Ægyptiis intercalares, sive adjectitii dicuntur, quibus etiam Deorum natales celebrant.* Propter Solis execrationem Rhea, neque anno, neque mense parere poterat. Mercurius igitur, ut Deæ opem ferret, quinque dies anno adjecit; & cum annus saltem dierum CCCLX esset, hi dies neque ad annum pertinebant, neque ad menses. Fabula quidem hæc est, ex qua tamen satis apparet, antiquum Ægyptiorum annum CCCLX diebus, sine intercalaribus appendicibus fuisse absolutum, quod etiam disertis verbis Eusebius indicat: ut antea vidimus. Et hanc anni rationem Ægyptiis iis temporibus in usu fuisse arbitror, quo Israelitæ illic hærebant. Quod ex Eusebio confirmatur. A Misraim namque primo Ægypti rege, ad Koncharum anni sunt septingenti. Ita enim scribit: ἀπὸ τοῦ πρώτου βασιλέως καὶ οἰκιστοῦ Μεστραΐμ τῆς Αἰγύπτου πληροῦνται ἔτη ψ', βασιλέων κε'. *A primo Rege & Regni Aegyptiaci fundatore Misraim, ad Konchari annum ultimum, anni sunt DCC, Regum XXV.* A Koncharo vero ad Aseth anni juxta eundem numerantur 224, qui cum reliquis faciunt 924 annos, qui à prima Regni Ægyptiaci fundatione, usque ad Epagomenon horum in usu civili adjectionem, effluxerint. Huic summæ si 100 anni addantur, qui à Diluvio ad divisionem terræ temporibus Phaleg effluxerant, prodeunt anni 1024. At exitus ex Ægypto contigit 872 annis post diluvium, ergo ducentis fere annis ante hanc emendationem. Sed aliud tùm ex Iosepho tum ex ipso Manethone concludi videtur. Aseth hunc sive 32 Regem Ægyptiorum apud Eusebium immediate sequitur Amosis sive Tethmosis, sub quo Pastores Ægypto ejectos fuisse, Manetho tomo secundo testatur, ex quo illud descripsit Josephus lib. 1. contra Apionem, qui etiam hoc de exitu filiorum Israel ex Ægypto explicat. Quod si verum est, utique statim ante exitum Intercalares isti adjecti erant. Sed nihil illud sententiæ nostræ derogat. Nam quia paucis

ante

ante exitum annis hæc emendatio contigerat; prior ratio quæ tot annis Ægyptiis in usu fuerat, magis Israelitis cognita erat, & forte apud plebem diutius in usu mansit, quæ eam sibi rationem non statim extorqueri passa fuit. Atque hic annus non vagus erat, sed aliarum gentium more fixus. Testis namque est Josephus libro I. Origin. cap. IV, Ægyptios antiquitus annum ab autumno inchoasse. Diluvium enim contigisse refert ἐν μηνὶ δευτέρῳ, Δίῳ μὲν ὑπὸ Μακεδόνων λεγομένῳ, Μαρσουάνῃ δὲ ὑπὸ Ἑβραίων. οὕτω γὰρ Αἰγύπτιοι τὸν ἐνιαυτὸν ἦσαν διατεταχότες. Μωϋσῆς δὲ τὸν Νισὰν ὅς ἐστι Ξανθικὸς μῆνα πρῶτον ἐπὶ ταῖς ἑορταῖς ὥρισεν. *mense secundo, qui à Macedonibus Dius ab Ebræis Marchesvan dicebatur. Sic enim Aegyptii annum ordinaverant. Moses vero primum mensem constituit Nisan, qui Xanthicus est.* Dicit Marchesvan Judaicum, sive Dium Macedonũ, qui secundus post æquinoctium autumni mensis est, numerari secundum mensem, qui tamen juxta Mosis rationes ac institutum octavus erat. Moses enim primum mensem Nisan constituit, qui vernum æquinoctium incidit. Sed id factum fuit ex instituto Ægyptiorum, quos ita annum ordinasse refert, ut secundus post æquinoctium autumni mensis, secundus quoque anni esset. Ergo Ægyptiis tum ab æquinoctio autumni annus incepit. Quod si verum est, vagus utique annus esse non potuit. Qui enim fixum initium habet, vagus esse non potest. Necesse ergo erat, ut in anno intercalarent, ne Epocham anni anteverterent, quod juxta antiquum morem ita factum existimaverim, ut mensis aliquando XXX dierum anno adderetur. Proxime ergo annus hic convenerit, cum vulgari Atheniensium, quamvis aliam in anno Epocham habuerit. Ab autumno enim annus Ægyptiacus antiquus inivit, ut ex Iosepho probavimus, quod ipsum & naturæ ipsi apprime convenire videbatur. Tempora namque sementis, priora sunt messe, ideoque & in anno antecedere debebant. Sementem vero faciebant Ægyptii Sole, jam libram tenente, quod ex Plinio lib. V. cap. IX. patet. Ergo & inde tempora deducenda erant. Sapientes vero Ægyptiorum cum viderent, id sua in terra contingere, quod nuspiam alibi unquam visum fuit, Nilum nempe fluvium quotannis ad XVI cubitos extra ripam ascendere, ac totam terram irrigare, causasque hujus rei accuratius inquirerent, Caniculam stellam lucidissimam, quæ sub nomine Sotheos Ægyptiis circa hoc tempus oriebatur, maximum hoc naturæ portentum efficere crediderunt. Quam ob rem stellam hanc pro Deo habentes, illius quoque tempora accuratius observare cæperunt. Unde & ab ortu hujus annum inchoarunt: & cum animadverterent, non eadem

hora

hora omnibus annis oriri, ſed ſecundo anno ſex horis poſt prioris anni viſionem, tertio vero horis 12, & quarto horis 18, quinto autem anno, integro die tardius videri, Cyclum ex quatuor hiſce annis conſtituerunt, in quo tres priores anni 365 dierum erant, quartus vero 366. Horus Apollo lib. I. cap. V. βουλόμενοί τε ἔτος εἰπεῖν τέταρτον λέγουσιν· ἐπειδή φασι, κατὰ τὴν ἀνατολὴν τοῦ ἄστρου τῆς Σώθεως μέχρι τῆς ἄλλης ἀνατολῆς, τέταρτον ἡμέρας προστίθεσθαι, ὡς εἶναι τὸ ἔτος τοῦ Θεοῦ τριακοσίων ἑξήκοντα πέντε ἡμερῶν, ὅθεν καὶ διὰ τετραετηρίδος περισσὴν ἡμέραν ἀριθμοῦσιν Αἰγύπτιοι, τὰ γὰρ τέσσαρα τέταρτα ἡμέραν ἀπαρτίζει. *Annum volentes dicere quadrantem nominant: propterea quod ab uno ſideris illius ortu, cui Sothis nomen eſt, ad alterum, quarta diei pars adjiciatur, ut annus Dei conſtet diebus* CCCLXV. *Vnde & quarto quoque anno vertente, ſupervacuum diem computant Aegyptii. Nam quatuor quadrantes diem perficiunt.* Annus vero talis ἔτος Θεοῦ, ſive Sotheos vocabatur. Cyclus vero quatuor annorum (qui eodem Horo teſte Aegyptiis in uſu erat) κύκλος κυνικός. Quod ſane magis naturæ convenit, quam illud quod Cenſorinus de Cyclo caniculari, & anno Dei ſive ἡλιακῷ narrat. Iniyit vero annus hic Sotheos à diebus æſtivis circa Solſtitium. Tum enim Nilus aſcendere cœpit. Plin. lib. V. cap. IX. *Incipit* (Nilus) *creſcere Luna nova quacunque poſt Solſtitium eſt, ſenſim modiceque Cancrum Sole transeunte, abundantiſſime autem Leonem, & reſidit in Virgine iisdem quibus accrevit modis.* A Solſtitio ergo, ſeu ſigno Cancri Aegyptii annum ſuum inchoabant. Porphyrius in antro Nympharum. Αἰγυπτίοις ἀρχὴ ἔτους οὐχ ὑδροχόος ὡς Ῥωμαίοις, ἀλλὰ Καρκῖνος· πρὸς γὰρ τῷ Καρκίνῳ ἡ Σῶθις, ἣν Κυνὸς ἀστέρα οἱ Ἕλληνές φασιν. *Aegyptiis vero initium anni non Aquarius eſt, ut Romanis,* (finis Ianuarii & Aquarii initium conveniunt, alias annus Romanus à Capricorni octava parte incipit, ſed Porphyrius integrum heic ſignum ſumit) *ſed Cancer: prope Cancrum enim Sothis eſt, quam Græci canis ſtellam dicunt.* Et ſane ad annum P. Jul. 3228. paulo poſt Exodum, oriebatur Sothis Heliace cum Cancro, idque in Aegypto ſub Latitud. 24 grad. Coſmicus namque ortus contigit cum 23. 53 Gemin. ut ex calculo patet. Idem & ſeculis quibusdam antea, verum fuit. Cæpit autem Canicularis hic Cyclus annorum quatuor, quinto anno Konchareos, ſeptingenteſimo autem poſt Miſraim primum Aegypti Regem, ut auctor eſt Euſebius, Chron. lib. I. Τούτῳ τῷ ἔτει τῷ εἰκοστῷ πέμπτῳ βασιλεύοντος Κογχάρεως τῆς Αἰγύπτου ἐπὶ τῆς ιϛ' δυναστείας, τοῦ κυνικοῦ γεγενημένου κύκλου παρὰ τῷ Μανεθῷ, ἀπὸ τοῦ πρώτου καὶ οἰκιστοῦ Μεσρὲμ τῆς Αἰγύπτου πληροῦνται ἔτη ψ'. *Hunc annum, quo, regnante in Aegypto Concharo Rege* XXV. *circa* XVI. *Dynaſtiam, Canicularis Cyclus inſtitutus eſt, Manetho numerat ſeptingenteſimũ, à primo regni Aegypticai*

iiaci fundatore *Misraim*. Sed hoc de doctorum hominum usu explicandum erit. Neque enim annus civilis tum 365 dierum erat, sed saltem 360. Si enim Solaris fuisset, cur ducentis demum annis post, Epagomenæ addi debebant; quod tamen factum fuisse Eusebius tetatur, ac disertis verbis asserit civilem Ægyptiorum annum 360 dieus, sine Epagomenis appendicibus, fuisse absolutum. Cum ergo nnus hic canicularis sive Dei, una cum suo Cyclo tetraëterico, diu pud solos Sacerdotes, & forte etiam Thebanos, in usu fuisset, denum etiam ab Aseth Rege Ægypti, ad civilia tempora mensuranda dhibitus fuit. Existimo autem Aseth hunc non quinque saltem Epaomenas, sed & quarto quovis anno, juxta sacerdotum institutum, inercalarem præterea unum addidisse. Annus namque Ægyptiorum civilis non vagus fuit, sed fixus. Quod disertis verbis Horus indicat: ὅθεν καὶ διὰ τετραετηρίδος περισσὴν ἡμέραν ἀριθμοῦσιν Αἰγύπτιοι, τὰ γὰρ τέσσαρα τέταρτα ἡμέραν ἀπαρτίζει. *Vnde & quarto quoque anno vertente supervacuum diem computant Ægyptii. Nam quatuor quadrantes diem perficiunt.* Et alibi τὸ γὰρ ἔτος κατ' Αἰγυπτίους τεσσάρων ἐνιαυτῶν. *Annus vero juxta Ægyptios quatuor annorum.* Manifestè indicat, Ægyptios (non solos Thebanos multo minus solos Sacerdotes) quovis quadriennio diem intercalasse. Id, temporibus Gemini, verum non erat. Tum enim civilis Ægyptiorum annus, quarto quovis anno, uno, in antecedentia, die retrocedebat, adeoque festa omnia per omnes anni tempestates vagabantur, ut antea dictum fuit. Ergo antiquus Scriptor Horus de antiquis temporibus erit accipiendus. Et antiquitus, non vaga, sed fixa festorum tempora fuisse Achilles Tatius testis est, lib. περὶ παντὸς, sive *de universo*, ubi ita scribit. Ποτὲ γὰρ Αἰγύπτιοι ἀπὸ καρκίνου ἐπὶ αἰγόκερωτα τὸν ἥλιον κατιόντα ὁρῶντες, καὶ ἐκ μακροτέρων σμικρύνοντα τὰς ἡμέρας, εὐλαβούμενοι μὴ κατὰ βραχὺ καταλείπῃ αὐτοὺς ὁ ἥλιος. Καὶ ἔστιν ὁ καιρὸς οὗτος ὁ παρ' αὐτοῖς τῶν καλουμένων Ἰασίων. Ἐπεὶ δὲ πάλιν ἀναβαίνειν ἤρξατο καὶ μακροτέρας ποιεῖν τὰς ἡμέρας, τηνικαῦτα λευχειμονοῦντες ἐστεφανηφόρουν. *Quondam Ægyptii, solem videntes à cancro ad Capricornum descendere, ac longiores contrahentem dies, lugere consueverant; veriti, ne paulatim Sol eos relinqueret. Quod tempus incidebat in Iasiorum festum. Simulatque vero conscendere cæperat, ac dierum spacia producere; tunc albati coronatique prodibant.* Vides Iasiorum festum, quo Ægyptii lugebant, ne Sol eos destitueret, fixum fuisse. Quod nec aliter esse poterat: quandoquidem si vaga tum anni ratio fuisset, luctus in lætitiæ tempus incidisset. Sed id quondam factum fuit. Posterioribus seculis veritas fabulis implicata est: & qui antea propter Solis abitum institutus fuerat luctus, postea propter Osiris absentiam (qui & Sol

Ægyptiis erat) quē anxie Isis quærebat, celebrabatur: ut Plutarchus in Iside & Osiride testis est. Et tū quidem ex fixa solemnitate vaga facta fuit, sicut ex Gemino patet. Imo annum antiquitus Ægyptiis fixum fuisse, omnes illi scriptores indicant, qui fixam anni Ægyptiaci Epocham agnoscunt. Inter quos antiquitatis peritissimus Porphyrius, hæc de Ægyptiis tradit, eos nempe non ab Aquario, ut Romani, sed à Cancro annum inchoasse. Verba antea adscripsi, quæ sane neque de Caniculari magno, (hic enim juxta Censorinum, qui etiam solus magni Canicularis anni Epocham tradidit, à xx Julii incepit, ideoque primū integrum signum, quod occurrit, Leonis est, non Cancri.) neque de fixo Actiaco explicari possunt. Et tamen de Ægyptiis, non solis Sacerdotibus, loquitur. Hi enim temporibus Theonis optimi Mathematici & harum rerum peritissimi, non à Cancro, sed à Leone annum auspicabantur. Quod ille his verbis testatur. Scholiis in Aratum pag. 19. ὅλον δὲ τὸ ἄστρον (τοῦ λέοντος) ἀφιερώκασιν ἡλίῳ· τότε γὰρ ἐμβαίνει καὶ ὁ Νεῖλος, καὶ ἡ τοῦ κυνὸς ἐπιτολὴ κατὰ ἑνδεκάτην ὥραν φαίνεται. καὶ ταύτην ἀρχὴν ἔτους τίθενται, καὶ τῆς Ἴσιδος ἱερὸν εἶναι τὸν κύνα λέγουσι καὶ τὴν ἐπιτολὴν αὐτοῦ. *Totum vero signum* (Leonis) *consecrarunt Soli. Tunc enim & Nilus ascendit & Canis oritur circa horam undecimam. Et hoc initium anni constituunt. Dicunt enim Canem ejusque ortum Isidi sacrum esse.* Vide integrum locum, ubi expressis verbis de Hierophantis agit, qui à Leone, non à Cancro, annum suum ἱερογλυφικὸν inchoabant. Intelligendus ergo erit de antiqua anni ratione. Quod si tum anni fixa Epocha erat, ergo & annus ipsemet fuit fixus. Quid huic sententiæ opponi possit non video. Stultum enim est, Geminum, qui de suis temporibus agit, antiquissimo Horo opponere, qui Ægyptios antiquitus fixum annum intercalasse manifeste indicat, ut jam dictum est. Nihil ergo verius est, quam Aseth hunc, fixum, & sicut tum tempora ferebant, plane Solarem annum in usum adhibuisse. Posterioribus vero seculis Ægyptii, sive sponte sua, sive à Chaldæis Persisve coacti, (neque enim illud certo dicere possum) intercalarem quarti anni omittere cæperunt. Et tum annus, antea fixus, vagus esse cœpit, & dies mensium per omnia tempora vagari. Neque tamen illud ab omnibus factum fuit. Quippe Thebani, apud quos scientia hæc temporum & anni intercalandi nata fuit, antiquæ rationi firmiter adhæserunt; quod Diodorus & Strabo manifestis verbis indicant. Quippe hi non de antiquis temporibus, sed de præsentibus loquuntur. Unde & talibus verbis utuntur. Τὰς γὰρ ἡμέρας οὐκ ἄγουσι κατὰ σελήνην, ἀλλὰ κατὰ ἥλιον, τριακονθημέρους μὲν τιθέμενοι τοὺς μῆνας, πέντε δὲ ἡμέρας καὶ τέταρτον τοῖς δώδεκα μησὶν

μησὶν ἐπάγουσι. καὶ τούτῳ τῷ τρόπῳ τὸν ἐνιαύσιον κύκλον ἀναπληροῦσιν. Vides Diodorum de re præsente loqui. Idem facit Strabo. Nam cum antiquitatem instituti monstrasset, statim indicat & tunc manere. Τούτων δέ ἐστι καὶ τὸ τὰς ἡμέρας μὴ κατὰ σελήνην ἄγειν, ἀλλὰ κατὰ τὸν ἥλιον, τοῖς τριακονθημέροις δώδεκα μησὶν ἐπαγόντων πέντε ἡμέρας κατ' ἐνιαυτὸν ἕκαστον, εἰς δὲ τὴν ἐκπλήρωσιν τοῦ ὅλου ἐνιαυτοῦ ἐπιτρέχοντος μορίου τινὸς τῆς ἡμέρας, περίοδόν τινα συντιθέασιν. *Ad totius vero anni complementum cum particula quadam diei excurrat, certam Periodum componunt.* Thebani ergo antiquum institutum sequebantur, & fixo anno utebantur, reliqui vago. Cum vero in vago anno observarent, initium Thoth sive primum diem primi mensis, nonnisi absolutis 1460 annis, ad terminum pristinum redire posse: Periodum ex annis his constituerunt, quam ideo Canicularem, imo & Solarem vocabant, quod nondum cognito προηγήσεως ἰσημερινῆς aut Sphæræ octavæ motu, existimarent, post tot annos primum Thoth, sive initium anni, & cum Sole, & cum ortu Caniculæ convenire. Quod tamen verum non erat. Annus quippe Solaris minor est 365 diebus & quadrante. In quo mirus est error Theodori Gazæ, qui existimat 1460 annis diem unum addendum esse, ut Solis rationes conveniant: quod plane falsum est, ac Philosopho indignum. Sed ridiculus est Leo Allatius, qui vanissimis ac scurrilibus maledictis, bono quidem viro indignis, pessimi vero ac malevolentis animi indiciis certissimis, Scaligerum insectatur, quod hunc Theodori Gazæ errorem his verbis castigaverit. (*Error magis in Philosopho quam Historico castigandus*) ne idem aliis contingeret, quod ipsi Theodoro factum fuit, ut nempe, sicut ille Dionis, ita alii, & Dionis & Gazæ auctoritate moti, consimilem errarent errorem. Sed Leo Allatius cum novi nihil haberet, quod scriberet, (quicquid enim de temporum mensura habet, quod ad mensium & annorum rationem proprie spectat, id omne ex Petavio hausit, si unum illud de anno Græcorum Solari excipias, quod quam ineptum sit, & sibimet ipsi contrarium, antea probavimus) ut aliquid tamen diceret ab aliis non proditum, novis scommatibus ac maledictis Petavii sententiam illustrare, vel potius dehonestare voluit. At quanto honestius fuisset, pietatis & Christianæ charitatis aliquam rationem habuisse: neque cum erroribus, quibus omnes nimium obnoxii sumus, una famam atque existimationem Boni Viri ac de literis optime meriti destruere conatum fuisse. Sed quisque suos patimur manes. Periodi vero hujus Canicularis meminit Censorinus, qui etiam centum annos ante illud tempus, quo aureolum illum de die natali libellum conscripsit, ini-

tium habuiſſe perhibet, atque à xxi Iunii incepiſſe, quo tempore Canicula in Ægypto exoriebatur. Sed cum, ut idem Cenſorinus refert, Periodus hæc ab ortu Heliaco Caniculæ ſive Sotheos, incipere debebat, Periodus utiq; 1460. annorum nondum finita erat. Ante an. namque 1460 Canicula in Ægypto heliace oriebatur v. Julii. Ergo à v. Julii. primus Thot, primi anni Periodi, incipere debebat. Non ergo Periodus Canicularis terminari poterat, antequam primus Thoh rurſum in v Julii incideret, quod non iſto anno factum fuit, quem Cenſorinus prodidit: tum enim xx Julii, & primus Thoth conveniebant, ſed annis fere ſexaginta poſt. Videtur Periodus hæc nullam plane certam Epocham apud Ægyptios habuiſſe, ſed cum traditum forte eſſet, à Caniculæ ortu hanc incepiſſe, nec fixarum motus cognitus eſſet, illud quod tum contigit, cum primus Thoth & ortus Caniculæ in Aegypto convenerunt, pro vero initio Periodi ſive anni magni Canicularis habitum fuit. Anno autem hocce vago Ptolomæus, & in Nabonnazaru, & in Philippeis annis utitur, ob quorum cognitionem & Methodus anni hujus accuratius tradenda erit. Sunt vero in anno Aegyptiaco menſes x i i. quorum nomina in adjuncto laterculo habes, tam Græca quibus Ptolomæus utitur, quam Arabica

توت	Thuth	Θώθ
بابه	Babe	Παωφὶ
هتور	Hathur	Ἀθὺρ
كيهك	Chiach	Χοιάκ
طوبه	Tube	Τυβί
امشير	Amſchir	Μεχείρ
برمهات	Barmahat	Φαμενώθ
برموده	Barmude	Φαρμουθί
بشنس	Baſchnes	Παχών
بوده	Bayne	Παυνί
ابيب	Ebib	Ἐπιφί
مسري	Meſori	Μεσορί
النسي	Niſi	Ἐπαγόμεναι

ſive Aegyptiaca, quæ nunc in uſu ſunt. Epagomenæ, Niſi ſive Serpens vocantur, eo quod illi ad complementum ſerpentis illius Hieroglyphici, qui tempus & æternitatem deſignat, accedant, ut Scaliger docet.

docet. Methodus vero anni certissime cognita erit, modo diem aliquem in anno Juliano habuerimus, cujus primus Thoth certo quodam anno Per. Jul. convenerit. Sic enim facile & ad antecedentia & consequentia tempora, anni Aegyptiaci ratio applicari possit. Refert autem Censorinus cap. XXI annum DCCCCLXXXVI. Nabonnazaru inivisse à VII. Kal. Jul. anno Juliano CCLXXXIII. qui est Per. Jul. 4951. Ex quibus illud concluditur, primum diem primi anni Nabonnazaru convenire cum 26 Februarii anni Per. Jul. 3967. quod ipsum postea ex Ptolomæo demonstrabitur. Quod si igitur ad antecedentia tempora, hæc ratio applicetur, deprehenditur Thoth Aegyptiacus primo An. P. Jul. convenire cum XIV Novembris. Et annis quidem 120 post, incipiet Thoth XV Octobris, & sic sequentibus annis juxta laterculum appositum. Methodus ergo hæc est. Annum quemcunque Periodi Julianæ unitate diminutum per 1460. divide, hoc est, integrum Cyclum Canicularem toties aufer quoties fieri potest. residuum per 4 divide; habebis quot dies Neomenia Thoth à XIV Novembris in antecedentia distat. Hos ergo dies à XIV Novembris aufer; habebis Neomeniã Thoth. Quod si numerus dierum XXX excesserit, sume pro XIV Novemb. XV. Octobris, si sexaginta, sume XV Septembris, & sic pro singulis 30, mensem unum in laterculo adjuncto progredere, & dies superfluos inde aufer. Residuum dabit Neomeniam Thoth. Exemplo res manifestior erit. Refert Ptolomæus lib. IV, Lunam defecisse Archonte Athenis Phanostrato, anno Nabonnazaru CCCLXVI Thoth XXVII, hor. 6. 30', à media nocte Alexandriæ. Contigit hæc Ecclipsis anno P. Jul. 4331. Decemb. XXIII. ut ex calculo patet. Primus ergo Thoth anni CCCLXVI convenit cum XXVII Novembris, An. P. Jul. 4331. Videamus quid Methodus nostra det. Aufer 2920, sive bis 1460, de 4330. remanent 1410. quæ per 4. divisa dant dies 352, quibus Thoth in antecedentia retrocessit. Divide hos 352 per 30. prodeunt menses tricenarii XI pleni, & dies 22. qui propter id auferendi

I.	XIV.	Novemb.
II.	XV.	Octob.
III.	XV.	Septemb.
IV.	XVI.	August.
V.	XVII.	Julii.
VI.	XVII.	Junii.
VII.	XVIII.	Maji.
VIII.	XVIII.	Aprilis.
IX.	XIX.	Martii.
X.	XVII.	Februar.
XI.	XVIII.	Januar.
XII.	XIX.	Decemb.

auferendi erunt à XII mense, cujus initium in adjuncto laterculo est XIX Decembris. Quod si 22. à XIX Decembris auferantur, prodit 27 Novembris, quæ est Neomenia Thoth, omnibus modis ut Ptolomæus refert. Rursum cap. VIII. Ptolomæus ait Lunam defecisse anno II. Mardokempadi, Nabonnazaru XXVIII, Thoth XVIII sequente XIX, sex primis & tribus secundis unius horæ æquinoctialis ante mediam noctem. An. XXVIII Nabonnazaru convenit cum 3994 Per. Jul. quo quidem An. Luna etiam defecit VIII die Martii circa mediam noctem, sicut à Ptolomæo traditum est. XVIII ergo mensis Thoth convenerit isto an. cum VIII Martii, & per consequens, Neomenia Thoth cum XIX Februarii. Hæc ex Methodo nostra ita se habent. An. 3993, si bini Cycli sive 2920 auferantur, remanebunt 1073. quæ per 4 divisa, dant dies 268. hoc est menses tricenarios 8. & dies 28. Tantum ergo Neomenia Thoth in antecedentia recessit. Auferantur ergo à nono mense, qui in laterculo incipit à XIX Martii, dies XXVIII. prodit Februarii XIX. à quo Thoth illius an. init, omnibus modis ut à Ptolomæo proditum est. Quod si præter menses nulli dies superflui sint, ipse dies, qui ad sequentem mensem in laterculo notatur, Neomeniam Thoth constituit. Ut verbi gratia, Anno Per. Julian. 4002. Thoth juxta analogiam incipit à XXII Februarii. Iuxta Methodum si à 4001 auferantur 2920, remanebunt 1081. quæ per quatuor divisa, dant dies 270, hoc est menses tricenarios 9 præcise, sine adjunctis appendicibus. Incipit vero decimus mensis, sive is qui nonum sequitur in laterculo à XVII Februarii; ergo ista est Neomenia Thoth. Cognita autem Neomenia Thoth facile erit reliquorum mensium initia investigare, tum aliis modis, tum per laterculum præcedens. Nam si Neomenia Thoth uni ex diebus istis, qui illic notati sunt, convenerit, etiam mensium reliquorum initia cognita erunt, si in eodem laterculo retro numeretur. Ut verbi causa: Cum ex antea dictis cognitum sit, Neomeniam Thoth convenire Februarii XVII, una cognitum erit, Neomeniam Paophi anno simplici convenire XIX Martii, Athyr XVIII Aprilis, Coiach XVIII Maji. & sic in sequentibus retro numerando. Notandum vero est, ubi ad finem tabulæ perventum est, ita ut rursum à XIX Decembris inchoandum sit, sequentibus postea mensibus detrahenda esse quinque, propter Epagomenas in tabula omissas. Ut verbi gratia cum Payni in dicto exemplo à XIV Novembris incipiat, sequitur etiam, Epiphi à XIV Decembris incipere debere, & Mesori à XIII Januarii. At juxta Laterculum, Epiphi convenit cum XIX Decembris, & Mesori cum

XVIII

XVIII Januarii. Quinque ergo detrahenda ſunt. Quod ſi primus Thoth in laterculo non inveniatur, differentia inter diem illum, qui in laterculo proxime minor eſt, & verum diem Thoth, ſequentium menſium initiis addita Neomenias monſtrabit. Memineris vero & heic Epagomenas auferre ſicubi ad finem tabulæ perventum fuerit. Ptolomæus capite IX. refert Lunam defeciſſe an. CCLVII Nabonnazaru, XXXI. An. Darii primi ſive Hyſtaſpis, Tybi die III, ſequente IV. quæ Ecclipſis contigit An. P. Jul. 4223, Aprilis XXV, circa horam 9. poſt meridiem. Et tum ſane III dies Tybi Aegyptiis erat. Thoth enim inivit à XXIV Decembris, An. P. Jul. 4222. ut ex Methodo patet. Jam vero in tabula ad Decembrem menſem adſcriptus eſt XIX dies. Differentia ergo eſt 5 dierum, quæ addita ad XVIII Aprilis, quo Tybi in laterculo incipere debebat, dat XXIII Aprilis. Neomeniam Tybi adeoque III. dies Tybi eſt XXV Aprilis. Hac ergo unica Methodo ad omnia tempora annos menſesque Aegyptiacos applicare poteris. Anni vero Alexandrinorum Actiaci tales plane erant, quales antiquorum fixi. Quippe quarto quovis An. non quinque, ſed ſex Epagomenas ſive Intercalares numerabant. De Epocha vero hujus in ſequentibus dicendum eſt. Nunc de Chaldaico anno agemus.

Cap. XVII.

Annus Chaldæorum antiquus & civilis plane Judaicus erat. Menſes enim à viſione: annus à meſſe incipiebat. Probatur illud ex Ptolomæo. Qui explicatur. Sarorum, Neirorum & Soſorum Chaldaicorum origo & definitio, ex qua infinita illa annorum multitudo, quæ in Chaldaicis antiquitatibus perſcripta eſt, commode explicatur. Anni Perſici ratio & Epocha.

SI illa ânni ratio antiquiſſima omnium ſit cenſenda, quæ & ſimpliciſſima eſt, & antiquiſſimis gentibus uſurpata: Judaica, qua nec ſimplicior nec vetuſtior alia dari poteſt, talis merito habenda erit. Etenim hac non ſolum Judæi verum etiam horum ὁμόγνιοι Chaldæi (ex quibus Pater gentis Judaicæ Iſaac orlundus erat, ſicut de ipſo canit Orpheus:

ὐ γάρ κέν τις ἴδοι θνητῶν μερόπων κραίνοντα
Εἰ μὴ μουνογενής τις ἀπορρὼξ φύλου ἄνωθεν
Χαλδαίων ------

quæ

quæ verba de Isaaco aut Abrahamo explicanda esse contextus docet) usi sunt. Erat vero Judaici an. ratio talis, prout illa à nobis in prioribus demonstrata est. Menses in an. XII quorum Neomeniæ à φάσει sive visione Lunæ dependebant. Si XXX. die φάσις non daretur, XXXI dies erat Neomenia mensis sequentis. Mensium atque anni initium à messe ducebatur, quæ in Oriente verno tempore contingebat. Quod si Plenilunium primi mensis messem anteverteret, An. prior XIII mensium constituebatur. Quamvis vero obscura admodum antiqui hujus anni apud Chaldæos indicia sint: illud tamen satis certo demonstrare possumus, initia mensium à visione; annorum autem à vere dependisse. Quo probato, & illud una cognitum erit, mensem intercalarem aliquando ὡρίων ἕνεκεν adjectum fuisse. Adeoque demonstratum erit, Chaldæos eandem plane anni rationem habuisse quam Judæi. Tres vero apud Ptolomæum observationes sunt in quibus annorum Chaldaicorum mentio fit. (Plures equidem apud eundem sunt à Chaldæis acceptæ, nec tamen ad hanc de qua loquimur, sed ad Aegyptiacam, sive vagam rationem, quam etiam Chaldæorum Astrologis in usu fuisse verisimile est, applicatæ.) Earum duæ exstant lib. IX. cap. VII. *sive de demonstratione Apogæi Mercurii pag. 232 edit Græcæ*: ἔτει μὲν γὰρ οέ κατὰ Χαλδαίους Δίου ιδ' ἑῷος ἐπάνω ἦν τοῦ νοτίου ζυγοῦ...... καὶ ἔστιν ὁ χρόνος κατὰ τὸ πεντακοσιοστὸν ιβ' ἔτος ἀπὸ Ναβονασάρου, κατ' Αἰγυπτίους Θὼθ θ' εἰς τὴν ι' ὄρθρου. καθ' ὃν ὁ μέσος ἥλιος ἐπεῖχε Σκορπίου μοίρας ε ς'. *Anno namque* LXXV *Chaldæorum, Dii mensis* XIV, *Mercurius matutino tempore conspiciebatur supra Lancem austrinam* ...... *Est vero tempus hoc annus* DXII *Nabonnasaru*, IX *mensis Thoth Ægyptiaci sequente* X. *mane. Quo tempore medius Solis motus erat 5. grad. 6' Scorpii.* An. DXII. Nabonnazaru est Per. Jul. 4478. cujus Thoth incipit à XXI Octobris an. præcedentis P. Jul. 4477, sicut ex methodo, superiori capite proposita, patet. IX ergo Thoth est XXIX Octobris, & per consequens primus Dii XVI Octobris. Rursus eodem capite scribit: ἔτει γὰρ ξζ' κατὰ Χαλδαίους Ἀπελλαίου ε' ἑῷος ἐπάνω ἦν τοῦ βορείου μετώπου τοῦ Σκορπίου ...... ἔστι γὰρ καὶ οὗτος ὁ χρόνος κατὰ τὸ φδ' ἔτος ἀπὸ Ναβονασάρου, κατ' Αἰγυπτίους Θὼθ κζ' εἰς τὴν κη' ὄρθρου &c. *Anno autem* LXVII *juxta Chaldæos Apellæi mensis die* V. *matutinus observatus est Mercurius, supra borealem frontis Scorpii* ..... *Tempus autem hoc convenit cum anno* DIV *Nabonnasaru die* XXVII *mensis Thoth Ægyptiaci sequente* XXVIII *mane.* Thoth an. DIV Nabonnasari inivit à XXIII Octobris, an. Per. Jul. 4469. XXVII. ergo Thoth convenit cum XVIII Novembris, & per consequens primus Apellæi incidit in XIV Novembris. Tertia denique

denique obſervatio exſtat lib. xi. cap. vii. ſive περὶ τῆς διορθώσεως τῶν περιοδικῶν τοῦ Κρόνου κινήσεων. *De ordinatione motuum Periodicorum Saturni.* ubi ita ſcribit: τῷ πβ´ ἔτει κατὰ Χαλδαίους, Ξανθικοῦ ε´, ἑσπέρας, ὁ τοῦ Κρόνου ἀστὴρ ὑποκάτω ἦν, τοῦ νοτίου ὤμου τῆς παρθένου, δακτύλους δύο. ὁ μὲν οὖν χρόνος ἐστὶ κατὰ τὸ φιθ´ ἔτος ἀπὸ Ναβονασάρου, κατ' Αἰγυπτίους, Τυβὶ ιβ´, ἑσπέρας. *Anno* lxxxii *juxta Chaldaos, Xanthici menſis die* v. *veſperi, ſtella Saturni obſervata eſt duobus digitis infra auſtralem humerum Virginis. Tempus autem convenit* dxix *anno Nabonnaſaru,* xii *die menſis Tybi juxta Ægyptios, veſperi.* Annus Nabonnaſaru dxix convenit An. P. Jul. 4484. quo quidem Thoth incipit xx Octobris. Unde xii Tybi convenit cum xxviii Februarii An. P. Jul. 4485, feriæ ii. & per conſequens i. Xanthici incidit in ipſum diem intercalarem xxiv Februarii feriam v. Ex hiſce tribus exemplis colligimus, menſes, adeoque & annos ipſos Chaldæorum, non Solares fuiſſe, ſed Lunares. Nam ut primus Dii menſis conveniat cum xvi Octobris, & primus Xanthici ſive vi menſis cum xxiv Februarii, id in anno Solari nunquam contingere poteſt: Lunari autem poteſt, ut ex calculo patet. Neomenia namque Dii contigit Babylone xvi Octobris minut. 52′ poſt med. noctem, An. P. J. 4477. Nabon dxii. Xanthici vero contigit an. P. J. 4485. xxiv Februarii hor. 6. 16′. poſt med. noctem. Nec tamen accuratus an. Lunaris cenſeri poteſt. Neomenia namque Audynæi contigit an. P. Jul. 4469. xii Novembris, hora poſt med. noct. 20 gr. 2′. hoc eſt Babylone, juxta noſtrum numerandi morem, xiii Novemb. hora 0. min. 54. poſt med. noct. Nec ex Calippica ratione ullum nobis ſubſidium peti poteſt, quippe quæ iſtis temporibus cum mediis Lunæ motibus quam proxime conveniebat, ut ex plurimis apud Ptolomæum exemplis patet. Nihil ergo aliud reſtat, quam ut ad ritum antiquiſſimum, Judæis & Arabibus, Chaldæorum finitimis, uſitatiſſimum confugiamus, juxta quem Neomeniæ à viſione Lunæ dependebant. Et ſic quidem juxta ea quæ antea diſputata ſunt, omnia recte ſe habebunt. Diximus enim in Methodo an. Judaici, Lunã poſt undecim à jugo horas (juxta Scripturarios, qui maximè experiẽtiis nitũtur) videri poſſe. Imo quod amplius eſt, Talmudici poſt ſex horas videri poſſe contendunt. Ita enim in Gloſſa cap. vii. Tract Kidus Hahodes Majemonidis ſcribunt: נולד קדם חצי היום בידוע שנראה היום קדם שתשקע החמה שאין הלבנה מתכסה מבני ארץ ישראל כי הם במערב אלא שש שעות לאחר הדשה *Si in coitu fuerit ante meridiem, certum eſt eodem die apparituram ante Solis occaſum, quoniam Luna non abſconditur ab incolis terræ Iſraelis, quod Occidentales ſint, amplius ſex horis poſt innovationem.* Quod ſi Lunam non viderent, xxx à priori viſio-

visione dies Neomenia erat. Ita ergo cum Neomenia Dii 52 minutis post med. noctem contigerat, videri omnino poterat die XVI Octobris, juxta Chaldæos. Idem in XXIV Februarii locum habet, in quo Neomenia constituta indicat Lunam, isto die, aut saltem nocte ingruente, visam fuisse. Novembri vero procrastinata Neomenia indicat visionem propter nebulas pluviasque fuisse impeditam. Unde non juxta illius mensis φάσιν Neomeniam ordinare poterant, sed juxta prioris. Prioris autem mensis Neomenia erat XV Octobris. Novilunium namque contigit Babylone XIV Octobris 12. hor. 10'. post merid. Ergo Luna isto die videri non poterat. Sequens ergo dies primus mensis erat. à quo XXXI dies est XIV Novembris, qui, quando φάσις haberi non posset, pro Neomenia habitus fuit, ut in An. Judaico à nobis dictum est. Ex his ergo manifestum est, Neomenias mensium, apud Chaldæos, à phasi dependisse. Et id quidem non recens natum est, sed longe antiquissimum. Neque enim credibile est, Chaldæos, qui præ omnibus aliis gentibus indefessam siderali scientiæ operam navabant, tum simplicissimam hanc anni rationem instituisse, aut in usum civilem recepisse, cum ipsimet accuratiorem ac longe pulchriorem cognitam haberent. Multo minus verisimile est à Macedonibus hanc fuisse acceptam. Neque enim illi aliis id dare poterant, quod ipsi non habebant. At Macedonum menses non à phasi, sed jugo incipiebant, ut cap. XIV dictum est. Quod igitur antea conclusimus, Macedonum menses postquam in Orientem penetràverant varie fuisse immutatos, & ad cujusq; gentis instituta accommodatos, id heic locum habet. Et apud Judæos quidem Lunares manserunt, tales tamen qui juxta institutum gentis, non à Syzygia, sed visione inciperent. Idem apud Chaldæos obtinuisse, nunc probavimus. Nihil ergo certius est, quam Chaldæos antiquissimam anni rationem in usu civili fuisse secutos, quod & Epocha anni confirmat. Neque enim dubium est, quin anni hi Chaldaici illi sint quos Græci Seleucidarum, Orientales Terik Dhilcarnaim vocant, quique à Seleuci imperio procedunt, quando ille Babyloniam receperat, &, Nicanore Antigoni duce superato, Mediam, Susianam aliasque provincias sibi subjecerat. Quod Diodorus contigisse refert Olympiad. CXVII An. primo sive P. Jul. 4402. Et ab Octobri hujus anni Albategnius Epocham Δυλίξαντος auspicatur, ut ex plurimis apud eundem exemplis patet. Initium ergo Annorum Chaldaicorum, in autumno An. 4402 constitui debebat, siquidem Macedonum Epocham secuti fuissent. Sed sicut finitimi ipsorum Judæi, Arabes & Syri ab æquinoctio verno initium

initium anni duxerunt, ita id ipsum Chaldæi fecisse videntur. Cum ergo Macedones Seleuci annos à Macedonica Epocha, hoc est autumno fuissent auspicati, Chaldæi suum institutum secuti, à sequenti vere illos exorsi sunt. Liquet illud ex iis exemplis, quæ antea adduximus. An. P. Jul. 4477, XXIX Octobris, fluebat An. Dhilcarnaim, sive Seleucidarum LXXVI. qui ab autumno illius anni inceperat. At juxta Chaldæos numeratur saltem LXXV. Ac ne quis in mense uno aut altero discrimen esse existimet, An. Per. Jul. 4485 (cujus Februarii XXIV, fluebat An. Seleucidarum 83) numeratur saltem à Ptolomæo & Chaldæis 82. Manifestum ergo est, ante vernum tempus anni sequentis 4403 octuagesimum tertium non fuisse inchoatum. Atque id ipsum Judæis quoque, qui in terra Israelis erant, observabatur. His enim anni Græcorum, qui hi ipsi Chaldæorum anni sunt, à vere ineunt, non ab autumno, sicut ex primo Machabæorum demonstratur. Ex his igitur patet, antiquissimam illam anni civilis rationem, quam cap. X. proposuimus, ipsis quoque Chaldæis ab antiquis temporibus fuisse observatam: & integro post Alexandrum Magnum seculo durasse. Cum vero anni hujus incerta ratio esset; antiqui Chaldæi, qui Astronomiæ studiis vacabant, quique varias in Sole ac Luna observationes laterculis inscriptas ad posteros transmiserunt, aliam rationem adinvenerunt, juxta quam temporum quantitatem ac distantiam à se invicem certius cognitam habere liceret. Ex solidis enim diebus 3600. Systema maximum composuerunt, quod Sarum vocarunt. Eo minor Neirus erat dierum 600, & hoc Sosus dierum 60. Sed cum in Chaldaicis libris scriptum esset ימים, (quod verbum & dies & annos denotat, ut 1. Sam. 1. v. 3. ימים ימימה *quovis anno*, vel ut Dani mei propriissime hanc phrasin exponunt *aar efter aar*, & passim alibi) Chaldæi qui veram quidem rationem optime cognitam habebant, sed quod viderent Græcos vanis opinionibus esse inflatos, ut horum arrogantiam retunderent, & sibi summam antiquitatem vindicarent, quæ & jure ipsis tribuebatur, pro diebus annos posuere, Græcisque persuaserunt, ita vocem hanc in Archivis Chaldaicis esse exponendam. Atque ex horum mente scribit Abydenus apud Eusebium Chron. lib. 1. Σάρος δέ ἐστι Γ, καὶ Χʹ ἐτῶν. Νῆρος ϛ Χʹ, Σῶσος ϛ ξʹ. *Sarus vero est* 3600 *annorum. Neirus vero* 600. *Sosos autem* 60. Atque hinc incredibilis illa annorum multitudo prodiit, quæ à primis Babyloniorum observationibus ad Alexandri in Asiam transitum ac captam Babylonem numeratur. De qua ita scribit Cicero lib. 1. de Divinat. *An contemnamus etiam Babylonios, & eos, qui ex Caucaso cœli sidera servantes, nu-*

meris & motibus stellarum cursus persequuntur? Condemnemus eos aut stultitiæ, aut vanitatis, aut imprudentiæ, qui quadringenta & septuaginta annorum millia, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent. Eadem habet Diodorus Siculus lib. 11. Bibliothecæ, sed paulo accuratius perscripta. Περὶ δὲ τοῦ πλήθους τῶν ἐτῶν, οὐκ ἄν τις ῥαδίως πιστεύσειεν. ἐτῶν γὰρ ἑπτὰ καὶ τετταράκοντα μυριάδας καὶ τρεῖς ἐπὶ ταύταις χιλιάδας εἰς τὴν Ἀλεξάνδρου διάβασιν γεγονέναι καταριθμοῦσιν ἀφ' ὅτου τὸ παλαιὸν ἤρξαντο τῶν ἄστρων τὰς παρατηρήσεις ποιεῖσθαι. *De multitudine vero annorum referentibus Chaldæis vix facile quisquam fidem habuerit. Numerant namque quadringenta & septuaginta tria annorum millia ad Alexandri transitum, ab eo tempore, quo primum apud eos astra observari cœperunt.* Sed qui non contentionis studio, sed amore veritatis Chaldæos consulebant, iis simplex ac nuda veritas proposita fuit. Sic optimus & antiquissimus scriptor Berosus Chaldæus, roganti Callistheni, optimo Philosopho ac sapientissimo viro, veram gentis ac observationum antiquitatem indicavit, quę annorum erat 1903, Simplicius in lib. 11. de Cœlo. διὰ τὸ μήπω τὰς ὑπὸ Καλλισθένους ἐκ Βαβυλῶνος πεμφθείσας παρατηρήσεις ἀφικέσθαι εἰς τὴν Ἑλλάδα, τοῦ Ἀριστοτέλους τοῦτο ἐπισκήψαντος αὐτῷ. ἅστινας διηγεῖται ὁ Πορφύριος χιλίων ἐτῶν εἶναι καὶ ἐννακοσίων τριῶν μέχρι τῶν χρόνων Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος σωζομένας. *Propterea quod nondum observationes illæ cælestes, quas Aristotelis mandato Callisthenes Babylone misit, in Græciam pervenerant, quas quidem annorum fuisse mille nongentorum trium auctor est Porphyrius, ad Alexandri Macedonis usque tempora servatas.* Vides, quod alii ex Chaldæorum archivis prodiderunt tempus quadringentorum & septuaginta millium annorum continere, id Berosus ante mille saltem & nongentos annos cœpisse refert. Non ergo iidem anni utrobique sunt intelligendi. Sed observandum est Chaldæos multas observationes habuisse non juxta Saros, sed juxta annorum rationem consignatos, quos cum antiquis permiscuerunt. Ideoque facilius imperitis Græcis imponebant, existimantibus eosdem annos utrobique intelligi debere. His ita præcognitis facillime hæc annorum ratio inter se confertur. Videntur enim observationes hæ juxta civilem annum notatæ initium suum habuisse annis quibusdam ante solutum, à Medis, Assyriorum imperium. Ac fingamus 611 illud annis ante Alexandrum contigisse. (fingere enim Mathematico licet, modo phænomena, commode, illa Hypothesi, salvari possint) quod tamen quam bene veritati consonum sit, postea videbimus. Ablati ergo 611 à 473000, residui manent 472389. qui per 365 ¼ dies ad annos reducti, dant annos 1292, & dies præterea superfluos 243. quod indicat, rotundum numerum à Chaldæis adhibi-

tum

tum fuisse; aut saltem plures ex ultimo Saro dies non effluxisse antequam aliam anni rationem adhiberent. Et hi anni 1292 cum superioribus 611 collecti dant prædictam summam annorum 1903, quibus observationes à Chaldæis factas Berosus refert. Hæc certissima Sarorũ explicatio est, ex qua ea explicanda sunt, quæ de antediluvianorum Regum annis ex Beroso, Abydeno aliisque apud Eusebium citantur, quæ quam belle tum cũ Historia sacra conveniant, sequenti libro videbimus. Equidem Sarorum hanc rationem primus Scaliger explicare conatus est, sed infelici successu. Petavius vero eandem plane præterit. At qui doctrinam temporum tradere volet, non ea saltem exponere debet, quæ clara sunt ac recentia, sed etiam antiqua ac obscura, cum ista maximè doctrina hac indigeant. Nec solum aliorum opiniones refutabit, (quid enim facilius, præsertim in materia tam obscura?) sed propriam quoque sententiam proferet. Duplex ergo temporis mensura apud Chaldæos antiquos in usu fuit, una incerta, altera certa. Hanc in vulgari usu observabant: illam in cælestium φαινομένων designatione, & Regũ annis. Prior annus erat, qui duodecim aut XIII mensibus constabat; menses autem nunc XXX, nunc XXIX dierum erant. Utriusque ratio incerta, & ad ea indicanda, quæ ex certissima temporum consignatione maxime dependebant, plane inepta. Altera certa erat, in qua minima mensura duorum fere mensium spacium æquabat. Erat enim dierum 60, & Sosus vocabatur. Numerus hic per 10 multiplicatus Neirum dabat, quadratè vero sive in se ductus, Sarum. Habet enim Neirus dies 600 sive decies sexagenos, Sarus vero 3600 sive sexagies sexagenos, qui maxima mensura erat. Sicut vero Chaldæi ipsimet per se sapientiæ studiis vacabant, ita quoque aliis sapientibus operam dabant, ac eorum inventa suis rebus applicabant. Habuit namque Oriens plurimos sapientes, Indi quidem suos Gymnosophistas & Brachmanes, Persæ autem suos Magos, (ex quorum numero celeberrimum illum Zoroastrum fuisse arbitror,) Arabes vero & Syri suos Prophetas, (quorum unus Bileam,) Madianitę vero & Ægyptii suos sacerdotes, (inter quos Iethro & Putiphar, ille Mosis, hic Josephi socer.) Atque hi sapientiæ studia inter se conferebant, ac præcepta ejusdem à se invicem accipiebant. Atque ita Chaldæos sive sapientes Babyloniæ à Persis annum solarem vagum accepisse arbitror. Circa annum namque Per. Jul. 3577, Persæ anno vago uti cæperunt, quod ex fragmento quodam Isaaci Monachi, quod ex Bibliotheca Palatina exscripsit Christmannus, liquet. Verba fragmenti hæc sunt: Ἡ τῶν Περσικῶν χρόνων σύστα-

σύστασις γέγονε τοῖς ἐκεῖσε μαθηματικοῖς κατὰ τὸ πρῶτον ἔτος Ἰασδαγέρδου Σαρίου Μαστρὰ βασιλέως Περσῶν Περσικοῖς χρωμένοις τοῖς ἔτεσι. Ἔστι δὲ τοῦτον ἔτος μετὰ ἔτη ςρλη´ ἀπὸ τῆς τοῦ κόσμου παραγωγῆς, ἀρχόμενον ἀπὸ τῆς μεσημβρίας τῆς ἐν τῇ Νουμηνίᾳ τοῦ παρὰ Πέρσαις Φαρυαρτῆ, καὶ πρὸς τὸν διὰ Τυβήνης Περσικῆς πόλεως μεσημβρινόν, κατὰ μῆκος ἀπέχουσαν οβ´ ἀπὸ τοῦ νιζαὴρ χαλιτάτ, ὥς φασι Πέρσαι, τουτέστιν ἀπὸ τῆς δυτικῆς ἄκρας θαλάσσης. κατὰ Πέρσας δὲ οἱ μῆνες ὀνομάζονται οὕτως. Φαρυαρτῆς, Ἀρτιπέες, Χορτὰτ, Τυρμὰ, Μερτὰτ, Σαχριὺρ Μεχερμὰ, Ἀπενμὰ, Ἄδερμα, Δῆμα, Πελμαν, Ἀσφανδάρημα, Μασιαρχὰ, ὃν φασιν οἱ Ἕλληνες ἐπαγόμενον. Ἔστι δὲ καὶ παρ' αὐτοῖς ὁ ἐνιαυτὸς τξε´ ἡμερῶν μόνων, ὥσπερ καὶ παρὰ Αἰγυπτίοις, ἑκάστου μηνὸς παρ' αὐτοῖς λογιζομένου ἡμερῶν λ´, καὶ ε´ τῶν ἐπαγομένων. ὡς συμβαίνειν, ἐξ ἀνάγκης, κατὰ δ´ ἔτη τὸν τῶν Περσῶν ἐνιαυτὸν προλαμβάνειν τὸν κατὰ Ῥωμαίους ἡμέρᾳ μιᾷ, διὰ τὸ κατὰ δ´ ἔτη τὸν κατὰ Ῥωμαίους ἡμερῶν γίνεσθαι τξς´. Ἐν ὅλοις δὲ αυξ´ ἔτεσιν ὁλοκλήρῳ Περσικῷ ἔτει καὶ πάλιν ἅμα τὴν ἀρχὴν τοῦ ἔτους ποιεῖν Πέρσας τε καὶ Ῥωμαίους. μετὰ δὲ παραδρομὴν δ´ ἐνιαυτῶν αὖθις ἄρχεσθαι τοὺς Πέρσας προλαμβάνειν ἡμᾶς ἡμέρᾳ μιᾷ, καὶ ἑξῆς πάλιν ἀκολούθως. γέγονε δὲ ἡ εἰρημένη διὰ αυξ´ ἐτῶν ἀποκατάστασις ἀπό τινος ἀρχῆς χρόνου πρὸ τζ´ ἐτῶν τῆς ἀρχῆς τοῦ Ἰεσδαγέρδου βασιλείας· ὡς ἐκ τούτου πάλιν τοῦ χρόνου τὴν ἀρχὴν εἰληφέναι τοὺς Πέρσας κατὰ δ´ ἔτη τῇ ἡμέρᾳ μιᾷ προλαμβάνειν ἡμᾶς. *Persicorum Canonum compositio facta est illic à Mathematicis primo anno Iasdagerdi Sarien Mastre Regis Persarum Persicos annos usurpantibus. Fuit autem is annus 6138 post orbem conditum, incipiens à meridie Neomenia mensis, qui Persis dicitur Pharvatre, secundum Tybena Persica urbis Meridianum, qui distat à ntzaer chalilat, ut loquunitur Persa, hoc est ab extremitate occidentali maris, grad.72. in longitudinem. Iuxta Persas vero menses ita nominantur Pharvartes, Artipees, Chortat, Tyrma, Mertat, Sachriur, Mecherma, Apenma, Aderma, Dema, Pelman, Asphandaremath, Masiarcha quem Graci Intercalarem vocant. Est vero apud ipsos annus solummodo 365 dierum, sicut & apud Ægyptios: quivis vero mensis apud eos habet dies 30. Epagomena vero sunt quinque. Propter hoc necesse est, ut Persarum annus quarto quovis anno Romanorum annum uno die anticipet, propterea quod Romanorum quartus quisque annus dies habeat 366. Annis vero 1460 integro anno Persico anticipat. Rursum vero post quaternum annorum transcursum incipiunt Persæ diem anticipare, & sic consequenter. Contigit vero dicta hac mille quadringentorum & sexaginta annorum restitutio à quodam temporis initio, trecentis & septem annis ante initium regni Iezdagerdi: ut tum rursus Persa inceperint quarto anno post illud tempus nos uno die anticipare.* Universam anni rationem accuratissime exposuit, quæ ab Aegyptiaco vago nihil plane differt. Nomina saltem mensium alia sunt. Dicit vero, ἀποκατάστασιν in magno Cyclo Persico annorum 1460 contigisse trecentis & septem annis ante initium Jezdagerdi.

Ipse

Ipſe vero primum annum Iezdagerdi numerat à mundo condito juxta computum Græcorum Conſtantinopolitanum 6139. Ἀποκατάστασις ergo facta eſt anno Mundi 5832. juxta Per. Conſtantinopolitanam. Diximus vero antea in methodo Per. Conſtantinopolitanæ, dato anno Per. Conſt. pro inveniendo anno Per. Jul. adferenda eſſe 795. Id ſi heic fiat, prodit An. P. Jul. 5037. à quo detractus integer Cyclus dat annum Per. Jul. 3577. à quo Periodus Perſica inivit, centum annis antequam vagus annus à Chaldæis in uſum reciperetur. Satis ergo veriſimile eſt, Chaldæos hujus anni uſum à Perſis didiciſſe, de quo nihil certi affirmare auſim. Chaldæos vero vago anno fuiſſe uſos, inde colligi poſſe videtur, quod apud Ptolomæum anni Nabonnazaru ſemper vagi ſint. Quicquid ſit, vagi Chaldæorum anni in Hiſtoria, aut temporum ratione, perexiguum uſum habent. Ideoque nec plura de his dicemus; cum illa quæ maximè ſcitu neceſſaria ſint antea pertractaverimus.

Atque ita rationem temporum præcipuis gentibus uſurpatam, divina ope & auxilio ſuffulti explicuimus; omniaque ea quæ ad noſtri argumenti explicationem pertinere poterant accuratius expoſuimus, quo ab Tironibus rectius ea intelligi poſſent, quæ in ſequentibus ſunt demonſtranda. Equidem ſi de anno Arabico, ſive Muhammedico, ac de Indiarum annis aliquid dixiſſem, tota forte temporum ratio hinc peti poſſet. Sed cum ad noſtrum inſtitutum non pertineant, de iis heic nihil dicere voluimus. Hoc ergo primo libro finito, ad ſecundum pergimus, in quo Nobiliſſimæ Epochæ ac maximè celebres temporum indices nobis ſunt demonſtrandi. Hactenus enim tempus in ſe ipſo, tam in ſua natura, quam juxta variarum gentium inſtituta conſideravimus: nunc ea examinanda ſunt, quæ in tempore geſta ſunt. Equidem omnia quæ vaſtiſſimo hoc cœli terræque ambitu circumſcribuntur, tempus ſuum habent. Terra enim, aſtra omnia, ipſumque adeo cælum, ſi Philoſophis credimus, juxta certum tempus moventur. Sed & omnes res naturales, quæ noſtro huic globo inſunt, temporis imperium agnoſcunt. In plantis enim & arboribus alia ſunt tempora florum, alia frugum fructuumque. In animalibus vero, ipſoque homine, alia infantiæ, alia juventutis, alia denique ſenectutis. Sed hæc ad naturalem ſcientiam, non temporum doctrinam ſpectant. Nam quæ ſemper eodem ſe modo habent, temporum doctrina non indigent. Actiones vero humanæ aliaque quæ præter ſolitum naturæ ordinem contingunt, aut omnino à naturæ actionibus non dependent, heic conſiderantur. Nam cum illa omnia ab hiſtoria pertractentur,

tur, etiam temporum notis indigent, ut veritas earum certa ſit ac indubitata. Bene enim à Stoicis dictum, χρόνος ἐστὶ ἡ κατόρθωσις πραγμάτων καὶ τήρησις. *Tempus eſt norma rerum & cuſtodia.* Unde illa quæ certis temporum characteribus in antiqua hiſtoria carent, inter fabulas habentur. Hæc tamen omnia pertractare, nec noſtræ opis eſt, nec inſtituti. Vaſtiſſimi id operis eſt, nec paucarum pagellarum, quale hoc noſtrum. Faciemus ergo quod vulgo ſolent, & ex infinita multitudine, paucas, ſed maxime nobiles variarum gentium actiones caſusque ſeligemus, quibus demonſtratis, omnia quæ inde dependent, una demonſtrata erunt. Nec tamen per omnem hiſtoriam vagabimur: ſed cum de annis Chriſti argumentum ſit, ulterius non progrediemur. Adſis Ieſu,& fave propter nomen tuum ſanctiſſimum & ſuaviſſimum.

FINIS LIB. I.

WIL-

WILHELMI LANGI
DE
ANNIS CHRISTI
LIBER SECVNDVS.

Caput I.

Proœmium de Chriſtiani hominis felicitate. Ex temporum doctrina feliciſſime ac validiſſime, & Gentiles & Iudæi refutantur.

CUm divinus Pſaltes Pſalmo 144. varias felicitates recenſuiſſet, quas humanum genus tam in privatis, quam publicis rebus ſibi exoptat, deque his omnibus pronunciaſſet, fortunatum eſſe populum iſtum cui hæc obtingant: poſtea alio epiphonemate ſemetipſum quaſi corrigit, & diſcurſum hunc ita concludit: *At beatus is populus eſt cui Dominus eſt Deus.* Et ſane inter omnia ea quæ ab hominibus inter felicitates numerantur, nihil per ſe bonum aut utile eſt iis, qui divina cognitione deſtituuntur. Quamvis enim earum rerum copia, quas animo expetimus, magna nos voluptate afficiat: hæc tamen ſolida eſſe non poteſt: cum & breviſſime duret, & memoria viciſſitudinum & calamitatum humanarum identidem vitietur. Qui vero ſummum illum cœli terræque Dominum, pro Deo & Patre habent, iis nihil unquam adverſi obtingere poteſt, quo felicitas illorum violetur. Quicquid enim ipſis acciderit perſuaſum habent ab Deo id immitti, Patre omnium benigniſſimo, quique optime novit ſuis omnia in bonum convertere. Ideoque maximo hoc in adverſis ſolatio ſe ſuſtentare poſſunt, afflictiones nempe has non diu duraturas, ſed ſi non antea, at ſaltem cum morte finem habituras; ſibi vero poſt mortem maximam ac perpetuam felicitatem in cœlis manere. Inter omnes vero mortales nemo eſt qui hac felicitate frui poterit, niſi qui Chriſtum cognitum habeat. Deum

enim nemo unquam vidit, unigenitus autem qui est in sinu Patris Christus IESUS, ille nobis eum exposuit. At si nemo Deum novisse sine Christo poterit, consequens est, ut hi soli felicitatem hanc consequantur, qui Christum Iesum pro unigenito & æterno Dei filio agnoscunt, eique in spiritu & veritate serviunt. Unde patet, maximam inter omnes Christiani hominis felicitatem esse, quandoquidem is solus in mediis calamitatibus ac miseriis longe maximis lætari & gaudere possit. Quæ cum ita sint, opera nobis omnibus danda erit, ut & maximam hanc felicitatem consequi, & perpetim eadem frui queamus: quod quidem nobis eveniet, si in fide Iesu Christi permanserimus. Equidem nostrarum id non esse virium satis scio. Deus enim est qui & voluntatem largitur, & potentiam ad bona efficienda, quique solus nos in bono confirmare potest. Nihilo tamen secius nobis incumbit, ea per Dei gratiam præsidia salvis rebus comparare, quibus adversarii, si forte ingruant, repelli possint. Sunt vero hi duûm generum, vel enim creaturam pro Creatore colunt, & Pagani sive Gentiles appellantur: vel ipsum quidem Creatorem adorant, quia tamen Mediatorem Dei & hominum, hominem IESUM Christum contemnunt, etiam à Deo spernuntur, & hi Iudæi sunt. De Muhammedanis & his nihilo melioribus Photinianis, nunc non disputo. Hi enim scripturas admittunt: illi Christum pro magno Propheta habent, ideoque alia via iis erit occurrendum. Gentiles vero & Iudæi, ipsum fidei principium negant, atque illi quidem universam Scripturam, hi Novum Fœdus quod Veteris complementum est, rejiciunt. Si ergo his urgentibus ratio fidei nostræ reddenda erit, ac σοφίσματα atque argutiæ quæ ab ipsis opponi solent, feliciter explicandæ: primo demonstrandum est, principia fidei nostræ esse certa ac αὐτόπιστα. Id ubi factum fuerit reliqua salva erunt. Et cum Iudæis quidem minus negocium esse videtur, eo quod illi Vetus Testamentum (ex quo Novum demonstrari potest) admittant. Cum gentilibus vero magis impedita ratio esset, siquidem illi utrumque æque rejiciant, nihilque apud eos concessum sit. Sed si accuratius hoc ipsum expendamus, deprehendemus ex iisdem principiis, utrosque refelli. Etenim antiquissimi & doctissimi Patres quibus cum Gentilibus maxime negocium erat, in id omnem operam contulerunt, ut ex Philosophicis principiis demonstrarent, suas de rerum origine aliisque omnibus assertiones maxime rationi consentaneas esse, Gentilium vero, ineptas & ridiculas. Sed cum isto parum proficerent, acutissimis ac subtilissimis Philosophis, qui istis temporibus inter Gentiles

erant,

erant, varie argumenta ipſorum eludentibus, & demum maximam religionis Ethnicæ antiquitatem, omnium gentium conſenſu probatam opponentibus; ad aliud confugerunt, atque ex antiquiſſimorum hominum, Ægyptiorum, Chaldæorum, Phœnicum aliorumque archivis demonſtrarunt, Moſem Iudæorum legiſlatorem ipſis Græcorum Diis antiquiorem eſſe: eaque quæ ab ipſo ſunt perſcripta cum antiquiſſimarum gentium hiſtoriis ac traditionibus convenire. Atque ita ex temporum ratione validiſſimum argumentum deduxerunt, quo Gentilium calumnias feliciſſime diluerunt. At vero ex hoc eodem principio Iudæi quoque validiſſime refutantur. Quod cum Magiſtri probe cognitum habeant, maledictione quadam miſeros à temporum computatione deterrent, aliis quoque cœlo interdicentes quo ipſimet intrare nolunt. Verba Ionathanis ſunt, Codice Sanhedrin cap. כל ישראל ſive x I. תיפח עצמן של מחשבי קיצין שהיו אומרין כיון שהגיע את הקץ ולא בא שוב אינו בא· *Inflata rumpantur oſſa eorum qui Periodos temporum computant. Solet enim ita contingere ut quum adeſt terminus nec venit promiſſio, homines dicant nunquam venturum.* Diſputat ibi de adventu Meſſiæ, cur non venerit? jam enim tranſivit Regnum Aſſamonæorum, Herodis & Barcochebæ, & tamen nondum advenit. Quibus hæc verba ſubjungit Ionathan, atq; locum Habacuc Prophetæ huc detorquet: אם יתמהמה חכה לו כי בא יבא ולא יאחר *Si cunctabitur, expecta illum, veniens enim veniet nec emanebit.* At ipſimet Magiſtri, inter quos celeberrimi Akiba & Samlæus temporum Periodos computabant, ut ex eodem loco patet. Et inſignis eſt ſycophantia Iudaica in loci Prophetici citatione. Debebant enim priora verba una examinari. כי עוד חזון למועד ויפח לקץ ולא יכזב אם יתמהמה *Nam adhuc viſio eſt ad tempus conſtitutum, & effabitur in termino nec mentietur. Si cunctabitur* &c. (Senſus manifeſtus eſt.) Quamvis Deus tibi tardare videatur, tamen nondum tempus ipſius advenit. Nam adhuc viſio eſt ad tempus conſtitutum. Quando vero terminus viſionis ac illud tempus advenerit, de quo Deus in viſionibus locutus eſt: apparebit ipſum minime mentitum fuiſſe. Quocirca, quamvis tibi tardare & moras nectere videatur, tamen exſpectare debes ac illud tempus præſtolari, de quo Deus locutus eſt. Ipſe enim veniens veniet, nec emanebit. Quæ profecto diverſa ſunt ab iis, quæ bonus ille Ionathan adducit. Sed quid faceret? Magiſtri priores, qui cognitum habebant Meſſiam ſtante templo ſecundo venturum, cum viderent talem qualem ſperaverant, non adveniſſe, variis explicationibus ac argutiis Prophetarum verba obſcurare conati ſunt. Has cum hic videret futiles

& ineptas esse, aliam viam ingressus est, & miseros à veritatis inquisitione plane deterruit. Sane nihil in Veteris Testamẽti scriptis uspiam exstat, ex quo accuratius ac firmius demonstrari possit, Messiam iis temporibus Iudæis datum fuisse, quo noster Servator dulcissimus IESUS Christus, verus ille Messias ac Dei & hominum Mediator in Iudæa visibiliter conversabatur; quam ex Prophetiæ Danielis cap. IX. Cętera quidem omnia variis modis eludere, & ad suum Messiam, quem adhuc exspectant, applicare possunt: hoc vero unicum testimonium os ipsis obturat, ut plane conticescant & obmutescant. Manifestum ergo est & Gentiles & Iudæos ex eodem principio refellendos esse, quod quidem ex temporum ratione desumitur. Id cum antiqui Patres optime cognitum haberent, egregiam temporum doctrinæ operam navarunt, variarumque gentium historiis ac temporibus erudite inter se collatis id de quo loquimur, demonstrare sunt conati. Atque in hunc finem Stromatei à Clemente Alexandrino sunt conscripti. In hunc finem opus illud Africani, quod ἱστορικὸν inscribitur, fuit concinnatum, ex quo Eusebius plurima ac fere omnia in suum Chronicon transtulit. Nobis vero qui de annis Christi Servatoris disputamus, quasi ex debito quodam incumbere arbitror, ea tempora quæ salutarem Iesu Christi in carnem adventum præcedunt, paucis percurrere: ut non solum suavissimi Servatoris adventus, sed etiam earum Scripturarum veritas, quæ de Messia nostro testantur, manifestior evadat.

CAP. II.

Epocha Orbis Conditi. Non autumno, sed vere Mundum creatum esse, contra Scaligerum & Petavium demonstratur. Quo tempore Iudæi juxta Parasas legem in Sabbathis prælegere cæperint.

CUM æternæ ac infinitæ bonitati, juxta decretum sapientiæ suæ, placuisset, benivolentiam ac benignitatem suam cum aliis communicare: prodiit ex incomprehensibili luce, & verbo virtutis suæ universum hoc cum omnibus, quæ in eo continentur, ex nihilo condidit. Cœperunt tum omnia ea esse, quæ nunc sunt, tam invisibilia, quam visibilia. Ipsumque adeo tempus, quo nihil in his omnibus antiquius est, verum initium ac principium suum habuit. Nam cum

antea,

antea nihil uſpiam fuiſſet, præter ipſam æternitatem, Deum æternum ac infinitum, cui omnia ſimul ſunt, nec temporum intervallis diſtinguuntur: nunc finitis rebus creatis quæ variis viciſſitudinibus ſunt ſubjectæ, ipſum quoque tempus, juxta quod alia ſunt priora, alia poſteriora, initium habuit. Unde divinus Moſes ita narrationem myſterii hujus exorditur: *In principio creavit Deus cœlum & terram.* Hinc ergo omnis temporis initium ac primordium dependet. Et cum, ut dictum eſt, tempus triplex ſit, dies (ex quo hebdomas) menſis & annus: & hebdomadum, & menſium, & annorum principium, heic conſtitui debet. Erit ergo *principium* hoc, quo Deus omnia creare cœpit, primusque ille dies, quo lucem condidit, & primus dies primæ hebdomadis; & primus dies menſis primi; & primus dies anni primi. Neque enim dubium eſt: quin Adamus, tempora ſua ab hoc principio numerare inſtituerit: quod ipſum ex Scripturis patet. Quippe Adamus non illum diem primum numeravit, quo ipſemet conditus eſt, ſed Dei ſapientiam ſequutus illum pro primo habuit, quem Deus viæ ſuæ initium eſſe voluit. Id ſicut in ſeptimanis, ita & in menſibus & in annis verum erat. Neque enim aliunde horum initia peti aut ſumi poterant. Atque illud ita ab Adamo obſervatum poſteriſque traditum, ſequentes poſtea ſerique Nepotes diligenter obſervaverunt, tam poſt diluvium, quam ante. Et cum populus Iſraëliticus Ægyptiorum morem ſequutus, aliunde anni initium peteret, monitu Dei per Moſen ad priſtinum exordium retractus fuit. Atque ſic Niſan, qui principio primus menſis fuerat, antiquum locum obtinuit. Sed de hac re magna eſt inter doctos controverſia. Viri enim undiquaque doctiſſimi, Scaliger & Petavius, hujus Doctrinæ Principes, non Niſan menſe, ſed Tiſri, Orbem conditum, dicunt. At ſi Scripturæ ductum, rectamque rationem, ac conſentientes antiquorum auctoritates ſequamur; manifeſtum erit non Autumno, ſed vere id contigiſſe. Quod tum certius cognitum erit, ſi prius demonſtraverimus, argumenta quæ ab altera parte adducuntur, partim falſa eſſe, partim nihil ad rem facere. Scaligeri verba hæc ſunt, lib. v. de emendat temporum. *Deinde quæ temeritas eſt, initium rerum inſtituere diverſum ab initio Ebræorum priſco? Primus menſis in hiſtoria diluvii incipit ab autumno, Tekupha anni dierum eſt in autumno, Lectionarium vetuſtiſſima conſuetudine incipit ab autumno....... Accedit priſcorum Ægyptiorum ſententia, quæ mundi initium ſtatuit in ultimis partibus Libræ.* Petavius unicum illud argumentum profert, quod à Tekupha anni deſumitur. *Movet me*, inquit, *ut ita ſentiam potiſſimum iſtud, quod ante Moyſem anni*

caput erat in autumno. Etenim Exod. XXIII. *jubet Moyses Tabernaculorum festum celebrari* בצאת *in exitu anni.* At primum illud probari debebat, diluvium nempe autumno cæpisse. Dissentiunt enim de his ipsimet Iudæi, & R. Iosue verno tempore, R. Elizer autumno id factum tradunt. Sed horum auctoritas tanti non est. Posteriores enim sunt Christi temporibus, nec ex certis principiis aut traditionibus, sed saltem ex ratione argumenta deduxerunt. Berosus vero Chaldæus, & ex eo Abydenus & Polyhistor, nobilissimi & antiquissimi Historici, ex Chaldæorum archivis tradunt, non autumno sed vere illud contigisse: quod etiam Mosis narrationi optime convenit. Ipse enim narrat Diluvium, secundo mense incepisse. At in tota Scriptura, secundus mensis nunquam est Marchesvan, sed semper Iiar. Quod ex inductione omnium exemplorum constat, ut verè concludere queamus, dissimile exemplum in toto Veteri fœdere nuspiam dari. Solent Theologi si quando de loco quodam scripturę lis est, ad ipsam Scripturam sacram provocare, & vocis quidem, ut & φεάσεως genuinum sensum ex Concordantiis, quas vocant (quæ voces illas quoties & ubi in scripturis extent, statim exhibent) eruere. Rerum autem veritatem ex Locis similibus, sive Paralellis, quæ de iisdem agunt. At ego heîc in hujus phraseos explicatione ad id ipsum provoco. Scripturæ sane nemo melior interpres esse potest, ipso Spiritu Dei, in aliis locis id manifestis verbis exponente, quod alibi obscurius dictũ fuerat. Atqui in scripturis mensis primus, secundus, &c. nunquam ab autumno, semper à vere numeratur. Quid ergo sequendum est? Istudne, quod ex Scripturis & antiquissimorum hominum antiquissimis, & ipsi pene renato mundo coævis archivis demonstratur, an quod ex recentiorum dissentientibus ac plane sibimet ipsis contrariis opinionibus proponitur? Fateor, recentiorum sæpe relationibus fidere cogimur, quando melioribus destituimur. Sed tum non iis credimus qua recens natis, sed qua ex antiquorum libris & traditionibus (quæ nobis tempus invidit) sua depromserint. Quod si ergo novus quidam antiquis sine majori auctoritate, aut firmioribus rationibus obloquatur, rejiciendus est. Sin vero antiqui sileant, posteriorum assertio omnino admittenda erit, nisi aliunde falsitatis convincatur. Atque id præcipuè si constet scriptorem minime vanum fuisse, aut fabulosum, nec ex suo cerebro hæc deprompsisse, sed iis præsidiis instructum, quibus nos caremus. Et hoc tum alibi tum maxime in hac temporum doctrina diligenter erit observandum. Initium anni Iudaici quod attinet, de eo ne ipsimet quidem Iudęi conveniunt.

Anni

Anni enim quorum in veteri fœdere mentio fit, juxta mentem Iudæorum à vere ineunt. Et hoc tempus toties in libris Samuelis, Regum & Chronic. vocatur תקפה השנה *conversio sive initium anni*, quo Reges ad bellum egredi solebant, quod verno tempori omnino cōvenit. Tam ergo in Scriptura quam in Josepho anni omnes Iudæorum à vere incipiunt. Mosis vero locum quod attinet, accommodat se ibi ad intellectum & usum istorum hominum, quibus loquebatur. Israelitæ enim qui tum primum ex Ægypto exiverant, Ægyptiorum anno adhuc utebantur, nec tam citò usum hujus, cui tamdiu assueti erant, sibi extorqueri passi sunt. Namque Mosen ipsum non Ægyptiorum more ab autumno, sed à Vere annum inchoasse, Josephus testis est, lib. I. Orig cap. IV. Imo & ex scriptura idipsum probatur. *Mensis hic Nisan erit vobis mensium initium.* Exod. XII. At si mensium, ergo & anni. An enim Iudaicus ex mensibus constabat. Si ergo An. Mosis à Tisri incepisset, Nisan utique non primus sed sextus fuisset. Sed ut antea dictum fuit, Ægyptii non traditionem, sed sui soli naturam secuti, illud tempus, anni finem constituerunt, quo diluvium Nili terminaretur, quod autumno contingebat. Vide quæ de anno Ægyptiorum dicta sunt. Alii vero, ut Arabes, Syri, sive Assyrii & Chaldæi, non ab autumno, sed à vere annum suum exorsi sunt. Ut Simplicius in V. Physicorum Aristot. testatur. Nec aliter illi facere poterant, qui juxta tempus finiti Diluvii, annos suos numerabant. Ex quibus & quartum argumentum, sive de Ægyptiorum opinione dissolvitur. Neque enim hanc ex traditione habebant: sed cum audiverant mundum post diluvium aliquod magnum de novo quasi conditum esse: viderentque quovis anno diluvium in suis terris contingere: illud tempus anni, orbis reparati, initium fuisse arbitrati sunt, quo sua terra aquis plane liberata sementi iterum apta esset. Imo quantum ipsimet Ægyptii huic assertioni tribuerint, inde patet, quod aliis ac plane diversis opinionibus hanc eandem everterint. Proclo enim teste, libro IV. in Timæum Platon. Ægyptii (quibus solis Canicularis Cyclus observabatur) horoscopum mundi Cancrum fecerunt, eo quod Lucida Canis cum signo Cancri oriatur. Διὸ καὶ λέγουσιν ὡροσκόπον εἶναι τοῦ κόσμου τὸν Καρκῖνον· καὶ καλοῦσι τὸν ἐνιαυτὸν τοῦτον κυνικόν· διότι τῷ Καρκίνῳ συνανατέλλει τῶν ἀπλανῶν λαμπρὸς ἀστὴρ ὁ τοῦ κυνός. Et Porphyrius in Antro Nympharum: Αἰγυπτίοις ἀρχὴ ἔτους οὐχ ὑδροχόος ὡς Ῥωμαίοις ἀλλὰ Καρκῖνος, πρὸς γὰρ τῷ Καρκίνῳ ἡ Σῶθις, ἣν Κυνὸς ἀστέρα οἱ Ἕλληνες φασίν. Νουμηνία δ' αὐτοῖς ἡ Σώθεως ἀνατολὴ γενέσεως κατάρχουσα τῆς εἰς τὸν κόσμον. Quod ergo ex Ægyptiorum opinione adducitur, alia eorundem assertione evertitur.

Tertium

Tertium vero argumentum, quod ex vetustissima consuetudine Iudæorum deducitur, qui Lectionarium ab autumno incipiunt, nihil concludit. Etenim nec à Mose, nec à Iosua, nec quoquam Iudicum, definitum fuit, quantum quovis Sabbatho in lege esset legendum, aut quo tempore anni legis lectio rursum de novo esset inchoanda. Equidem mandatum à Mose fuit, ut verba, & liber legis semper Populo Israelitico in oculis esset: sed de publica illa in Synagogis recitatione, juxta certas Parascioth & divisiones, is nullum plane verbum facit. Primus Iosaphat Rex principes suos emisisse legitur, quibus Levitas adjunxerat, qui per omnes civitates Iuda circumambulando plebem in lege Dei instituebant. Librum enim legis semper secum habebant. 2. Chron. XVII. v. 7. seq. Unde patet iis temporibus non ordinarias legis prælectiones fuisse. Post captivitatem vero Esdras peritus ille Scriba legem in partes has distribuisse videtur, & rationem hanc lectionis instituisse, quæ nunc observatur. Et quia septimo mense legem tum prælegere inceperat, Nehemiæ cap. VIII. ab isto tempore postea semper legem inchoarunt, idque à Sabbatho illo quod festivitatum dies proxime excipiebat, quod eo anno in XXIV diē mensis septimi sive Tisri incidebat, Nehemiæ c. IX. hoc est Sabath Bereschit. Hæc vera Lectionarii origo est, ex quo frustra tempus orbis conditi eruitur. Sed hæc pluribus demonstranda essent, si diductos nos esse liceret. Manifestum tamen est, argumenta quæ pro autumnò adducuntur, aut falsa esse, aut impertinentia. Contra quæ verno tempori id assignant, & rectæ rationi, & naturæ rerum optime conveniunt. Diluvium, ut postea ex Beroso demonstrabimus, contigit mense secundo post æquinoctium vernum, ut manifestum sit verba Scripturæ ita esse explicanda. Nec uspiam aliter explicari aut debent, aut possunt. Quod si verum, ergo juxta Scaligeri & Petavii assertionem, & verno tempore mundus conditus erit. Saltem enim id argumentis suis probare conati sunt, Diluvium autumno cæpisse: ex quo concludebant, mundum eodem tempore anni conditum. Sed & si naturam sequamur, vernum tempus orbis creationi maxime conveniens erit. Imo necessariò id sequitur. Deus enim antequam hominem conderet, ea primum omnia præparavit, quæ homini ad victum essent necessaria. Inter omnia vero quæ primo homini ad victum cedebant, panis ex frumento primum locum habet. At frumentum in Babylone, ubi primus homo degebat, nullum circa autumnum erat, sed circa ver. Quippe circa vernum tempus fruges omnes, & quarundam arborum fructus in terra Israelis, Ægypto & Baby-

Babylonia matura erant. Philo Iudæus de vita Mosis; ἐπειδήπερ ἀμφοτέροις ὅσα ἐκ γῆς τελεσφορεῖται, ἔαρι μὲν ὁ τοῦ σίτου καρπὸς καὶ τῶν ἄλλων ὅσα σπαρτά, &c. Et in Talmude inter alias causas intercalationis recensentur fructus arborum minus maturi, qui tempori verno convenire debebant. Vide quæ de anno Iudaico antea diximus. Et sanè ipsa natura indicare videtur, verno tempore omnia condita esse. Tum enim omnia reparantur, & quasi renovantur; omnia ad generationem novamque creationem se præparant. Contra autumno omnia emoriuntur ac languida sunt: ut vere Vergilius, Georg. II. dicat:

Non alios prima crescentis origine mundi
Illuxisse dies, aliumve habuisse tenorem
Crediderim. Ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis - - - - - - - - - -

Responderi solet, id quidem nunc ita esse, rebus omnibus juxta naturę ordinem se habentibus; at tum aliam rationem fuisse, quandoquidem Deus infinita sua potentia tũ omnia condiderit. At non animadvertunt illi, qui ista dicunt, novam se naturam ac à prima illa, quam principio Deus condidit, plane diversam fingere. Itane ergo alia ratio tunc erat, quam quæ nunc est? At Deus hanc naturam quæ nunc est, tum creavit; ac qualis tum creata fuit, talis semper mansit, & adhuc manet. Adeoque juxta eundem ordinem, qui principio in rebus constitutus fuit, omnia adhuc se habent. Neque enim Deus postea Naturæ ordinem immutavit; sed saltem primam illam conservavit, atque adhuc conservat. Nam ideo arbores & herbas creavit, in quibus semen suum esset, ut potentiam haberent tempore debito fructus edendi. Verno igitur tempore orbis conditus est: idque primo die, primæ hebdomadis, primi mensis, ac primi anni. Unde Adamus hinc tempora sua numerare incepit, quem Posteri, adeoque ipse Noachus sequutus, annum diluvii, non à terrarum inundatione, sed ab hoc ipso tempore quo An. Adamicus inciperet, inchoavit. Duos ergo temporum characteres heic habemus, ex quo dies primus nati mundi dignosci debet: erit namque primus dies mensis Nisan & primus hebdomadis: quod sane multum facit ad verum annum investigandum. Numerat vero Moses ab orbis conditu ad Adami mortem annos 930, ad Diluvium vero 1656. inde ad Exodum annos 882. ut postea probabimus. Ab Exodo ad quartum Salomonis completum anni colliguntur 480. Inde ad XIV Ezechiæ, anni 302: ad templum vero & Hierosolyma combusta & vastata à Nabuchodonosore, anni 428. Capta autem & combusta est Civitas cum templo An. Per. Jul 4117.

ut postea certissime demonstrabimus. Ædificatum vero est templum An. Per. Jul. 3689. Exodus vero contigit An. 3210. Per. Jul & Diluvium An. 2328. Adamus vero excessit An. Per. Jul. 1602. ut postea suis locis demonstrabitur. Mundi ergo initium incidet, vel in annum 672, vel 673. Nam si Adami anni pleni sunt, initium mundi conveniet An. 672. sin minus 673. Sed character creationis non convenit 673 anno, sed 672. Neomenia enim Nisan, hoc est principium anni incidit in feriam sextam, non in feriam primam. An. autem 672. Neomenia Nisan, sive primus dies primi mensis & anni, incidit in feriam primam, sive diem primum primæ hebdomadis. Adeoque hoc verum temporis & mundi initium est. Scio Scaligerum & Petavium in multis annis dissidere. Ille enim 92. hic 58 annis tardior est. Sed hujus differentiæ in sequentibus causa dabitur. Orbis ergo conditus est An. Per Jul. 672. Aprilis XXX. primo die mensis Nisan, feria prima hebdomadis, Cyclo Solis XXVIII, Cycl. Lunæ VII. Ind. XII. An. Per Const. 1467, Cyclo Solis Græcor. XI, Cyclo Lunæ IV. Atque eo quidem An. Apogæus locus Solis erat in primo gradu Arietis, juxta tabulas Parisinas. Ex quo Longomontanus annum orbis conditi demonstrare conatur. Sed vereor ne illud nimis incertum sit cum de Apogæi motu:

Astrologi certent & adhuc sub Judice lis sit.

Nos certiora secuti sumus. Nam si verum ac certum illud est, quod supponimus ac volente Deo in sequentibus demonstrabimus, Adamum quidem nongentesimo & trigesimo anno ætatis expleto decessisse, An. Per. Jul. 1602. Diluvium vero contigisse absolutis à creatione mundi annis 1656. An. Per. Jul. 2328: utique verum & illud erit, Orbis conditi annum. Per. Jul. 672 numerari debere.

CAP. III.

De fœdere Dei cum hominibus antediluvianis. Quid sint filii Dei Gen. 6? Causa Diluvii. De civitatibus & regibus ante diluvium. Horum initium. Berosus & Abydenus explicati & notati. Tempus ab origine rerum ad diluvium. Annus mortis Adami & cæpti diluvii charactere confirmatus.

Cum primi homines Diaboli mendaciis seducti fœdus & amicitiam, quæ ipsis cum Deo intercedebat, perfide rupissent, eaque re se-

re ſemetipſos in maximas ac perpetuas calamitates, (quas Mortis nomine ſcriptura indigetat) præcipitaviſſent: Deus ter Optimus, propter filium æternum & unigenam eorum miſertus, his conditionibus in fœdus rurſum recepit, ut quicunque vera ac vivifica fide, hujus Mediatoris meritum, ſibi applicaret, is ab æterna morte liber eſſet. Et ut fœdus hoc gratuitum, cum Adamo & poſteris ipſius ictum ab hominibus rectius perciperetur, firmiusque mentibus inhæreret: viſibilibus id ipſum rebus adumbrare conſtituit, ſibique cum precibus ſacrificia fieri mandavit, ni quibus agnus ille mactatus ab origine mundi ab oculos identidem proponeretur. Et jam bene cum humano genere actum fuiſſet; ni peſſimus hoſtis, & heîc, fidem divinis verbis derogare conatus fuiſſet. Ex binis enim filiis quos Adamus genuit, unus quidem, propter hanç veram fidem, Deo placuit; alter verò, propter incredulitatem diſplicuit. Unde hic, ſpreto Deo ejusque cœtu, fratrem optimum Abelum interfecit, primusque fraterna imo humana cœde manus miſere polluit. Propter quod in exilium ab Deo pulſus in eas terras conceſſit, quæ ultra Tigrim amnem ſunt: ibidemque civitatem primus condidit, quam ex filii nomine Hanoch appellavit. Atque ibi plurimos filios progeneravit, qui omnes Parentis pravitati adhæreſcebant. Adamus vero pro interfecto Abele alium nactus filium Sethum, in vera ipſum fide inſtituit. Qui idipſum filio ſuo Enoſo præſtitit. Et cum homines ſuper terram jam multiplicarentur; ut inter bonos & pravos diſcrimen eſſet, conſtitutum fuit, ut qui in fœdere Dei erant, ab ipſo בני אלוהים *filii Dei* appellarentur. Quod his verbis Moſes indicat: אז הוחל לקרא בשם יהוה *Tunc cæptum eſt vocari nomen Domini.* Quę verba non ita explicari poſſunt, quaſi tum primum Adamus Deum invocare cæperit; aut tum primum nomen illud Dei propriũ יהוה Adamo innotuerit. Utrumq; enim falſum eſt. Sed omnino elliptica oratio eſt, quæ ex illa Eſaiæ, capite LXIII. v. ult. ſuppleri & explicari debet: לא נקרא שמך עליהם *Non invocatum eſt nomen tuum ſuper illos.* Loquitur Propheta de gentibus, ſuper quos Nomen Dei non appellatum fuit, hoc eſt, qui non nominati ſunt ex nomine Dei, ſicut populus Iſrael, qui filii Dei erant, & in pace ac fœdere cum ipſo. Ita ergo hæc phraſis exponi debet, tum nomen Dei cæptum eſt nominari ſuper filios Sethi & Enoſii, adeo ut hi filii Dei appellarentur; reliqui filii hominum. Sed cum filii Dei etiam à filiis hominum corrumperentur, ſtatuit Deus ter Maximus diluvio omnem hanc generationem funditus delere: quod etiam, decima tandem generatione, anno ab origine mundi 1657, contigit. Quod vero toto

 iſto

isto tempore ab hominibus, tam bonis quam malis gestum sit, eorum nemo perscripsit, quos nunc habemus. Moses quidem de filiis Caini refert eos fortes & celebres viros fuisse, varsasque artes invenisse: Sed hoc breviter saltem & aliud agens. Abydenus vero & Berosus ex archivis antiquissimæ & in rebus gestis consignandis diligentissimæ gentis Chaldaicæ, de sapientia & inventis istorum hominum diligentius scripserant, quæ tamen perierunt. Adhuc tamen Fragmentum quoddam Abydeni, & aliud Berosi ab Alexandro Polyhistore citatum, in primo Chronic. ab Eusebio descripta exstant, ex quibus de aliis judicare licet. Recensentur illic decem Regum nomina, & cujusvis regni tempus, quorum priores octo ex Pantibiblis, (quæ forte Ptolomæi Bibla sunt ad ripam Euphratis, qua Babylonis latus meridionale alluit) fuerunt: nonus vero ex Laracha, (quæ forte Geographorum Arecha est) Ultimus vero Sisithrus, postquam Sipparis, (quæ Euphrati adjacet, qua Borealem Babyloniam præterfluit) antiquitates & scripta omnia literis mandasset, ac in terrā defodisset, conscenso maximo navigio, contra diluvii aquas se tutatus est. Horum autem tempora ita à Beroso & Abydeno recensentur, ut una conficiant Saros 120. hoc est, juxta ea quæ antea dicta sunt, annos 1180. Adeoque horum imperium cæperit 476 An. ab Orbis conditu, quod & satis verisimile est. Et hi, dubio procul, sunt illi נפלים qui erant antiquitus אנשי השם *viri nominis*, hoc est celebres, ut Moses loquitur. Quod vero de ultimo rege Sisithro scribunt, ipsum in arca servatum fuisse, ab ipsis Chaldæis effictum fuit. Nam cum ex archivis cognitum haberent, quendam cum filiis & necessariis amicis in arca servatum fuisse, alteri istam felicitatem tribuere nolebant, quam illi regi qui juxta ipsorum calculum ultimus Chaldæorum esset. Quod tamen ex ipsis archivis refutatur. Cur enim Sisuthrus hic, opus habuisset ea præscribere, quæ à majoribus acceperat, siquidem ipse diluvio superstes esse deberet? aut cur non potius in arca, quam in terra scripta recondidit, ubi melius ac facilius conservari possent? Sane causa alia non erat, quam quod ipse arcam nunquam ingressus fuerit. Imo & ipsimet statim inscitiam suam produnt. Dicunt enim Sisithrum hunc post diluvium nuspiam in terra comparuisse. At si in arca servatus fuit, cur postea his in terris non mansit? Cur non ante diluvium ad Deos receptus est? Sed nugarum satis est. Reliqua bene conveniunt. Moses vero ex filiis Dei eos saltem recenset, qui Patres familiarum fuerant, ac eadem opera & Genealogiam, & temporum rationem exponit. Monstrat namque, quo ætatis anno quisque filium generaverit,

& de-

& demum quo anno Noachi, qui inter illos ultimus fuit, diluvium cœperit. Ex qua ratione omnes anni, qui origines mundi & Diluvium intercedunt certo colliguntur, qui ſe eo modo habent, quo in appoſito laterculo adſcripta ſunt. Equidem ſcio quoſdam eſſe, qui

Nom. Patriarch.	Anni Generat.		Anni Mortis	
	Vita	Per. Iul.	Vita.	Per. Iul.
Adam.	130.	802.	930.	1602.
Seth.	105.	907.	912.	1714.
Enos.	90.	997.	905.	1812.
Kenan.	70.	1067.	910.	1907.
Malaleel.	65.	1132.	895.	1962.
Iared.	162.	1294.	962.	2094.
Enoch.	65.	1359.	365.	1659.
Methuſalah.	187.	1546.	969.	2328.
Lamech.	182.	1728.	777.	2323.
Noach.	600.	2328.	600.	2328.

Moſen non accurate locutum dicunt, ſed numero rotundo uſum, nec anxie annum unum aut alterum curaſſe. Sed hi non ſimplicem errant errorem. Nam quem quæſo in finem hæc à Moſe perſcripta ſunt, niſi ut temporum ratio certius conſtaret? Noverat quippe ſapientiſſimus ille legiſlator, fidem his rebus tam antiquis non haberi, niſi tempus appoſitum eſſet. Bene enim à Tatiano dictum eſt: Παρ' οἷς ἀσυνάρτητός ἐστιν ἡ τῶν χρόνων ἀναγραφὴ, παρὰ τούτοις οὐδὲ τὰ τῆς ἱστορίας ἀληθεύειν δύναται. Propter hoc ergo, tempora Moſes apposuit, ut veritas manifeſtior eſſet. Ac de rotundo quidem numero res falſiſſima eſt. Nam quæſo te, iſne rotundo numero utitur, qui nunc 65. nunc 62. nunc 187. ponit? credisne eum, qui ita ſcripſerat, unius aut duum annorum rationem nullam habuiſſe. Sed res manifeſta verbis non eget. De annis potius ipſis controverſia moveri poſſet, utrum illi perfecti ſunt accipiendi an parte quadam truncati? Neque enim veriſimile eſt, omnes eodem anni tempore natos fuiſſe. Sed obſervandum eſt, Moſen non ab ipſo nativitatis puncto annos ſuos auſpicari, ſed ab anni civilis initio, hoc eſt vere, quod natalem proxime ſequebatur. Patet id in Noacho. Anno namque quo diluvium finitum eſt ineunte, primo die, primi menſis, ſtatim incipit an. 601. Noachi, cum tamen minime certum ſit Noachum iſto die aut tempore fuiſſe natum. Quicquid ſit, ſaltem unius aut alterius anni differentia erit, quæ quidem characteribus anni tollitur. Nam cum character diluvii An. Per. Jul. 2328 exacte conveniat (quo etiam tempore diluvium factum fuiſſe certum eſt, ut poſtea videbimus) character vero creationis An.

Per.Jul.672. & character mortis Adami An.1602. utique inter orbis conditum & diluvium omnino anni erunt pleni 1656. inter mortem vero Adami 726. adeoque omnes anni erunt pleni. Itaque anni Patriarcharum tam Generationis, quam obitus juxta eam rationem se habebunt, quæ in tabella adscripta est. Unico charactere hæc confirmabimus. Refert Eutychius Patriarcha Alexandrinus è monumentis in Oriente antiquitus pro fide dignis habitis, Adamum decessisse, feria sexta Luna decimaquarta. Quæ verno tempori proxima est. Verba ejus apud Clariss. Seldenum de anno Iudaico hæc sunt:

ومات ادم يوم الجمعه في اربعة عشر ليلة من الهلال في ستة ايام من نيسان وهو برموده *Et obiit Adam die Veneris Luna decimaquarta, qui sextus dies erat mensis Nisan qui respondet τῷ Barmuda.* Mensis Nisan non est Lunaris, (quomodo enim sextus dies mensis conveniret, cum 14 Luna?) sed Iulianus: de quibus mensibus antea in An. Iuliano actum fuit. Hic ergo mensis antiquis ignotus, ab Eutychio ipso adscriptus est, qui ex characteribus his, ad annum Per. Constantinopolitanæ 930. (quo Adamum obiisse Græca Ecclesia credit) applicatis, diem mensis civilis eruit. Sed illud quidem falsa hypothesi nititur. Neque enim initio Per. Constantinopolitanæ orbis conditus est, quod Græci volunt, sed An. 1467. siquidem verũ illud est, quod in fontibus Ebræis de tempore generationis Patriarcharum legitur, de quo sanus nemo dubitare potest. Isto ergo, quod ex suo Eutychius addidit, rejecto, characteres, quos ipsemet secutus est, expendemus. Constat autem mensem verno tempori proximum fuisse, eo quod cum Nisan Iuliano conferatur. Erit ergo vel Adar, vel Nisan Iudaicus. An. autem Per.Jul.1602. quo Adamus juxta Catalogum nostrum decessit) Novilunium Adar contigit I X. Martii, hora post med.noctem 5.52'.34". Babylone. Ideoque X Martii, omnino Luna visa est. Et hoc verum est & civile Novilunium Mensis Adar. XIV. ergo Adar, sive XIV. Luna convenit cum XXIII. mensis Martii, qui eo anno est feria sexta, sive dies Veneris, omnibus modis, ut ab Eutychio proditum est. Cum ergo diluvium 2328 An.Per.Jul. contigerit, ut jam dicemus, necesse est, ut Mundi natalis, hoc, solidis 1656 annis antecesserit: Obitus vero Adami annis 756. Sane quocunque modo termini à scriptura constituti explicentur, nunquam cum characteribus convenient, nisi juxta hanc rationem calculos subducamus. Unde manifestum est eam certissimam esse, ac demonstrationis vim habere. Omnes ergo anni, qui à Mose recen-

recenſentur, pro plenis habendi ſunt. Colliguntur ergo ab Orbis conditu ad Diluvium anni ſolidi 1656, adeoque 1657 anno, menſe ſecundo, qui Iudæis vocatur Iiar, XVII. die menſis, diluvium cœpit. Finitum vero eſt 1658. menſe ſecundo, die XXVII. poſt 365 dies, ſive integrum annum Solarem. Abydenus & Beroſus ex archivis Chaldæorum referunt id contigiſſe XV menſis Dæſii. Alexander Polyhiſtor, ex ſecundo libro Chaldicorum Beroſi hæc exſcripſit. Ἀρδάτε δὲ τελευτήσαντος, τὸν υἱὸν αὐτοῦ Σείσουθρον βασιλεῦσαι σάρους ιη'. ἐπὶ τούτου μέγαν κατακλυσμὸν γενέσθαι· ἀναγεγράφθαι δὲ τὸν λόγον οὕτως. Τὸν Κρόνον αὐτῷ κατὰ τὸν ὕπνον ἐπιστάντα φάναι, μηνὸς Δαισίου ιε' τοὺς ἀνθρώπους ὑπὸ κατακλυσμοῦ φθαρήσεσθαι &c. Abydenus. Μετὰ Εὐεδώρεσχον ἄλλοι τινὲς ἦρξαν καὶ Σίσιθρος. τῷ δὴ Κρόνος προσημαίνει ἔσεσθαι πλῆθος ὄμβρων Δαισίου ιε'. Exſtant hæc fragmenta apud Euſebium Chron. lib. 1. pag. 8. edit Scalig. In quibus, & de magnitudine arcæ, & de avibus poſt pluviam ter emiſſis, & de loco ubi arca quievit, aliiſque eo pertinentibus, accurate perſcripta habes: quæ omnia ſatis bene cum ſcriptura conveniunt, modo fabulam illam de Siſuthro tollas, quam antea rejecimus. Et hæc ſane luculenta ſunt, & ſcitu digniſſima, quæ quia de cæteris circumſtantiis veriſſima produnt, (ut ex ſcripturis patet) & de tempore vera dicent. Refert vero Beroſus diluvium cœpiſſe XV die menſis Dæſii. Dæſius eſt menſis Macedonicus, quo uſus eſt, ut melius ab Aſiaticis hominibus intelligeretur. Erant vero menſes Macedonici poſtquam in Aſiam pervenerant, vel Lunares, vel Solares, ut de Menſibus Macedonum dictum fuit. Sed heic Dæſius Lunaris non eſt. XVII enim Iiar eſt XVII Luna, at numeratur is Dæſii menſis decimusquintus, non decimusſeptimus. Dæſius ergo Lunaris non eſt, ſed Solaris. Init vero Dæſius Macedonicus à XXV Aprilis. Aſiaticus (quem heîc Beroſus adhibet) Maji XXV. Neomenia Niſan contigit Babylone XXII Aprilis. Æquinoctium namque incidit in XII Aprilis, & Neomenia in 21 diem Aprilis hor. 4. poſt meridiem. Hic ergo dies eſt Neomenia cœleſtis Niſan: ideoque civilis Neomenia convenit XXII Aprilis. Neomenia vero civilis Iiar, ſive ſecundi menſis convenit XXII Maji. Unde XVII Iiar eſt XIV Dæſii, quo die Noachus & filii arcam cum omnibus beſtiis ingreſſi ſunt, adeoque circa veſperam hujus diei primum pluere cœpit. XVIII vero dies, qui ſtatim incepit, is primus inter illos dies erat, quibus continuo pluit, de quibus etiam Beroſus loquitur. Atque ita optime Beroſus cum Scripturis convenit. Ex quibus inſignem characterem temporum habemus. Nam juxta Scripturam colliguntur à Diluvio ad templi deſtructionem ſub Nabucho-

bucho-

buchodrosare anni 1789. Templum vero combustum est XIX An. Nabuchodonosoris Per. Jul. 4117. ut certissime in sequentibus demonstrabimus. Si ergo anni 1789 hinc auferantur, prodit An. 2328. Per. Jul. quo Diluvium contigerit. Equidem de uno aut altero anno lis esse posset. Sed character anni XV. nempe Dæsii & XVIII Iiar omnem plane controversiam tollit. Contigit ergo Diluvium An. Per. Jul. 2328. Iunii VII. An. Mundi 1657. Mensis Iiar, hoc est secundi die XVII. feria secunda, Cyclo Solis Romano IV. Lunæ X. Indictio. III. An. Per. Const. 3123. Cyclo Solis Græco XV. Lunæ VII. An. Iudaico 1375. An. vero sequenti Per. Jul. 2329. Per. Const. 3124. Iudaico 1376. An. Mundi 1658. Iiar XXVII. Iunii VII. feria IV. Noah ex arca egressus, Soteria Deo, in montibus Cordyæis sive Gordyæis (quos Moses Ararat vocat) immolavit.

CAP. IV.

Tempus à diluvio ad Exodum. Tempus nati Arphachsadi: & Abrahami. Loc. Gen. XI. & XII. & *Actor.* VII *conciliantur. Loc. ex Epist. Gal. cap.* III. & *Gen.* XV *explicantur. Loca Gen.* XLVI. & *Act.* VII. *explicantur & conciliantur. Tempus egressus ex Ægypto, & ingressus in terram Canaan demonstratur.*

NOachus quingentos annos natus tres filios genuit, Semum, Chamum & Iaphetum, qui finito diluvio, ut divino mandato obsequerentur, & se rursum multiplicarent, operam statim liberis dare cœperunt. Et Chami quidem & Japheti posteros paucis saltem verbis, Moses recenset: Semi vero progeniem fusius persequitur, ac Iudæorum genealogiam (ex quibus Christus secundum carnem) accurate, & juxta seriem chronologicam describit. Ex qua quidem ratione διάστημα illud temporis, quod est à Diluvio ad ortum Isaaci, atque inde ad Exodum colligitur, quod quidem ita se habet.

Sem biennio post aquas diluvii genuit Arphacsadum annos 100 natus Gen. cap. XI. Diluvium cœpit, & fuit super terram, ineunte An. Per. Iul. 2328. Mundi 1657. ut jam dictum fuit. An. autem 2329, vere, quo ex arca egressus est, primum operam liberis dare cœpit, & anno sequenti Arphacsadum ex conjuge sua suscepit Anno Per. Jul. 2330. biennio post Diluvium. Adeoque omnia juxta eam rationem

	generat.	Per.Jul.
Sem.	100.	2330.
Arphacsad.	35.	2365.
Salach.	30.	2395.
Eber.	34.	2429.
Peleg.	30.	2459.
Reu.	32.	2491.
Serug.	30.	2521.
Nachor.	29.	2550.
Thareh.	130.	2680.
Abram.	100.	2780.
Exodus.	430.	3210.

tionem se habent, quæ in laterculo perscripta sunt. Sed de annis Thareh disputari acriter solet. Etenim Chronologi præstantissimi 70 anno Thare Abramum natum asserunt. Atque pro se scripturas adducunt. *Thare septuaginta annos natus genuit Abram Nachor & Aran.* Gen. XI. v. 26. Sed hæc facillime explicantur. Ipsa enim scriptura disertis verbis tradit Abrahamum ante mortem Parentis in terram Chanaan non ingressum fuisse Actor. VII. v. 4. *Tum egressus est Abraham è terra Chaldæorum, & habitavit Charris. Et Deus eduxit eum inde, cum Pater ipsius obiisset, in terram hanc, quam nunc incolitis.* Ergo non ante Parentis obitum egressus est Charris, aut profectus in terram Chanaan. Obiit vero Thare annos natus 205. Gen. XI. v. 32. Abram vero *egressus est Charris cum uxore & universa familiâ, & Loth fratris filius cum omni possessione, quam possidebant, & omnibus animabus quas eduxerant in Charris. Et profecti sunt, ut venirent in terram Chanaan. Et Abram, tum annos natus erat septuaginta quinque.* Gen. XII. v. 5. Ergo natus est Abrahã An. 130. ætatis Thareh. Locũ ex Gen. XI. quod attinet, non ibi Scriptura de iis Thare annis loquitur, quos tum natus erat, cum Abrahamũ generaret: sed cum primum inciperet generare. Nam si absolute hæc verba essent accipienda, utique & omnes tres eodem partu editi essent. Quem vero primum generaverit, id ex his verbis non colligitur. Nam quod nonnulli dicunt Abramum, ideo primum esse, quod primo loco nominetur, id vanum est. Id enim Inductione ita probari debebat, ut ne daretur dissimile exemplum, quod nunquam fieri potest. Imo contrarium etiam ex alio loco patet. Nam ut dem Semum primogenitum Noachi fuisse, de quo alii satis disputant; necesse etiam est, ut Arphacsad primogenitus sit, quandoquidem centesimo anno Semi natus est, qui, ad minimum, finiente quingentesimo Noachi natus fuerat. At si jus primogenituræ aliquid valeret, cur Elam & Assur, ipsi in Catalogo præmittuntur. *Et Semo etiam nati sunt (hic est Pater omnium filiorum Eber, frater Iapheti* הגדול *natu maximus) Semi filii sunt Elam & Assur, & Arphacsad, & Lud, & Aram.* Gen. X. v. 22. Ex quo liquet non semper eum natu maximum esse, qui primus in scriptura numeratur. Tum enim Arphacsad non primogenitus erit, sed tertius. Quod tamen ex superioribus fal-

ſum eſſe deprehenditur. Et vaniſſima eſt reſponſio, quam opponunt diſertis Scripturæ verbis. Dicunt enim Abrahamum monitu quodam divino rurſus Charras reverſum fuiſſe poſt mortem Parentis, & tum à Deo inde in terram Chanaan deductum. Sed ego non credo antea ſine Deo profectum fuiſſe, relicto patre cui in ſenectute adeſſe debebat. Sed ſtultus ſum qui his immoror. Abrahamus natus annos 70, ut Iudæi volunt, accepit mandatum à Deo, de patrio ſolo relinquendo cum habitaret Ure Chaldæorum in Meſopotamia, ut Stephanus explicat. (Vide Nobiliſſimi Viri Samuelis Bocharti ſcriptum longe eruditiſſimum, quod Phaleg inſcribit, part. I. lib. II. cap. VI.) Profectus cum Parente (cui hanc revelationem indicaverat, ideoque & lubens filium ſequebatur, & propter illud, quaſi auctor itineris hujus deſcribitur Gen. XI. v. 31.) venit Charras Meſopotamiæ ad Chabor fluvium ſitas, clade Licinii Craſſi poſterioribus ſeculis nobiles. Atque ibi cum Patre manſit, ex Judæorum ſententia, annos quinque. (Nam doctiſſimi Iudæorum Interpretes etiam nobiſcum faciunt & Abrahamum An. Thare 130. natum perhibent. Vide Conciliatorem Legis Rabbi Menaſſeh, filii Iſraelis, ad hunc locum. Et cum quinto anno Pater obiiſſet, ex Charris profectus eſt juſſu Dei in terram Chanaan: ut tum vere dicatur à Deo μετοικισθεὶς, *cum domo & univerſa familia translatus*. Quod dici non poſſet, ſi antea ſexaginta annis, cum univerſa familia ac poſſeſſione, in terra Canaan hæſiſſet. Niſi forte dicere velint, antea quidem in terram Canaan iviſſe, ſed ſine Deo; nunc vero cum Deo: quod impium eſt dicere, & Scripturis adverſum. Confer caput Geneſ. XI. & XII. cum verbis Stephani Actorum VII. videbis, *quid diſtent æra lupinis*. Manifeſtum ergo eſt Abrahamum natum eſſe 130 anno Thare, ideoque Per. Jul. 2680. Ipſe vero generavit Iſaacum annos natus 100. Gen. XXI. v. 5. Adeoque tum demum ſemen illud diu ipſi promiſſum datum fuit, à quo ad legem promulgatam anni à S. Paulo numerantur 430. Gal. 3. v. 17. Τοῦτο δὲ λέγω, διαθήκην προκεκυρωμένην ὑπὸ τοῦ Θεοῦ εἰς Χριστὸν, ὁ μετὰ ἔτη τετρακόσια καὶ τριάκοντα γεγονὼς νόμος οὐκ ἀκυροῖ. Quando fœdus à Deo confirmatum eſt in Chriſtum? Tum ſane cum Iſaach natus eſt, de quo ſcriptum eſt: *In Iſaac vocabitur tibi ſemen*. Hoc eſt, quamvis multi alii tibi filii ſint, per quos ſemen tuum multiplicabitur: tamen nobiliſſimum illud ſemen, in quo omnes generationes terræ benedicentur, non ab alio quam Iſaaco proveniet. Quando ergo Iſaach diu & cum maximo deſiderio exſpectatus, in lucem prodiit: pactum & promiſſio Dei confirmata ſunt. quod factum eſt anno Abrahami 100.

Ab

Ab hoc ergo tempore ad legem datam Paulus numerat annos 430. Lex autem data est altero mense post exitum ex Ægypto. Ergo exitus ex Ægypto contigit An. 430. post natum Isaachum. Sane ubi Deus de quadringentis annis loquitur, post quos semen Abrahæ terram Canaan possidere debebat, Gen.xv.expressis verbis indicat Isaachum illic quoque indigetari. Verba sunt: *Scito semen tuum alienum futurum in terra non sua, in qua serviet & affligetur annis quadringentis.* Hæc necessario de Isaacho quoque intelligenda sunt. Sed adversari his videntur ea quæ Moses in Exodo scribit, cap.xii. *Habitatio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Jacob sive Israel cum filiis in Ægyptum profectus est An.P.Jul.2970. Natus enim est anno Isaaci 60, Per.Jul.2840. Gen.xxv.v.26.An.vero ætatis 130. in Ægyptum venit, Gen. xxvii.v.9.& 28. At cum Jacobo etiam Caath filius Levi in Ægyptum venit. Is vero in Ægypto generavit Amram Patrem Mose. Obiit autem annos natus 133. & Amram 137. Exodi vi. v. 18, 20. Moseh vero 80 annos natus populum ex Ægypto eduxit. Hi anni, si in unum colligantur, dant annos 350. quæ summa septuaginta annis minor est ea quæ à Mose tam accurate notatur. Imo si à 350 annis auferantur, primo illi anni quos in terra Canaan Caath vixerat, & rursum illi, quos cum ipso Amram, & cum Amramo Moses, summa illa longe minor erit. Ab ingressu ergo Iacobi in Ægyptum anni illi 430. minime numerari possunt. Confugere ferè docti solent ad septuaginta Seniorum translationem, qui ita legunt: ἡ δὲ κατοίκησις τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ ἣν παρῴκησαν ἐν γῇ Αἰγύπτῳ καὶ ἐν γῇ Χαναὰν αὐτοὶ καὶ οἱ Πατέρες αὐτῶν, ἔτη τετρακόσια τριάκοντα. Sed sicut in Paraphraste, aut interprete profano, nihil magis vituperatur, quam si ex suo quidquam addat, & scriptori inferciat: ita sacratissimo hoc opere, septuaginta Seniorum (si modo eorum illa sit interpretatio, quippe & de hoc dubitari potest. Talmudici namque in Codice Babylonico Megillah, ubi LXX Interpretibus atrocissimum sacri textus falsati crimen intentant, idque probare ex XIII Scripturæ locis conantur; hunc quidem locum inter XIII. illos recensent: nec tamen ita auctum, aut depravatum, uti nunc legitur. Nam illud quod nunc in Græcis Codicibus exstat, αὐτοὶ καὶ οἱ Πατέρες αὐτῶν plane prætereunt. Neque illi solum, sed etiam Talmudis Hierosolymitani auctores, qui non ultra ducentos post Christum annos floruerunt. Et dubium nemini esse poterit, quin, cum hoc animis propositum habuerint, LXX Seniorum perfidiam demonstrare, omnia illa in hoc loco notaverint, quæ perperam adjecta erant.) audacia, minime toleranda, nedum lau-

danda est. Interpretis hæc verba sunt, non Mosis: & eorum mens, ac sententia, non spiritus Dei heic proposita est. Imo ne verum quidem illud est, quod dicunt. Patres Israelitarum, qui in terra Canaan habitarunt, erant Abraham, Ishach & Iacob. Abram 99 annos natus accepit primum promissionem de Isaacho, qui sequenti anno Abrahę centesimo, etiam natus est. Hoc ergo tempore fœdus fundatum super semen illud venturum, (Christum nempe, in quo omnes generationes terræ benedicentur) confirmatum fuit, à quo ad legem datam, sive quod idem est ad Exitum ex Ægypto, Paulus diserte annos numerat 430. Hæserat vero Abraham in terra Chanaan annos 25. qui si ad 430 addantur, dant 455 annos, quibus filii Israel una cum Patribus suis peregrinati fuerant, tam in terra Canaan, quam Ægypto. Quod si illa verba ἀυτοὶ καὶ οἱ Πατέρες ἀυτῶν, (quæ suspecta esse ex Talmudicis nunc demonstravimus) omittantur summa longe minor erit, annorū nempe 286. Neq; enim Abraham aut Isaach sunt filii Israel, nec Israel ipse sui ipsius filius. Numerandum ergo est à nato Rubene, quem anno Iacobi 84 natum esse, Scriptura indicat; VII anno postquam in Mesopotamiam venerat, VII annis antequam Iosephum generaret. At hic triginta annorum erat, cum Israel 130. ideoque anno 91 Israelis natus est, & Ruben An. 84. Per. Jul. 2924. Sed 2924. ablati à 3210. quo anno Exodus contigit, dant residuos annos 286. quibus filii Israel peregrini fuerunt in omnib⁹ terris, non 430. quę summa 144 annis priori major est. Sed omnino ipsius Mosis, hoc est Spiritus Dei verba accuratius expendenda sunt. Scribit Moses. Exod. XII. v. 40. 41,
משב בני ישראל אשר ישבו במצרים שלשים שנה וארבע מאות שנה׃ ויהי מקץ
שלשים שנה וארבע מאורת שנה ויהי בעשם היום הזה יצאו כל צבאות יהוה מארץ
מצרים quæ ad verbum ita se habent. *Et sessio sive mansio filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto anni* XXX. *& anni* CD. *Et fuit in termino, sive fine anni* CDXXX. *eo ipso die egressus est omnis exercitus Domini ex Ægypto.* Manifestum est nullum tale glossema admitti posse, quale septuaginta volunt. Nec tamē ideo quadringentos & triginta annos in Ægypto habitatū fuit. Sed omnino Elliptica oratio est, ut cuivis accuratius inspicienti patet, quę in scripturis freqnentissima est, & ita supplenda erit. ומשב בני ישראל אשר ישבו במצרים היה עד שלשים שנה גו׳ *Et habitatio filiorum Israel, quo habitarunt in Ægypto fuit, usque ad annum* CDXXX. *Et in fine sive termino anni* CDXXX *exivit omnis exercitus Domini ex Ægypto.* Initium vero, à quo anni hi CDXXX numerari debent, non heic nominat Moseh: sed remittit Lectorem ad ea quæ antea, de peregrinatione & afflictione seminis Abrahæ, & de tempore, quo rursum in terram

terram Canaan reverti debebant, Gen. cap. xv. v. 13. & ſeq. his verbis prædicta erant. *Scito inquit Deus Abrahæ, quod ſemen tuum erit peregrinum in terra non ſua, & ſerviet illic, & affligetur annis quadringentis. Sed populum ego illum judicabo, cui ſervient, & poſtea egredientur cum magnis opibus .... Et quarta generatione revertentur huc, quia Ammoritarum malitia nondum perfecta eſt.* Semen tuum inquit Deus erit peregrinum, & ſerviet, & affligetur quadringentis annis. Quodnam illud Semen eſt? Iſaach ſane, & qui ex Iſaacho ortus eſt Iacob, cum ſua poſteritate. Nam & Iſaachus & Iacobus varias in peregrinatione moleſtias & afflictiones experti ſunt, ille quidem Geraris ab Abimelecho pulſus, hic vero primum in Syria, poſtea in Chananea cum variis adverſitatibus conflictatus. Imò & bellum Iacob cum Amoritis geſſit, ut ex fine cap. XLVIII colligitur. Abrahamus vero nihil tale unquam, poſt datam promiſſionem, paſſus eſt. Annos vero quadringentos numerat Deus, non exactè, ſed ſicut Hiſtorici ſolent, numero rotundo uſus. Reditus vero tempus in terram Canaan definit quatuor generationibus. Eſt vero generatio juxta antiquiſſimarum gentium, atque inter eas, Hetruſcorum, definitionem, tempus, quod is vivit, qui cum alio natus, longiſſime inter omnes vitam extendit. Cenſorinus cap. XVII. *Rituales Hetruſcorum libri videntur docere: in quis ſcriptum eſſe fertur initia ſic poni ſeculorum: quo die urbes atque civitates conſtituerentur, de his qui eo die nati eſſent, eum qui diutiſſime vixiſſet, diè mortis ſuæ primi ſæculi modulum finire, eoque die, qui eſſent reliqui in civitate, de his rurſum ejus mortem, qui longiſſimam ætatem egiſſet, finem eſſe ſeculi ſecundi. Sic deinceps tempus reliquorum terminari.* Et hoc in his quoque locum habet. Nato Iſaacho cœpit prima generatio, & eo mortuo terminatur. Is vero Ioſephum Iacobi filium viderat, qui vixit annos 110. Ideoque & Nepotes ſuos Iair & Machir vidit, qui paucis annis ante ingreſſum terræ Canaan vixerunt. Num. XXXII. Et in illis tertia generatio finiebatur. Quarta vero eorum hominum erat, qui poſt murmur in caſtris (Num. XIV.) nati, terram ſanctam ingreſſi ſunt. Adeoque optime dictum ודור רביעי ישובו הנה *& quarta generatio revertetur huc.* Huc ergo reſpexit Moſes, monſtratque verè Semen Abrahæ, Iſaachum & ejus poſteros, quadringentos & triginta annos peregrinos fuiſſe, in terra non ſua; ibidemque partim mala paſſos, partim duriſſimam quoque ſervitutem ſerviiſſe. Sed cum heîc ſum, non poſſum omittere nobiliſſimam quæſtionem, quæ inter doctos movetur de conciliatione locorum, Gen. XLVI. & Actorum VII, v. 14. Moſes enim dicit Iacobum veniſſe in Ægyptum cum animabus 70. Stephanus,

cum 75. Nonnulli dicunt Lucam Hellenistas secutum, ita scripsisse. At impium est cogitare Lucam aliter rem, aut orationem narrasse, quam gesta aut dicta fuit. Nam quod nonnulli clamitant Apostolos Græce scribentes, Græca versione usos fuisse, id neutiquam semper verum est. Nec dici potest Stephanum hæc ita citasse. Disserebat ille tum, coram Synedrio, dubio procul Iudaice, sive dialecto populari, coram quibus non Paraphrasten Græcum, sed vel fontes, vel Paraphrasten Chaldæum sequi debebat. Et sane si ita citasset, mendacii sine dubio & falsitatis ab iis convictus fuisset, qui adeo ipsi infensi, sæpius in disputationibus victi decesserant. Alii ad emendationem confugiunt, dicunt enim πέντε illud vitiosum esse. Sed non temere istis mediis utendum erit, præsertim in his tam sacris libris. Imo heîc minime eo opus est, modo ipsius Scripturæ verba accuratius examinentur. Gen. XLVI Moses primo omnes eos recenset, qui ex lumbis Iacobi prodierunt, triginta nempe & tres filios (quo nomine & nepotes & pronepotes veniunt) Leæ, cum una filia, XVI liberos Silpæ, XIV Rachelis; & VII. Bilhæ. qui juncti faciunt 71 animas. Sed si à Leæ filiis demantur Er & Onan, qui in terra Canaan obierunt (ut Moses hoc eodem capite, ut & XXXVIII testatur) à filiis Rachel, Ioseph cum filiis Menasse & Ephraim, qui cum Iacobo in Ægyptum non descenderunt, sed antea illic erant, prodit numerus LXVI animarum, quæ cum Iacobo in Ægyptum venerunt, exceptis uxoribus filiorum Iacobi, ut Scriptura ait, v. 26. cap. XLVI. *Omnes animæ quæ cum Iacobo in Ægyptum venerunt quæque exiverant è lumbis ipsius, exceptis uxoribus filiorum Iacob, erant sexaginta sex.* Si vero Ioseph cum filiis binis summæ adjiciatur, ipseque Iacobus, ut auctor generis ac paterfamilias domus, una numeretur, erunt כל הנפש לבית יעקב הבאה מצרימה שבעים *omnes animæ domus Iacobi, qui venerunt in Ægyptum, septuaginta. vers. 27.* Disertis ergo verbis Moses distinguit inter eos, qui ex lumbis Iacobi orti cum ipso domum & familiam Israelis proprie constituebant, & inter uxores filiorum quæ domui Iacobi insertæ erant, nec per se illuc pertinebant, ut ex versibus antea adductis patet. At Stephanus aliam rationem sequitur. Dicit enim μετεκαλέσατο τὸν πατέρα αὐτοῦ Ιακὼβ καὶ πᾶσαν τὴν συγγένειαν αὐτοῦ, ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε. Sub nomine συγγενείας etiam uxores fratrũ comprehenduntur. Et hæc συγγένεια prę-ter Iacobum, qui heîc excipitur, erat animarum 75. Nimirum, primò 66. animæ, quæ ex lumbis Iacobi egressæ, cum ipso in Ægyptum venerunt. Inde 9. uxores filiorum Iacob, quæ Geneseos XLVI. v. 26. disertis verbis excipiuntur. Novem autem fuisse ex his Stephani verbis

bis liquet. Nam si novem addantur ad 66 prodit 75 numerus à Stephano indicatus. Et sane XI erant filii Iacob præter Iosephum, qui heic non numeratur. Neque enim is vel seipsum, vel uxorem filiasve ex Cananæa in Ægyptum accersivit. Iudæ vero uxor obierat in terra Chanaan, Gen. XXXVIII. Et satis verisimile est viduum eum postea mansisse, tum propter alias causas, tum propter commissum cum Thamare incestum. Idem de Rubene dici posset: atque sic numerus optimè constaret. Quicquid sit, manifestum ex his est, uxores filiorum Iacob, quæ in Ægyptum cum Iacobo descenderunt, non plures fuisse quam novem: & ita omnis cognatio Iosephi, quæ in Ægyptum ab ipso accersita fuit, præter parentem Iacobum fuit animarum 75. Καὶ ταῦτα ὡς ἐν παρόδῳ. Id vero, de quo antea disputavimus, jam ita constitutum est, ut 430 anni, de quibus Moses loquitur, initium capiant à nato Isaaco. Ideoque juxta priora annus Exodi erit Per. Jul. 2310. Sane annum Salomonis quartum, quo templum fundatum fuit, Scriptura numerat ab exitu 480. ut postea videbimus. A templo vero fundato, ad combustum, per Nebucadnezarem, anni sunt 428. Contigit vero hæc clades an. Per. Jul. 4117. Templum vero ædificari cœpit An. Per. Jul. 3689. Ideoque Exodus contigit quadringentesimo & octoagesimo anno ante, hoc est Per. Julian. 3210. Charactere hæc firmanda propter unius aut alterius anni controversiam. Contigit Exodus ipso die Paschatis, sive XV Nisan, qui sine controversia est decima quinta Luna, quæ Æquinoctium proxime excipit, ut antea disputatum est. Tradit vero auctor libri Seder Olam Rabba, sive Chronici Mundi majoris, id contigisse feria VI. *Decimoquarto*, inquit, *die immolarunt Israelitæ agnos suos Paschales, qui dies erat quintus. Hac ipsa nocte percussi sunt primogeniti. Sequenti autem die vespere Sabbathi profecti sunt de Ramesse.* Quod etiam Scripturis satis bene convenit. XV. enim die mensis secundi, quo Israelitæ venerunt in desertum Sin, populus murmuravit contra Mosen, eo quod panem non haberent. Quibus Deus per Mosen hoc respondit: *Invenietis, cum Dominus vobis dederit carnes ad comedendum hac vespera, & mane panem ad satietatem.* Mane igitur sequenti colligerunt unum Omer Manna, idque sequentibus quinque diebus fecerunt, usque ad sextum, quo divino quodam miraculo contigit, ut qui antea, sive parum, sive multum colligentes, unum saltem Omer expleverant, nunc sexto die duos plenos haberent. Quod ubi Mosi indicatum fuerat, respondit, *Hoc est illud, quod locutus est Dominus, cras Sabbathum est Domino,* &c. Ex quibus Iudæi colligunt diem XV. Iiar, fuisse feriam primam, hebdomadis

madis, quandoquidem sextus ab illo est feria sexta. Unde & primus Iiar est feria prima, ut & 22. sive crastinus Sabbathi, quo profecti sunt ex Sin ad Raphidim (ubi vitiose in Seder Olam legitur 23, sive כג pro כב) Et cum Nisan isto anno fuerit ex mente Iudæorum xxx dierum, ergo decimusquintus Nisan inciderit in feriam sextam. Scio aliter argumentari Scaligerum: sed multa supponit, aut falsa aut dubia, ut Petavio demonstratum est. Nos vero Iudaicam traditionem Scripturis satis conformem sequimur. Contigit vero Novilunium Nisan XXII Martii. Verum namque Novilunium anni Per. Jul. 3210, contigit Alexandriæ Ægypti 21 Martii, circa horam à meridie 7. Ideoque Luna, 22. die, primùm visa fuit. Quod si XXII Martii est Neomenia Nisan, ergo v Aprilis est xv Nisan, sive plenilunium, uno die post æquinoctium verum, quod ex tabulis Parisinis contigit, Alexandriæ, Aprilis III. hora post med. noctem 23. 21′. 49″. hoc est juxta Iudæos Aprilis IV. hora 5. 21′. 49″. Incidit autem v Aprilis sive Plenilunium Nisan in feriam VI. adeoque IV Aprilis, sive vespera Paschatis in feriam V. omnibus modis, ut ab Auctore Seder Olam traditum est. An. ergo Per. Jul. 3210. Per-Constantinop. 4005. Cyclo Roma. Solis XVIII. Lunæ XVIII. Cyclo Græco Solis I. Lunæ XV. Indictione XV. Anno Mundi 2539. Anno Iudaico 2257. XV Nisan. prima die Azymorum, v Aprilis Iuliani, feria sexta, exivit omnis exercitus Domini ex Ægypto manu elata. Erat vero annus post diluvium 882. ab ingressu Abrahami in terram Chanaan 455. à nato filio promissionis Isaacho 430. ab ingressu Israel in Ægyptum 250. ab honoribus Iosephi 259. à morte ejusdem 169. à morte Levi (quem reliquis fratribus supervixisse Iudæi tradunt, & post cujus decessum statim Israelitarum servitus & miseria cœpit) 145. à nato Mose 80. In deserto vero manserunt annos solidos quadraginta. Vide Num. cap. XXXIII. 38. 39. & Deuter. I. 3. & Iosuæ V. 10. 11. 12. &c. Contigit ergo ingressus in terram Canaan an. Per. Jul. 3250. Per. Constantinopol. 4045. Mundi 2579. An. Iudaico 2297. post diluvium 922. Cyclo Solis II. Lunæ I. Romano, Græco autem Solis XIII Lunæ XVII. Indictione X. Mense Nisan, qui illo anno incepit XXIX Martii Iuliani feria prima: Adeoque secundus dies Azymorum quo Manna desiit, fuit XIII dies Aprilis, feria secunda.

CAP.

Cap. V.

Ninuah, Græcis, Scripturis, à rebellione, Nimrod dictus, conturbatis, Babylone, operis, terram ab Assure Semi denominatam invasit, Ninivenque condidit. Unde hoc imperium, quod in Assyria sedem primariam haberet, Assyriorum appellatum est: quod omnium antiquissimum est. Initium hujus & finis demonstrantur &c.

Sicut Semi posteritas propter religionem, ita Chami propter potentiam ac imperium, quod semper affectavit, & diutissime tenuit, longe celeberrima fuit. Cham enim quatuor filios genuit, Chus, Misraim, Phuth, & Canaan, qui omnes vastissimas & optimas regiones invaserunt, atque in iis imperium constituerunt. De Phœnicibus sive posteritate Canaan, & Ægyptiis sive Misræis res manifesta est. Quantam enim hi potentiam consecuti sint, antiquitates ipsorum, quæ paucæ ex plurimis nobis relictæ sunt, satis testantur. Chusi vero filii totam fere Arabiam occuparunt. Nimrod vero unus ex illis, primus in alios imperium usurpavit, primusque regnum constituit: à quo celeberrimum illud Assyriorum imperium originem habuit. Indicat illud his verbis Scriptura, Gen. x. *Et Chus genuit Nimrod, hic incepit potens esse in terra. Hic fuit potens venator coram Domino. Ideo dicitur, sicut Nimrod potens venator coram Domino. Et principium regni ipsius fuit Babel, & Erech, & Acar, & Calne in terra Sinear. Ex hac terra egressus est in Assyriam, & ædificavit Niniven, & Rehoboth & Calah. Et Resen inter Niniven & Calah. Illa est civitas magna.* Equidem scio, Interpretes posteriora hæc verba de Assure filio Semi explicare: sed manifestum est ex toto contextu אשור heic non filium Semi esse, sed terram illam Tigri amne & Gordiæ montibus circumscriptam, quæ ab Assure filio Semi nomen sortita est. vide Clar. Samuelem Bochartum, Phaleg. Lib. IV. cap. XII. pag. 259. Hic ergo Nimrod omnino erit Ninus Assyriorum & Græcorum, à quo Niniven conditam volunt, XVIII anno Imperii, diu antequam Semiramidem, uxorem duceret, ex qua filium Ninyen sibi cognominem potea suscepit: ut à filio Ninya Urbs appellationem minime habuerit. Et huic optime ea omnia conveniunt, quæ de Nino apud Diodorum Siculum leguntur. Refert namque alios quidem in Oriente & Assyria antiquitus regnasse, sed illaudatos,

datos, primum vero factis celebrem fuisse Ninum. Hic enim κατάπλιστ τῶν νέων τοὺς κρατίςους γυμνάτας δ' αὐτοὺς πλείονα χρόνον συνήθεις ἐποίησε πάσῃ κακοπαθείᾳ καὶ πολεμικοῖς κινδύνοις. Diodor. lib. 11. Quomodo vero illos exercuerit, Moses indicat, qui illum vocat potentem Venatorem coram Domino, hoc est revera talem. Nimirum Ninus hic sive Nimrod robustos juvenes collegit, & hos venationibus ita exercuit, ut demum ad bellum essent exercitatissimi. Bene enim Xenophon Cyropædiæ lib. 1. de venatione loquitur: ἀληθεστάτη δοκεῖ αὐτη ἡ μελέτη τῶν πρὸς τὸ πόλεμον εἶ). Atque ita potens ille Venator collecto sub prætextu venationis globo fortissimorum, atque exercitatissimorum juvenum, imperium Noachi in filios invasit, ac paternum regimen in Dominium, sive Regnum convertit: propter quod non vero nomine, sed alio ipsi ex hoc scelere à Noacho imposito, נמרד *Nimrod*, hoc est rebellis vocatur: cum proprium ipsius Nomen, ipsi à Chuso Parente inditum, esset נינוה *filius habitationis* à נין & נוה, unum Nun eliditur in medio, quod in compositionibus nominum non ita rarum est. Ita vero Ninus à Parente vocatus est, quod ipso nuper nato, mansionem certam ac propriam invenerit. De conditore autem Babylonis Græci disputant. Ctesias ex archivis Assyriorum, Babylonem à Semiramide conditam prodit, quæ etiam Herodoti opinio fuisse videtur, quamvis hic in temporum ratione nonnihil erret. Hos notat Berosus apud Iosephum lib. 1. contra Apionem, & vanos hac in re fuisse dicit. Stephanus vero M.SS. ex Herennio, quem Illustriss. Salmasius eundem cum Philone Bybliensi esse probat, hęc de Babylonis origine tradit. Βαβυλὼν &c. κτίσμα Βαβυλῶνος ἀνδρὸς σοφοῦ παιδὸς Βήλου σοφωτάτου οὐχ' ὡς Ἡρόδοτος ὑπὸ Σεμιράμιδος. Ταύτης γὰρ ἦν ἀρχαιότερα ἔτεσι χιλίοις δύο. Sed vanum est quod de Etymologia nominis narrat. ut & illud, quod Etymologus de hac eadem voce notat. Id tamen manifestum est Babylonem à Nimrodo primum conditam filio Beli, non Tyrii (quod Dorotheo Sidonio apud Firmicum placet) sed Babylonii sive Assyrii, cujus templum Babylone fuit, de quo Diodorus lib. 11. & Plinius lib. VI. cap. 26. Belus ergo Babylonius omnino est Chus, quem Patrem Nimrodi Scriptura vocat. Quia vero hic scientiam Astrologicam invenit, ideo templum ipsi mortuo, à filio & socru dicatum est, ipseque inter Divos primum relatus, & Baal sive Belus, hoc est, Dominus vocatus est. Plin. lib. VI. cap. 26. *Durat adhuc ibi Iovis Beli templum. Inventor hic fuit sideralis scientiæ.* Vid. Diodorum lib. 11. Sed utraque sententia vera est. Namque Nimrodus filius Beli, primus Babylonem fundavit, sed conturbatis operis propter confusionem

nem linguarum cælitus immissam, inchoatum opus perficere non valuit. Conjux igitur Semiramis cœptum à marito opus, sed pœnæ ac supplicii formidine interruptum, rursus post ejusdem obitum aggressa, civitatem absolvit, ut illa jure diceretur, ipsam condidisse. Ita ergo Historia cohæret. Homines super terram multiplicati in vallem Sennaar venerunt, atq; ibi habitarunt. Ad hos Ninus sive Nimrod venit, & necato eo, qui tum inter barbaros auctoritate maxime pollebat, populũ sub suum imperiũ recepit. Id ubi factũ erat, civitates illas quarum in Genesi mentio fit, in Babylonia condidit, præter ipsam Babylonem. Tandẽ vero jam opibus, viris, armisq; auctus civitatem turrimque, qua nomen sibi æternum pararent, exstruere reliquis persuasit. Sed divino supplicio fractus territusque, relicta Babylone in Assyriam concessit, ibidemque Niniven ex suo nomine condidit, anno Imperii, ut Diodorus refert XVIII. Postea vero, cum plurimas ac difficillimas gentes subjugasset: (ita ut non frustra à Clar. Bocharto pro Baccho antiquo habeatur) atq; annos 52 imperio præfuisset: demum obiit, relicta uxore Semiramide & filio impubere Ninya. Uxor vero Semiramis, suscepto imperio. quod annis 42 gessit, infamem aggressa locum, opus à marito cæptum uno anno perfecit. Inde Beli quoque templum ad finem perduxit: in quo Chaldæorum & sapientum Babyloniæ observationes cœlestes fieri cœptæ. Diodorus lib. 2. pag. 69. *Μετὰ δὲ ταῦτα ἐν μέσῃ τῇ πόλει κατασκευάσειν ἱερὸν Διὸς ὃν καλοῦσι οἱ Βαβυλώνιοι Βῆλον......ὁμολογεῖται δὲ ὑψηλὸν γεγενῆσθαι καθ' ὑπερβολήν, καὶ τοὺς Χαλδαίους ἐν αὐτῷ τὰς τῶν ἀστέρων πεποιῆσθαι παρατηρήσεις ἀκριβῶς θεωρουμένων τῶν τε ἀνατολῶν καὶ δύσεων διὰ τὸ τοῦ κατασκευάσματος ὕψος.* Fuerunt autem hæ Chaldæorum observationes, annorum juxta Diodorum 473000. quod antea lib. 1. cap. ult. explicuimus de annis 1903. quot verè fuisse disertis verbis Porphyrius apud Simplicium testatur, lib. II. de cœlo: *διὰ τὸ μήπω τὰς ὑπὸ Καλλισθένους ἐκ Βαβυλῶνος πεμφθείσας παρατηρήσεις ἀφικέσθαι εἰς τὴν Ἑλλάδα τοῦ Ἀριστοτέλους τοῦτο ἐπισκήψαντος αὐτῷ ἅστινας διηγεῖται ὁ Πορφύριος χιλίων ἐτῶν εἶναι καὶ ἐνακοσίων τριῶν μέχρι τῶν χρόνων Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνος σωζομένας.* Ex quibus tempus & Epocha Imperii Assyriorum demonstratur. Anno namque tertio Semiramidis templum hoc Beli, in quo observationes hæ factæ sunt fundatum est: ideoque sequenti anno omnibus jam perfectis observationes fieri cæperunt. An. autem Per. Jul. 4383. Babylon in Alexandri Macedoni spotestatem pervenit, à quo si anni 1903. auferantur, prodibit 2480 annus quartus Semiramidis. Ninus ergo sive Nimrod, decessit anno Per. Jul. 2477: & cum annis 52 regnaverit, incepit an. Per. Jul. 2425. Anno vero

Per. J. 2442. ædificavit Niniven & paucis annis antea, confuſio linguarum, circa Babylonem, contigit an. XII aut XIII Phalegi; poſt diluvium autem CXIII. quod & Scriptura indicat Gen. x. Confuſionis autem hujus ita meminit Abydenus apud Euſebium IX. Præpar. & Cyrill. adver. Julian. Ἔστι δὲ οἳ λέγουσι τοὺς πρώτους ἐκ γῆς ἀνασχόντας ῥώμῃ τε καὶ μεγέθει χαυνωθέντας καὶ δὴ θεῶν καταφρονήσαντας ἀμείνονας εἶναι, τύρσιν ἠλίβατον ἀείρειν, ἵνα νῦν Βαβυλών ἐστιν, ἤδη τε ἄσσον εἶναι τοῦ οὐρανοῦ, καὶ τοὺς ἀνέμους θεοῖσι βωθέοντας ἀνατρέψαι περὶ αὐτοῖς τὸ μηχάνημα· τοῦ δὴ τὰ ἐρείπια λέγεσθαι Βαβυλῶνα. τέως δὲ ὄντας ὁμογλώσσους ἐκ θεῶν πολύθροον φωνὴν ἐνείκασθαι. Et Eupolemus apud Euſebium loco cit. dicit, πόλιν Βαβυλῶνα πρῶτον μὲν κτισθῆναι ὑπὸ τῶν διασωθέντων ἐκ τοῦ κατακλυσμοῦ· εἶναι δ᾽ αὐτοὺς γίγαντας, οἰκοδομεῖν δὲ τὸν ἱστορούμενον πύργον. Πεσόντος δὲ τούτου ὑπὸ τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας τοὺς γίγαντας διασπαρῆναι καθ᾽ ὅλην τὴν γῆν. Hæc primordia ſunt nobiliſſimi ac toto orbe celeberrimi imperii, quod ultra annos mille & quadringentos, plane immotum duravit. Diodorus lib. II. Ἡ μὲν οὖν ἡγεμονία τῶν Ἀσσυρίων ἀπὸ Νίνου διαμείνασα μὲν τριάκοντα γενεὰς, ἔτη δὲ πλείω τῶν χιλίων καὶ τετρακοσίων ὑπὸ Μήδων κατελύθη. Sed de numero Regum lis eſt. Quippe Diodorus heic XXX ſaltem ex mente Cteſiæ (quem ſequitur,) conſtituere videtur. At Cephallion, ſaltem XXIII Reges ex eodem Cteſia, fuiſſe dicit: apud Euſebium Chron. I. pag. 30. edit. Scalig. τοὺς δὲ βασιλεῖς, εἰ τις εἰδῆσαι βούλεται, Κτησίας φησὶν ὁ λέγων τὰ ὀνόματα αὐτῶν, κ΄ οἶμαι καὶ γ΄. Euſebius XXXVII recenſet cum Belo; Africanus XLI. Sed priores, eo quod nomina regum recenſere non curabant, neque numerum eorum exacte tenebant. Africano ergo maximè credendum eſt, qui Euſebio major, omnium regum nomina & tempora conſignavit, in fragmento quod apud Scaligerum in excerptis exſtat. Anni vero horum regum in unam ſummam collecti dant 1484. quibus ſi 55 annos Beli (Patris Nimrodi, quos etiam Africanus numerat) adimas, remanebunt anni 1429. qui cum Diodori calculo optime conveniunt. Imperium ergo Aſſyriorum, quod anno Per. Jul. 2425 cœpit, ſi à Nino incipias, 2370 vero ſi à Belo, ſive primo Chuſi in Babyloniam adventu, manſit uſque ad annum Per. Jul. 3852. Nos Catalogum continentem annos Imperii, cujusque Regis, cum adjuncto anno Per. Jul. quo quisque cœpit: appoſuimus juxta quod judicari poterit, quo quisque tempore vixerit. Scio Petavium ex Medorum Imperio, quod Aſſyriorum excepit, aliter argumentari: ſed ut cætera taceam, illud ſane heic præſupponit, quod omnino falſum eſt, Aſtyagis nempe XXXV annum, anno Per. Jul. 4154, finitum fuiſſe, quo Cyrus cœpit. Nam hoc anno Cyrus primò Perſidis regnum invaſit, multisque poſtea annis, cum Aſtyage de

reli-

Catalogus Regum Assyriorum.

Nom. Reg.	*Ann. Imp.*	*Per. Iul.*		*Nom.*	*A. R.*	*Per. Iul.*
1 Belus	55	2370	22	Sosares	20	3134.
2 Ninus	52	2425	23	Lampraes	30	3154.
3 Semiramis	42	2477	24	Panyas	45	3184.
4 Ninyas. Sames.	38	2519	25	Sosarmus	42	3229.
5 Arius	30	2557	26	Mithræus	27	3271.
6 Aralius	40	2587	27	Teutamus	32	3298.
7 Xerxes	30	2627	28	Teutæus	44	3330.
8 Armamithres	38	2657	29	Arabelus	42	3374.
9 Belochus	35	2695	30	Chalaus	45	3416.
10 Balæus	52	2730	31	Anabus	38	3461.
11 Sethos. Altadas	32	2782	32	Babius	37	3499.
12 Mamythus	30	2814	33	Thinæus	30	3536.
13 Aschalius	28	2844	34	Dercylus	40	3566.
14 Sphærus	22	2872	35	Eupachmes	38	3606.
15 Mamylos	30	2894	36	Laosthenes	45	3644.
16 Spartheus	42	2924	37	Pyrtiades	30	3689.
17 Ascatades	38	2966	38	Ophratæus	21	3718.
18 Amyntes	45	3004	39	Ephacheres	52	3739.
19 Belochus	25	3049	40	Acracarnes	42	3791.
20 Balatores	30	3074	41	Sardanapalus	20	3833.
21 Lamprides	30	3104		Finis Imper.		3852.

reliquo imperio pugnavit. Neque enim statim quando Cyrus rebellis factus est, Astyages Medorum, imo Orientis imperio, privatus est, sed longe post, ac annis fere XIII. ut in Epocha Medorum dicemus.

Cap. VI.

De Chamo antiquo. Regni Ægyptiaci origines. Infinita annorum multitudo, quæ ex Dynastiis Ægyptiacis colliguntur, ex Manethone explicantur. Epocha Imperii Ægyptiaci, &c.

CHAM filius Noachi in Africam concessit assumtis duobus filiis Mizraim & Phuth: quorum ille Ægypto, hic ulteriori Libyæ nomen dedit. Ipse vero Cham sive חם totam ex se Africam, Chamiam & Ammoniam appellavit, ut ex Plutarcho manifestum est. Et hic est ille Iupiter Ammon, tanta Aegyptiorum ac Lybiorum religione cultus, qui, ut Curtius tradit, in cymba sive navi (ad Diluvii memoriam) circumgestabatur, quoties oracula edere debebat. Et propter hoc in Psalmis, Ægyptus toties vocatur ארץ חם *terra Cham*, eo quod illic primum Cham resederit, & imperium suum constituerit. Tempus vero, quo hoc imperium & primo cœperit, & postea duraverit, in variis tomis à Manethone perscriptum fuit, Regique Ptolomæo Philadelpho dicatum, quod tamen ad nostras manus non pervenit. Nomina vero regum omnium cum annis Imperii, apud Eusebium ex Manethone descripta exstant, quæ tamen non per omnia conveniunt, cum iis quæ in collectaneis à Scaligero edita sunt. Et sane Eusebius Reges hos interpolasse videtur, ut suo instituto melius convenirent. Quicquid sit, illud satis constat, in numeris annorum regum, mire erratum esse, minusque eum falli, qui cujusque Dynastiæ annos collectos, quam qui singulorum Regum, sequutus fuerit. Ita vero de temporibus his scribit Manetho, sicut ab Eusebio verba ejus citantur, Chronic 1.pag.6. Ἡφαίστου χρόνος οὐκ ἔστι διὰ τὸ νυκτὸς καὶ ἡμέρας αὐτὸν φαίνειν. ἔπειτα Κρόνος καὶ οἱ λοιποὶ πάντες θεοὶ ιβ' ἐβασίλευσαν ἔτη τρισχίλια ἑπτακόσια ὀγδοήκοντα τέσσαρα. Ἔπειτα ἡμίθεοι βασιλεῖς ν' ἔτη σϛ'. Καὶ μετ' αὐτοὺς γενεαὶ ιε' κυνικοῦ κύκλου ἀνεγράφησαν ἐν ἔτεσι υμγ' εἶτα Ταvιτῶν ιϛ' δυναστεία γενεῶν η' ἔτη ρϟ' μεθ' οὓς ιζ' δυναστεία Μεμφιτῶν, γενεῶν ιδ' ἐτῶν τμη'. ἔπειτα ιθ' δυναστεία Διοσπολιτῶν, γενεῶν ε'. ἐτῶν ρϟδ'. εἶτα κ' δυναστεία Διοσπολιτῶν γενεῶν η' ἐτῶν σκη'. ἔπειτα κα' δυναστεία Ταvιτῶν γενεῶν ιϛ' ἐτῶν ρκα'. εἶτα κβ' Ταvιτῶν γενεῶν γ' ἐτῶν μη'. ἔπειτα κγ' δυναστεία Διοσπολιτῶν γενεῶν β'. ἐτῶν ιθ'. εἶτα κδ' δυναστεία Σαϊτῶν γενεῶν κγ' ἐτῶν μδ'. μεθ' οὓς κϛ' δυναστεία Μεμφιτῶν γενεῶν ζ' ἐτῶν ροζ'. καὶ μετ' αὐτοὺς κζ' δυναστεία Περσῶν γενεῶν ε' ἐτῶν ρκδ' κη' δυναστεία ἔπειτα κθ' δυναστεία Ταvιτῶν γενεῶν ἐτῶν λθ'. καὶ ἐπὶ πάσαις λ' δυναστεία Ταvίτου ἑνὸς ἔτη ιη'. Sed in his verbis multa sunt vitiosa, præcipue in numeris, quæ ut felicius emẽdentur, ad certam quandam Epocham reducenda sunt. Iam primum illud certo cognitum est Cambysem (quem v. Imperii anno Ægypto potitum omnes dicunt) cœpisse An. Per. Jul. 4185. ut in sequentibus volente Deo demonstrabimus. Ideoque an. Per Jul. 4189. Ægypto potitus est. Sed & illud certum est Amose sive Tethmose Rege in Ægypto regnante, hoc est XVIII dynastia ineunte, Israelitas ex Ægypto egressos esse. Id enim Manetho

netho apud Iosephum I. contra Apionem indicat, ubi ait Pastores Phœnices, qui quingentos undecim annos Ægyptum tenuerant, cum vi non possent, pactionibus Ægypto ejectos fuisse, inde in Palæstinam irrupisse, atque Hierosolyma occupasse: quæ omnia de Israëlitis explicari debere manifestum est. Ex Plutarcho vero constat, annos apud Ægyptios, primo menstruos, inde quadrimestres, & demum semestres fuisse, ut antea dictum est. Et sane tales in ipso Manethone numerandos esse, exinde liquet, quod quindecim dynastiæ saltem 443 annos, in iis quæ nunc ex Manethone citavimus, durasse dicantur, quæ juxta Catalogum Regum, quem ex Manethone descripserunt Africanus & Eusebius, annos habent 3417. Sed si 2917 priores anni habeantur pro menstruis, 300 sequentes pro quadrimestribus, & ultimi 200. pro semestribus, prodibunt anni 443, omnino, ut Manetho explicat. Neque mirum cuiquam videri debet, mensem saltem unum duosve quenquam regnasse. Nam & juxta ipsummet Manethonem integra dynastia v. Regum saltem dies 75 duravit. Nimirum Ægyptii ante Iosephi tempora, quamvis Regem haberent, liberi tamen erant, neque tributum ullum dabant: ut ex Gen. cap. XLVI liquet. Illi vero, qui præerant, plus prudentibus consiliis, quam regio imperio, apud vulgus efficiebant. Imperium ergo, ut videtur, pluribus simul ex eadem civitate commissum erat, quorum unus tamdiu summæ rerum præerat, quamdiu aut consiliis salutaribus cæteros vinceret, aut in plebem magis gratiosus esset. Hinc natæ plurimarum dynastiarum plurimi reges, multæque inde natæ annorum centuriæ: quæ tamen commode explicari debent. Cum vero circa XVI dynastiam Phœnices Pastores (qui ante Patriarcharum tempora bis in Ægyptum irruptionem fecerunt, Memphimque ceperunt) radicem Ægypti, ut Manetho ait, convellere conarentur, Imperium (quod partitum, minus utile in tali negocio subditis erat) uni concreditum ac demandatum fuisse arbitror. Ideoque apud Manethonem sequentes tres dynastiæ longe plures habent annos, quam XV priores. Hæc cum ita sint: manifestum satis est, quadrimestres & semestres annos Ægyptiis in usu fuisse. Iuxta quam quidem rationem Patriarchæ, sive ultimi Pastores dicuntur imperasse, hoc est suis civitatibus & populis præfuisse, annis 511, qui quidem, si semestres heic intelligamus, conficiunt annos 250 fere, quibus Israelitæ in Ægypto hæserunt, à tempore nempe ingressus Iacobi ad Exodum. Egressi vero sunt Israelitæ ex Ægypto XVIII Dynastia incipiente, quam ducit Amosis sive Tethmosis, qui à Manethone perhibetur regnasse

annos

annos 25. Errat autem Iosephus in eo, quod dicat, eum, 25 annos imperasse post Israelitas, sive pastores ejectos. Narrat enim Manetho, Amosin regem, longè ante ejectionem, bello petivisse pastores, eosque in certum locum conclusisse, & denique permisisse, ut egrederentur. Scriptura vero dicit illum Regem, qui populum Israeliticum exegit, in Mari rubro periisse. Et ne quis hæc de filio Regis explicet, qui cum Patre imperium habuerit, ipsa Scriptura testatur, primogenitum Regis, qui sedebat super solium, & qui patre mortuo in imperio succedere debebat, eadem nocte interfectum fuisse, quo Israel è Gosen egressus est. Primum ergo 25 Amosis anni, auferendi erunt à summa annorum XVIII dynastiæ: inde reliqui anni ordinandi sunt. Manetho autem in citatis antea verbis, XVIII dynastiam omisit. Annos tamen posuit, sed cum XVII dynastiæ annis conjunctos; eo quod Pastores istis temporibus in Ægypto potentes essent. Colliguntur vero anni XVIII Dynastiæ, juxta Regum annos ab Africano ex Manethone exscriptos & ex Iosephi calculo nonnihil emendatos, 271. à quibus si plenos 24 annos Amosis detrahas, remanent 247. Tot ergo ex illa dynastia, anni residui erant, cum Israelitæ egrederentur. In XX dynastia, pro 228 legenda censeo 128. Nam apud Eusebium in Chronico, & in excerptis Manethonis, apud Scaligerum, legitur, 25. XXV dynastia omissa est, sed anni illius sub XXVI dynastiæ summa continentur. Atque ita anni dynastiarum XVIII.XIX.XX.XXI.XXII.XXIII. XXIV.XXV.& XXVI in unam summam collecti dant 1002; quibus si 24 solidi Amoseos anni detrahantur, remanent 978, qui additi ad 3210, quo Exodus contigit, dant annum Per. Jul. 4188. quo quidem exeunte Imperium Ægyptiorum ad Persas pervenit. Nam anno sequente P. J. 4189 Cambyses Ægyptum occupavit. Equidem non mihi latet 4188 ineunte plenos 978 annos terminari: sed fuerint sane in Dynastiis, omnes quidem anni pleni, super plenos autem annos in quavis dynastia dies aliquot, aut menses qui in partibus non numerantur, & tamen in integro, integrum annum conficiunt. Atque ita hæc omnia recte ordinata erunt. XXVI vero dynastiæ Reges, postea accuratius volente Deo, pertractandi sunt, cum inde historiæ sacræ, magna lux accedat. Quæ vero, ante XVIII, dynastiæ apud Manethonem sunt, earum anni ita se habent. XVII. & XVIII dynastiæ anni juncti faciunt annos 348. ut antea diximus. 271 ergo anni XVIII dynastiæ detracti, à 348 dant 77 annos, pro dynastia XVII. Iam XVI Dynastia habet annos 190. & quindecim priores dynastiæ annos 443. qui in unam summam collecti, faciunt annos 710. qui ablati à 3186

anno

anno Per.Jul. quo xviii dynaſtia cœpit, dant 2476. P.J. annum, quo prima dynaſtia cœperit, 147 annis poſt diluvium, quo etiam Ægyptus primum occupata eſt. Quæ hoc tempus antecedunt, nimium fabulis involuta ſunt. Dicit Manetho Semideos L. annis 217 ante hoc tempus regnaſſe. Quod quidem de Chamo ejusque filiis explicari poterit. Sed ita Chami imperium 70 annis ante diluvium cœperit. Equidem non dubito, quin Dii iſti, quorum mentionem facit Manetho, fuerint ex illis אנשי השם *viris celeberrimis*, quorum meminit Scriptura. Et Ἥφαιστος quidem, ſive Vulcanus, primus regum, is eſt revera Tubalcain Moſis, qui primus igne ferrum, aliaque metalla tractare docuit, quod ipſum de Vulcano Ægyptiorum tradit Plato. Sed multa fabulis corrupta ſunt, multa ſtudio in annis ab ipſo Manethone depravata, ut maximam antiquitatem ſuis Ægyptiis affereret. Et hoc quidem manifeſte exinde liquet, quod poſtea, omnium dynaſtiarum annos, conetur ad magnum annum canicularem reducere, ita ut in Ægypto regnatum eſſet ab indigenis 25 Cyclis canicularibus magnis. Nam uno Cyclo caniculari Sol, cum cœlo & anno Ægyptiorum, rurſus conveniebat, ſicut Ægyptii credebant. xxv vero annis Ægyptiacis Luna cum Sole & anno redibat in gratiam: ut Ptolomæo traditum eſt. Perfecta ergo ἀποκατάστασις, ex mente Ægyptiorum, erat xxv Cyclorum Canicularium magnorum. Cum ergo Manetho, perfecto tempore ab Aegypti regibus regnatū fuiſſe, vellet, regumq; poſteriorum annos non poſſet, antiquiſſimorum, in quibus à nemine facilè redargueretur, corrupit. Sane ſi & Ptolomæi Philadelphi quæſitum, & Manethonis propoſitum, accuratius conſiderentur, mirifice ſententiam noſtram confirmabunt. Scribit Manetho in limine operis ſui, ſicut ab Euſebio notatum eſt Chronici lib. 1 pag. 6. Edit. Scalig. ἡμᾶς δεῖ λογίζεσθαι μέγιστε βασιλεῦ περὶ πάντων, ὧν βούλῃ ἡμᾶς ἐξετάσει πραγμάτων. Ἐπιζητοῦντί σοι περὶ τῶν μελλόντων τῷ κόσμῳ γίνεσθαι, καθὼς ἐκέλευσάς μοι, παραφανήσεται ἃ ἔμαθον ἱερὰ βιβλία γραφέντα ὑπὸ τοῦ προπάτορος τρισμεγίστου Ἑρμοῦ. Sapientum opinio erat, Anno magno abſoluto, & mundum finiri, & rurſum cum novo anno novum mundum prodire. De hoc ita Cenſorinus cap. xviii. *Eſt præterea annus, quem Ariſtoteles maximum potius quam magnum appellat. quem Solis, Lunæ, vagarumque quinque ſtellarum orbes conficiunt, cum ad idem ſignum, ubi quondam ſimul fuerunt, una referuntur. Cujus anni hyems ſumma eſt* κατακλυσμὸς, *quam noſtri diluvionem vocant: æſtas autem* ἐκπύρωσις, *quod eſt mundi incendium. Nam his alternis anni temporibus mundus, tum exigneſcere, tum exaqueſcere videtur.* De magno autem hoc anno minime inter ſe auctores conveniunt, ut ibidem

Mm dem

dem notatur. Manetho autem eam ἀποκαταστάσιν maximam exiſtimavit, qua, poſt infinita fere ſecula, Luna & Sol, cum fixis omnibus, cum anno Aegyptiaco rurſum de novo convenirent. Et hanc geminatam pro magno anno habuit, cujus initio mundus conditus eſt, fine autem mundus terminabitur. Duæ ergo ἀποκαταστάσεις Cycli mundi fatum monſtrabant, una vero Aegypti. Initio enim prioris Cycli, Aegyptiorum Imperium cum orbe cœpit. Fine vero primi Cycli Indigenarum imperium deſiit, & Ptolomæorum cœpit. Hoc poſt 25 alios Cyclos Caniculares, ſive abſoluta altera ἀποκαταστάσει eundem cum mundo finem habiturum, prædicit Manetho. Atque ita quærenti de mundi fine Ptolomæo reſpondet. Et hæc cauſa eſt, propter quã antiquiſſima tempora à Manethone depravata ſunt. Tantũ de antiquis Ægyptiis.

CAP. VII.

De Cananæis ſive Phœnicibus. De Iapeti poſteris. Hiſtoria Iſraelitarum ſub Iudicibus, dubiaque Scripturæ, quæ illuc pertinent, explicata. Petavius notatur. Anni Regum Iuda uſque ad Captivitatem Babylonicam proponuntur & demonſtrantur, &c.

DIximus de tribus Chami filiis Chus, Phuth, Mizraim: nunc de quarto agendum eſt. Vocatur is Scripturis Canaan, Philoni Biblienſi (qui Sanchuniathonem ſcriptorem Phœnicem, ſive Cananæum in Græcum tranſtulit) Χνᾶ, ex quo celeberrimi in Græcorum Hiſtoriis, Phœnices oriundi ſunt, qui in univerſum fere orbem colonias deduxerunt, ut in pereruditо opere, quod de Phœnicum coloniis à Samuele Bocharto conſcriptum eſt, demonſtratur. Sed hujus gentis annales, qui Tyri erant, jam dudum perierunt. Fragmentum quidem unum aut alterũ apud Joſephũ adhuc exſtat, ſed non tantæ vetuſtatis Antiquiſſimũ vero Phœnicum monumentum illud eſſe videtur, cujus meminit Procopius Vandalicorum, Lib. II. his verbis. Τότε δὲ ἡ ἐπιθαλασσία χώρα ἐκ Σιδῶνος μέχρι τῶν Αἰγύπτου ὁρίων Φοινίκη ξύμπασα ὠνομάζετο. οὗτος ὁ λαὸς ἐπεὶ ἄμαχόν τι χρῆμα τὸν ἐπηλύτην στρατηγὸν εἶδον· ἐξ ἠθῶν τῶν πατρίων ἐξαναστάντες ἐπ᾽ Αἰγύπτου ὁμόρου οὔσης ἐχώρησαν. ἔνθα χῶρον οὐδένα σφίσιν ἱκανὸν ἐνοικήσασθαι εὑρόντες, ἐπεὶ ἐν Αἰγύπτῳ πολυανθρωπία ἐκ παλαιοῦ ἦν, ἐς Λιβύην ἐστάλησαν. πόλεις τε οἰκήσαντες πολλὰς ξύμπασαν Λιβύην μέχρι στηλῶν τῶν Ἡρακλέους ἔσχον. ἐνταῦθά τε καὶ ἐς ἐμὲ τῇ Φοινίκων φωνῇ χρώμενοι ᾤκηνται. ἐδείμαντο δὲ καὶ

φρούριον

φρέριον ἐν Νεμιδίᾳ πόλει οὗ νῦν πόλις Τίγισις ἐστί τε καὶ ὀνομάζεται. ἔνθα στῆλαι δύο ἐκ λίθων λευκῶν πεποιημέναι ἄγχι κρήνης εἰσὶ τῆς μεγάλης γράμματα Φοινικικὰ ἐγκεκολαμμένα ἔχουσαι τῇ Φοινίκων γλώσσῃ λέγοντα ὧδε. ΗΜΕΙΣ. ΕΣΜΕΝ. ΟΙ. ΦΥΓΟΝΤΕΣ. ΑΠΟ. ΠΡΟΣΩΠΟΥ. ΙΗΣΟΥ. ΤΟΥ. ΛΗΣΤΟΥ. ΥΙΟΥ. ΝΑΥΗ. Reliqua Phœnicum admodum obſcura ſunt, & fabulis Græcorum involuta, uſque ad Hiramum Regem, de quo poſtea. Miſſis igitur his; cum de Chamo ſatis actum ſit, aliquid etiam de Iapheto dicendum eſt. Occuparunt ejus poſteri totam Europam, & magnam partem Aſiæ. Etiam poſterioribus ſeculis principatum, & in Semi & in Chami terris tenuerunt. Medi namque Iapheti filii, ſoluto Aſſyriorum Imperio, diu in Aſia potentes erant, uſquedum tandem à Perſis & Elymæis Semi poſteris victi ſunt. Sed Perſarum Imperium Iavan deſtruxit, Græcique per Aſiam & Aegyptum vagati regna omnia tenuerunt, quorum veſtigia Romani poſtea ſecuti ſunt. Sed quamvis armorum gloria Iapeti poſteri nemini mortalium cederent, acta tamen ſua geſtaque non ita antiquitus in literas referre noverant, ſicut Orientales: ſed fortia majorum facta carminibus incluſa identidem cantabant, quibus ſe ſuosque ad virtutem & fortitudinem excitabant, parum de tempore geſtæ rei ſolliciti. Et quamvis Græci, qui aliarum gentium origines ſatis feliciter è ſitu & tenebris eruerunt, multa de ſua antiquitate tradant: adeo tamen illa obſcura ſunt, ac in multis ſibimet ipſis contraria, ut nihil fere certi exinde concludi poſſit. Sed illa, quæ ab Græcis ante Olympiades, ab Italis Celtiſque ante Urbis conditum geſta ſunt, ad ſacram hiſtoriam non ſpectant, neque illi ulla in re uſui ſunt Ideoque de Europæorum & Iapetidum temporibus nihil dicemus, antequam eò ventum fuerit. Ad Semum ergo, ejusque poſteros Iſraelitas revertemur, quorum ex Aegypto egreſſum, & in terram promiſſam ingreſſum, hucuſque demonſtravimus. Nunc reliqua pertexemus. Iſraelitæ poſtquam in terram Canaan pervenerant, multis annis liberi erant, & vel nullum plane caput habebant, vel unum quidem, qui tamen non Regem, ſed Iudicem agebat. Manſit id ita, uſque ad extrema tempora Samuelis Iudicum ultimi: à quo primò Regem poſtularunt, & demum impetrarunt, Saulem nempe ex tribu Benjamin. Hoc ab Deo rejecto, eò quod mandatum Domini, de Amalechitis exſcindendis, non exſequutus fuiſſet, & poſtea in prælio contra Philiſtæos interfecto, David in imperio, primum Iudaico, inde Iſraelitico ſucceſſit, quod quadraginta annis tenuit. A Davide adhuc vivo, Salomon filius Rex creatur, qui quarto regni ſui anno

templum ædificare cœpit. Hoc tempus Spiritus Dei his verbis describit 1.Reg.VI.v.1.seq. *Anno quadringentesimo octoagesimo exitus filiorum ex Ægypto, anno quarto, mense Zivv (is est mensis secundus) Regni Salomonis super Israelem, ædificavit Salomo domum Domino.* Ex his verbis necessario ac demonstrativè concluditur, ab exitu filiorum ex Aegypto, usque ad quartum Salomonis Regis, effluxisse solidos annos 479. & cum quarto Salomonis 480 inivisse. Nam cum integris vocibus numerus annorum comprehensus sit, vana omnino, ne dicam impia, est eorum assertio, qui pro ארבעה legi volunt חמשה, nulla vocum similitudine, & magna sacrorum codicum injuria. Sed & Epocha sive radix temporum illis verbis adscripta est, ut de ea dubitare, Christiano non liceat, ויהי בשמנים שנה וארבע מאות שנה לצאת בני ישראל מארץ מצרים *Et fuit anno quadringentesimo octoagesimo exitus Israelitarum ex Ægypto.* Phrasis hæc לצאת totidem verbis concepta exstat Num. XXXIII.v. 18. *Et ascendit Aharon Sacerdos in montem Hor juxta verbum Domini & mortuus est ibi* בשנת הארבעים לצאת בני ישראל מארץ מצרים *anno quadragesimo exitus filiorum Israel ex Ægypto.* Hæc eadem plane verba sunt, quæ in altero loco exstant. Unus ergo locus ex altero explicari debet. Nemo enim melius Scripturas interpretari potest ipsis Scripturis. At certum est in loco Numerorum annum præcise quadragesimum ab Exodo denotari. Ergo & in altero loco annus præcise quadringentesimus octuagesimus intelligi debet. Dubium igitur nemini esse poterit, qui hunc Scripturæ locum legerit, quin anno ab Exodo 480, templum ædificari cœptum sit. Et cum Exodus 3210. An. Per. Jul. conveniat: templi ergo fundamenta jacta sint 3689, ineunte an.480. hoc est mense secundo anni, ut Scriptura tradit. Sed turbat heîc Petavius, & contendit annos hos 480. non ab Exodo, sed ab ingressu terræ numerandos esse. Ab Exodo autem ad quartum Salomonis 520 annos effluxisse asserit. Sed ut tantæ audaciæ patrocinium quærat, ex Scripturis consimilem phrasin adducere conatur, qua suam explicationem adjuvet. Phrasis illa desumpta est ex Deuteron. IV.vers.45.& 46. *Hæc sunt testimonia, ceremoniæ & judicia, quæ locutus est Mosch ad filios Israel.* בצאתם ממצרים. (quæ Petavius cum vulgato vertit) *quando egressi sunt de Ægypto. Trans Iordanem in valle domus Phegor in terra Sihon Regis Æmoræorum, qui habitavit in Hesbon, quem ceciderunt Mose & filii Israel* בצאתם ממצרים *quando egressi sunt de Ægypto.* Sed pessima hæc translatio est. Particula ב non solum denotat *in*, ut esset, *in egrediendo eos ex Ægypto*, sed etiam *postquam.* Psalm. XXXIV. v. 1. לדויד בשנותו לטעמו לפני אבימלך ויגשהו וילך Psalmus Davidis

Davidis, *postquam immutaverat faciem suam sive sensus suos coram Rege Abimelecho, & expulerat eum & abierat.* Quis hic verteret *cum immutaret.* Neque enim David tunc grates has Deo canebat, cum in maximo vitæ periculo constitutus insanum se simulabat: sed postquam foribus ejectus abierat: Nec tum statim, sed postquam ad sua pervenerat, & jam in tuto erat. Tum igitur hic Psalmus factus est, postquam immutaverat faciem suam, & ideo expulsus erat ac abierat. Sic Psalm. LI. כבוא אליו נתן הנביא *Psalmus Davidis quem fecit postquam venerat ad ipsum Nathan Propheta*, non cum veniret, aut juxta Hebraismum *in veniendo.* Nam cum veniret ad ipsum Nathan, minime de tali pœnitentia sollicitus fuit. Sed quis nescit ejusdem vocis Hebraicæ plures esse significationes? עד particula denotat *usque ad* & *semper.* Nomen שאל denotat infernum, & sepulchrum sive mortem, ut sexcenta alia tam in particulis, quam in verbis prætercam. Nil ergo hinc præsidii. Legendum enim est, *quæ locutus est Moseh ad filios Israel, postquam egressi fuerant ex Ægypto, & quem Moseh & filii Israel percusserunt, postquam egressi fuerant ex Ægypto.* Utrumque verum est. Nam utrumque post exitum contigit. Quot vero annis, aut quanto tempore, id non heic definit Scriptura: neque ullius anni aut temporis meminit. Quid ergo illud huc facit? Et tamen ex unico hoc loco Petavius sententiam suam confirmare conatus est, eo quod præter hunc in Scriptura alium non inveniret, quæ suæ sententiæ faveret. Quam belle vero id factum sit, nunc vidimus. Confugit tamen ad locum Exodi XII. *Habitatio filiorum in Ægypto annorum 430.* In qua Synecdochen illam esse vult, quam Septuaginta ponunt, quod nos antea refutavimus, & totum illum locum explicuimus. At si hoc maxime ipsi concederetur, nullum inde ipsius opinioni robur accederet. Sed videndum omnino, quid tantum virum moverit, ut à manifestis Scripturæ dictis recederet. Duo proponit, atque illa satis gravia. Primum est ex oratione Pauli Actor. XIII. ubi ita loquitur. *Et quadraginta annis pertulit mores ipsorum in Ægypto. Et delevit septem populos in terra Canaan, & terram eorum sorte distribuit. Et post hæc annis circiter 450 dedit Iudices ad Samuelem. Et postea Regem petierunt, & dedit Deus illis Regem Saulem filium Kis, ex tribu Benjamin quadraginta annis. Et cum hunc sustulisset, suscitavit ipsis Regem David, &c.* Alterum ex libro Iudicum petitur, in quo anni captivitatis, & Iudicum ita recensentur, ut exacte faciant annos 450. Quibus si quadraginta anni Samuelis & Saulis, ac quadraginta Davidis, cum quatuor Salomonis addantur, prodeunt anni 534. adde his quadraginta annos, quibus in deserto morati sunt,

 pro-

prodeunt anni 574. adde his annos Iosue & Seniorum, qui ad minimum sunt decem vel duodecim, prodeunt anni 586. Utrumque argumentum in eo convenit, quod longe plures annos producat, quam qui 1. Reg. cap. VI. numerantur. Sed neuter sane locus Petavio favet. Paulus namque primò numerat ab Exodo ad ingressum annos 40. inde annis aliquot terram domitam dicit. Postea Iudices præfuisse annos 450. & demum Saulum regnasse annis 40. Hi in unam summam collecti conficiunt annos 530. Et tamen illi quibus & terra domita est; & Iosua ac seniores vixerunt, heic non numerantur. Samuelis vero & Saulis anni conjuncti sunt. Quod si ad priorem summam 40 Davidis, & 4 Salomonis accedant, erit summa annorum 574. Si vero pro Iosuæ Imperio, XIV. pro Seniorum, X ponantur, ut ipsemet Petavius censet, erit summa 598 annorum, quæ cum Petavii 520 annorum minime convenit. Nostra quidem summa longius ab hac distat, sed illa cum expressis alterius Scripturæ verbis consentit. Petavius ergo, qui manifesta verba reliquerat, solus jam est. Neque ex his ullum subsidium suæ sententiæ adferre potest. Nam quod de Pauli loco diximus, id de Iudicibus quoq; intelligendum est, quorum Catalogus in Iudicum libro exstat. Totidem enim anni inde colliguntur, sicut ex laterculo adjuncto patet. Si enim omnes anni tam servitutis, quam Judicum & liberatorum, à prima servitute (quæ contigit sub Chusan Risathaim Rege Mesopotamiæ, quæ octo annis duravit, & à qua per Athnielem filium Kenas generum Calebi liberati sunt) usque ad Samuelis initium, sive obitum Heli numerentur, prodibit eadem summa annorum, quam Paulus proponit. Petavii igitur conciliatio sive explicatio, qua annos 480, quorum 1. Reg. cap. VI. mentio fit, non ab exitu ex Ægypto, ut Scriptura disertis verbis tradit, sed ab ingressu in terram Canaan deducit, neque in Pauli oratione, neque in libris Iudicum fundamentum, aut locum ullum habet. Ipsius ergo opinione rejecta videndum, qua ratione hæc inter se conciliari possint.

	Anni.	
Cusan.	8.	Capt.
Athniel.	40.	Jud.
Eglon.	18.	Capt.
Ehud.	80.	Jud.
Iabin.	20.	Capt.
Debora.	40.	Jud.
Madian.	7.	Capt.
Gedeon.	40.	Jud.
Abimelech.	3.	Jud.
Thola Phua.	23.	Jud.
Jair.	22.	Jud.
Ammon.	18.	Capt.
Jephte.	6.	Jud.
Ipsan.	7.	Jud.
Elon.	10.	Jud.
Abdon.	8.	Jud.
Philistim.	40.	Capt.
Samson.	20.	Jud.
Eli.	40.	Jud.
Summa	450.	

Pauli

Pauli, ut diximus, verba ex iis quæ in libris Iudicum perscripta sunt, dependent. Nam de primis quadraginta annis nullum dubium est. De iis, vero qui εἴσοδον & primam captivitatem intercedunt, Paulus nullum verbum facit. De quadraginta Samuelis & Saulis absolute loquitur. De his vero annis 450. ubi loquitur, addidit particulam ὡς, ne exactè numerasse, aut numerum definivisse videatur, quem non ex sua opinione, sed Iudæorum, apud quos tum agebat, & quibus loquebatur, protulit. Divus enim Apostolus dicit se omnibus omnia factum, ut omnes lucrifaceret, Iudæis quidem Iudæum, Idiotis vero Idiotam. Imo ut benevolentiam captaret, Pharisæum sæpius se esse simulabat. Sicut Actor. XXIII. v. 6. exclamat, se esse Pharisæum filium Pharisæi, quod tamen simpliciter verum non erat, sed limitate, ut Philosophi loquuntur. Verum hoc à Paulo factum, ut maximam & in vulgus potentissimam sectam ad se ita pertraheret, ut doctrinam de Christo ejusque resurrectione suis dogmatibus conformem crederent, adeoque & ipsos & plurimos alios lucrifaceret. Atque ita etiam heic, dogma, sive opinionem hanc, Pharisaicam sine dubio, (aliæ enim sectæ Scripturas non tam diligenter tractabant, ut de temporibus aliquid dicerent) ita statim in docto hoc auditorio proposuit, ut eos ea ratione magis attentos redderet, cum audirent ipsum doctissimæ sectæ placita sequi, atque ita multorum animas lucrifaceret. Nam verè doctissimis Iudæorum hanc de Iudicibus opinionem fuisse, ex Iosepho patet, qui Pauli σύγχρονος fuit, quique Sacerdos Hierosolymitanus, & omnium Sectarum sacris initiatus (ut ipse de se testatur) optime cognitum habebat, quid sapientissimi ac doctissimi de talibus rebus sentirent. Is enim libro quinto ita calculum subducit, ut singulatim servitutis ac liberationis annos recenseat, totque cuivis Iudici tribuat, quot post liberationem in Scripturis numerantur. Paulus igitur de 450 illis annis, non ex propria mente, sed Iudæorum pronunciat. Eorum vero sententia in libris Iudicum fundamentum habere credebatur. Quæstio ergo remanet integra, utrum ex Iudicum libro locus I. Reg. VI. an ex hoc loco, libri Iudic. loca explicari debeant? Sed I. Reg. VI. numerus integer, sive anni collecti proponuntur, in quibus nulla exceptio plenorum aut dimidiorum annorum locum habet. Neque heic dici potest, unum cum alio regnasse, vel in eodem loco, vel in diversis; quæ omnia in Iudicum libris locum habent. Sed & Epocha heic certissime constituta est, Exitus nimirum Israelitarum ex Ægypto, quæ nullis glossematibus depravari vult, neque pro Exodo εἴσοδος intelligi, quæ explicaito neutrum locum

cum conciliat; utrumque turbat. Dubium ergo nemini, qui veritatem amat, esse poterit, quin Iudicum liber, ex hoc tam insigni loco, explicari debeat. Sed facilis erit ratio modo omnia recte perpendantur. Israelitæ, uti dictum est, terram Canaan ingressi sunt An. P. Jul. 3250. VII annis post, hoc est Per. Jul. 3256 κληρουχία contigit. Iosuæ XIV. Longo autem tempore post partitionem terræ, cum jam Israelitæ multos annos in quiete fuissent, Iosua, post habitam ad populum orationem moritur. Quot vero annis Imperio præfuerit ex Scriptura cognitum non habemus. Solum illud dicit ימים רבים sive multos annos effluxisse à divisione terræ ad mortem Iosuæ. Phrasis vero hæc 1. Reg. 11. de Simei denotat tres annos. Sed Clemens & Eusebius XXVII annos Iosuæ tribuunt: Josephus annos XXV. At excludunt illi à Catalogo Iudicũ annos Seniorum, qui diu post Iosuam vixerunt, vel ut Scriptura loquitur, qui האריכו ימים *protraxerunt dies* vitæ post Iosuam. Moseh vero Majemon annos XIV Iosuæ tribuit. Sed hæ tres opiniones facile inter se conciliari possunt: si tribuamus Iosuæ annos XIV. Senioribus annos XI. & duos spatio isti, quod fuit inter mortem Seniorum & primam captivitatem. Sic enim & Majemonidis XIV. veri erunt, & Josephi XXV, utpote qui Seniorum non meminit, & tamen spacium aliquod ponit inter mortem Seniorum & primam servitutem, quæ si duum annorum constituatur, habebimus XXVII annos, quos Patres ab ingressu ad primam captivitatem numerant. Incidet ergo Mors Iosuæ in annum Per. Jul. 3264. & Seniorum finis in annum 3275. & initium servitutis in annum 3277. Duravit vero servitus illa annis VIII. Jud. III. & tum demum per Athnielem liberati fuere An. Per. Jul. 2385. Post hoc tempus *quievit terra annis 40.* Explicant hæc verba Iudæi, ut ex Iosepho patet, de Imperio Athnielis, quod tanto tempore duraverit. Sed aliud est terram tot annis quievisse, aliud Athenielem mortuum esse. Et hæc omnino distinguenda sunt. Et ita legendum Iud. III. *Et quievit terra quadraginta annis. Et mortuus est Athniel filius Kenas, & Israelitæ perrexerunt malum facere in oculis Domini.* Ita enim ista combinantur capite II. *Cum Deus excitaret illis Iudices, fuit cum Iudice, quamdiu is vixit ..... Sed cum moreretur Iudex, retrocedebant, & magis perverse agebant, quam Patres eorum.* At hæc eadem verba: *Et qievit terra*, postea indefinite ponuntur sine ullo respectu ad judices, & hoc eodem capite, & V. in quibus locis phrasis hæc usurpatur. Est vero quies duplex, una bona & libera, altera mala, sed necessaria. Libera est, quando quis in tranquillitate vivit, ut vult, nec cum ullo lites aut bellum habet. Necessaria

ſaria quies eſt quando quis mihi bellum infert, meque variis calamitatibus afficit: & ego interea meipſum defendere vel non poſſum, vel non audeo. Et quamvis ille maximis me injuriis afficiat, ego tamen me ipſi non oppono, ſed omnia patior ac perfero quæ mihi ingerit. Talis quies Iudæorum erat in Sabbathis. Quamvis enim hoſtes maxima ipſis mala intentarent, tamen ſe defendere non audebant, niſi vitam ipſorum immediate aggrederentur. Ita etiam in primitiva Eccleſia Sancti Martyres quieti erant, qui cum maximis calamitatibus afficerentur, nihil tamen contra tentabant. Etiam illi talem quietem habent, qui in afflictiſſimo belli ſtatu, maximis exactionibus pacem emunt, nec contra tendere audent. De utraque pace loquitur heic Scriptura, & omne illud tempus quietis numerat, quo aut Numinis beneficio optimam, aut prece & precio neceſſariam Iſraelitæ quietem agebant: uſque quo, rurſum, Deo liberatorem excitante, ad arma vocati, bellum gerere & arma tractare cœperunt, ſeque in libertatem vindicare. Ita ergo quies omni illo tempore fuit, quod eſt à profligato Chuſano ad interfectum Eglonem, & concitatos ad arma & libertatem capeſſendam Iſraelitas, auctore Ehude. Rurſus ab illo tumultu, ad liberatos à ſervitute Cananitica per Barachum Iſraelitas, quies eſt annorum 80: & inde ad ejectos & devictos Madianitas per Gedeonem, quies annorum 40. Includuntur ergo, primæ quieti, anni XVIII, quibus Moabitis ſervierunt, ſecundæ, XX quibus Cananitis, & tertiæ VII. quibus Midianitis. Adeoque cum Athniel An. Per. Jul. 3285 cœperit, Ehudis liberatio inciderit in annum 3325, Deboræ 3405, & Gedeonis 3445. Iudicavit autem Gedeon terram annis 40. qui omnino ab illo tempore incipiunt, quo Iſraelem liberavit. Nam antea abjectus erat. Gedeoni vero ſucceſſit Abimelech: Abimelecho Thola Phua, & huic Iair: quorum anni ita ordinandi ſunt, ut Abimelech incipiat 3485 Thola Puha 3488. Iair 3511. Hujus autem vita & imperium finitur An. 3532. Statim autem refert Scriptura, Iſraeli propter Idololatriam immiſſos eſſe Amnonitas, à quibus afflicti fuerint annis 18. quæ quidem ſervitus an. 3533 cœpit. Anno vero 3550. Iephta Galaaditis nuntios ad Amonitas mittit poſtulatum injurias, per quos illis ſignificat, Iſraelitas poſſediſſe terras illas, quas incolebant trans Iordanem annis 300. quod & verum eſt. Nam initio anni Per. Iul. 3250. terra Sihon & Og occupata eſt, ut ex Num. XX. & XXI. cap. collat. cum XXXIII. v. 38. patet. Unde manifeſtum eſt priora ita explicari debere, ſicut à nobis factum eſt. Exeunte autem An. Per. Iul. 3550. vel potius ineunte 3551. Iephta

devictis ac profligatis Ammonitis principatum assecutus est, quem sex annis tenuit. Huic successit Ibsan. annis 7. Post hunc regnavit Elon annis 10. & post illum Abdon annis 8. Iud. XII. Hujus finis incidit in annum Per. Jul. 3582. aut 3583. Sed Israelitæ post tempora Iair non simplici malo afflicti sunt. Non enim soli Ammonitæ incursionem in eos fecerunt, sed & Philistæi, qui una cum Ammonitis per XVIII annos ipsis infesti erant. Iud. x. v. 8. Atque his temporibus natus est Samson. Sed posteaquam Ammonitæ, tam fortiter à Iephta repressi erant, & Philistæi aliquo tempore quievisse videntur. Tandem vero iis mortuis, qui auctoritate & consiliis in populo maxime pollebant, rursum, divina permissione, Philistæi Israelitas invaserunt, eosque sub jugo quadraginta annis tenuerunt. His vero ipsis annis Sampson in populo eminebat, ac Iudicis sive Salvatoris locum tenebat. Ita enim cap. XIV. cum uxorem Samson ducere vellet, ut occasionem haberet Palæstinos affligendi, legitur. *Et Philistai imperabant iis temporibus super Israelem.* Quæ verba Israelitæ cap. XV. repetunt, cum jam Palæstinorum messem corruperat. *An nescis Philistaos imperare nobis?* Et fine ejus capitis, cum totum ipsius principatus tempus recensetur; ita dicit Scriptura: *Et judicavit Israelem temporibus Philistaorum annos* XX. Ut verissima sint illa, quæ ab Angelo de ipso prædicta erant, cap. XIII. *Et ille incipiet liberare Israelem ex manibus Philistaorum.* Nam manserunt tamen quasi sub jurisdictione Palæstinorum, neque sua unquam sub Samsone receperunt. Sed id saltem per Sampsonem consecuti sunt Israelitæ, ut Palestini ipsius iram ac fortitudinem veriti Israelitas non affligere auderent. Neque à Palæstinorum jugo liberati sunt, ante XX annum Samuelis. Ita enim legitur 1. Sam. VII. *Tum egressi sunt Israelita ex Mispa, & fugarunt Philistaos & percusserunt eos, usque ad Bethcar. Tunc sumpsit Samuel lapidem & posuit illum inter Mispa & Sen, & vocavit nomen ejus EbenEzer. Et dixit hucusque adjuvit nos Dominus. Sic humiliati sunt Philistai, nec venerunt ultra in terram Israelis. Et fuit manus Domini contra Philistaos, quamdiu Samuel vixit. Tum reddiderunt Philistai, Israelitis civitates illas quas ceperant ab Ekron, usque ad Gath. Quas Israel liberavit à manibus Philistaorum.* XL ergo annus imperii Philistæorum hic terminabitur. Neque enim antea Israelitæ è manu Philistæorum liberati sunt. Nam Samson quidem incepit liberare, ac Palæstinos ita afflixit, ut jugum Philistæorum levius esset, nec tamen liberavit. Nam principatus ipsius, qui viginti annis duravit, dicitur fuisse temporibus Philistæorum, hoc est cum illi regnarent super Israelem. Heli vero temporibus, de nulla quidem libera-

tione,

tione, sed magna clade, legitur, quam Israelitæ à Philistæis acceperunt. xx ergo anno Samuelis, sive quod idem est xx. post mortem Heli finis impositus est servituti illi annorum 40. cujus mentio fit Jud. XIII. v. 1. Contigit enim hæc Israelitarum victoria xx anno post captam & restitutam à Philistæis arcam 1. Sam. VII. 2. 3. Ideoque hic annus fuit xx. post mortem Heli, Samuelis vero xx. Principatus vero Samuelis & Regnum Saulis duravit annos XL. Actor. XIII. tantum enim temporis Paulus numerat ab initio Samuelis, usque ad finem Saulis. Sauli in imperio successit David, qui quadraginta annis præfuit. 1. Reg. II. v. 11. Huic successit filius Salomon, cujus quartus annus init à Nisan anni Per. Jul. 3689. Ergo primus Salomonis inivit à Nisan anni 3686. Adeoque primus Davidis cœpit An. Per. Jul. 3646. Et Saul vel hoc anno ineunte, vel priori 3645 exeunte decessit. Aufer hinc xx annos, habebis xx Samuelis, qui an. 3626. aut 3625. omnino convenit. Et hoc, servitus XL annorum finita est. Cœperat ergo an. 3585. Per. Jul. Ita ergo historia cohæret. Israelitæ post mortem Abdon (quæ An. Per. Jul. 3582. aut 3583 contigit) ad pristina peccata relapsi, pristinis pœnis obnoxii facti sunt. Nam crescente indies Idololatria Deus illos in manus Palæstinorum tradidit, ita quidem ut Philistæi armis Israeliticam terram invadentes, eandem sibi subjugaverint, ita ut Israelitæ coacti sint, tributum pendere, & Philistæorum imperium agnoscere. Neque Israelitæ Philistæis se audebant opponere conscientia male actorum moti. Statim vero Samson, ubi videret Israelitas, publice jugum Palæstinorum pati, memor vaticinii quondam de se editi, quod in publica causa præstare non poterat, in privata efficere conatus est. Atque ita capta occasione maximis cladibus Palæstinos affecit, pro qua tamen non cives sui, sed ipse pœnas luere debebat. Propter quod, & à Palæstinis postulatus, & à Popularibus traditus, novo infortunio Philistæos mactavit, atque mille viros interfecit. Hinc Philistæis terrori esse cœpit, ita ut illi neque tributa ab Israelitis exigere, neque aliud jure imperii in eorum terra libere agere auderent. Unde dolo ipsum aggressi, xx demum principatus anno vivum cœperunt. Quo captivo Israelis terram armis aggressi tributum, quod Israelitæ libero Sampsone Philistæis non dederant, vi atque armis exigere volebant. Contra hos Israelitæ progressi sunt indecorum rati, illi hosti tributum pendere, cui unus homo ex illis terrori antea fuisset. Sed cæsi & fugati alium ipso Samsone fortiorem accersebant, arcam nempe Domini, quam sibi auxilio fore sperabant. Sed id sine speciali Numinis mandato ac promissione

factum, male cessit. Nam & Israelitæ cæsi sunt, & arca capta. Quod ubi Heli nunciatum esset, (qui sicut Ibsan, Elon, Abdon, & Sampson, populi principes erant, qui suam salutem ac vitam populi saluti postponebant, ideoque alio nomine Salvatores dicti sunt: ita hic rempublicam administrabat, atque ea quæ inter Deum & homines erant ordinabat: etiam lites quæ inter proximos erant, quique ad ipsum veniebant, discernebat: non secus atque Debora, durante adhuc servitute Cananitica, populum judicabat) statim fractis cervicibus vitam finivit. Capto vero Sampsone & mortuo Heli, populus nullum aliud caput habebat, nisi Samuelem, cujus in populo propter prophetiæ donum auctoritas magna erat, vid. 1. Reg. IV. v. 1. His ita ordinatis manifestum est, nec annos Heli quadraginta, nec servitutis Philistææ quadraginta, singillatim numerandos esse: sed illos quidem Elonis (cujus primo anno Heli cæpisse videtur) Abdonis & Sampsonis; hos, Sampsonis & Samuelis XX, absorberi. Unde manifestum est ab annis 450. quam summam anni omnium servitutum, omniumque judicum, præter Samuelem, conficiunt, quam & Paulus ex Iudæorum mente sequitur, detrahendos esse, præter superius memoratos 18. Eglon, 20. Iabin & 7. Madianitarum, annos 80. adeo ut residuum non exedat 325. quibus addi debent 3 aut 4. illi anni, qui mortem Abdonis & initium servitutis Philistææ, intercedunt. Quibus si 40 Samuelis & Saulis, & 44. Davidis & Salomonis, una cum 40, quibus in deserto post Exodum hæserunt, & 27. qui sub Iosua, & Senioribus, & denique sine servitute & liberatore acti sunt: habebimus 480 illos annos à Scriptura 1. Reg. VI. propositos, qui ab Exodo ad ædificationem templi effluxerunt. Sed ut hęc omnia melius intelligi possint, laterculum apposui, in quo hæc omnia quæ hucusque disputata sunt, ob oculos ponuntur. Et quia hæc omnia satis diducte antea explicata sunt, plura de his non dicemus. Qui vero ad captivitatem usque deinceps sunt anni, ex Catalogo Regum ita colliguntur. Salomon quadragesimo Imperii anno decessit. Quo mortuo imperium in duo divisum fuit, &

2310.	Exodus.	
3250.	Ingressus.	40.
3264.	Iosua ob.	14.
3275.	Senior. ob.	11.
3277.	Capt. incip.	2.
3285.	Athniel.	8.
3325.	Ehud.	40.
3405.	Debora.	80.
3445.	Gedeon.	40.
3485.	Abimelech.	40.
3488.	Thola Phua.	3.
3511.	Iair.	23.
3533.	Cap. Ammon.	22.
3551.	Iephte.	18.
3457.	Ipsan.	6.

3564.

3564.	Elon.	7.
3674.	Abdon.	10.
3582.	Mors Abdon.	8.
3586.	Sampſon.	3.
3606.	Samuel.	20.
3626.	Fin. Capt. Phil.	20.
3646.	Initium David.	20.
3686.	Initium Salomo.	20.
3689.	Initium IV. ann.	

duæ quidem tribus ſtirpi ac domui David adhæſerunt, reliquæ Ieroboam ſecutæ ſunt. Atque hinc duo Regum Catalogi conficiuntur, unus Regum Iſrael, alter Regum Iuda, quorum anni ita inter ſe conferuntur, ut ad Ezechiam uſq; vix ullus error ſenſibilis committi poſſit. Ezechiæ annus charactere munitur & confirmatur. Nam illic XIV annus eſt Sabbathicus, & XV Iobelæus. Quod ex his verbis apud Eſaiam liquet. *Hoc anno comedes, quod ex ſeipſo provenit: ſequenti, quod exinde oritur. Tertio autem anno ſerite & metite, &c.* XIV anno Ezechiæ, Rex Aſſyriæ aſcendit contra Iudam. Eodem anno hæc dicta ſunt. Nam poſt hoc tempus Ezechias ægrotat. Et tum Dominus pollicetur ſe quindecim annos diebus vitæ ipſius adjecturum. Vixit verò Ezechias annos XXIX. ergo vel exeunte XIV. vel ineunte XV. ægrotavit. Ideoque verba priora An. XIV. à Propheta dicta ſunt, non XIII. ut Scaliger ſupponit. Dicit vero, *hoc anno comedetis ea, quæ ſponte naſcuntur.* Quid ita? licebatné Iudæis agrum ſuum colere & metere? Sane majus ſignum: erat liberatæ ab hoſtibus terræ, quod quivis ſuas res ageret, ſuumq; agrum ac vineam tuto conſereret, quam quod illum quieſcere permitteret. Sed ita textus hic explicari debet. *Hoc vobis ſignum erit.* Vos ut cognitum habetis, neque hoc, neque ſequenti anno ſerere, aut metere poteſtis propter legem. Ideoque cum hoſtis miſere terram veſtram vaſtaverit, ac maximam frugum vim corruperit, videtur vobis maxima miſeria impendere, non tantum ab hoſte, ſed etiam à fame. Sed divinæ clementiæ & auxilii hoc vobis ſignum erit, quod terra ipſa, quamvis propter religionem non colatur, tantum tamen frugum & hoc & ſequenti anno edet, quod ad vitam ſuſtentandam vobis abundè ſufficiet. Et hoc ſane indicium erat maximum divinæ benignitatis. Scio quoſdam ita locum hunc exponere, quaſi Iſraelitæ primo anno propter penuriam boum, altero propter inſtrumentorum ruſticorum agros conſerere non poterant. Sed ſi tanta boum tertio anno copia, ut tum ſerere potuerint, cur non & ſecundo? Nam ſi ipſi omnibus armentis ſpoliati erant, quod tamen minimè verum eſt, à vicinis igitur boves equoſque habebant, idque vel prece vel precio. At ſi tertio id anno habere poterant, cur non & primo aut ſecundo? Neque enim boves aut equi unius anni aratrum trahebant, Imo cur non

ligonibus ac rastris ipsimet terram moliri poterant? Nam quod de instrumentis rusticis dicitur: illud quidem ridiculum est, nec responsione dignum. Sed verba Prophetæ accuratius inspicienti satis manifestum est, aliam quietis biennii causam fuisse, Legem nempe Iudæorum, quam Ezechias pius Rex diligenter observabat. At nunquam terra biennio quiescere debebat, nisi anno Iobeleo. Tunc enim nec septimo Sabbatho, nec sequenti anno, (qui Iobeleus est, ut antea à nobis explicatum fuit) hoc est, integro biennio, serebant, aut in horrea convehebant. Cum igitur XIV & XV annis Ezechiæ lege prohibebantur terram colere, ut jam vidimus, ergo XIV annus omnino est septimum Sabbathum, & XV Iobeleus. Unde talis hinc character anni nascitur, qui nonnisi quinquagesimo anno ante, & quinquagesimo anno post hoc tempus competere potest. Iuxta accuratam vero annorum Regum inter se collationem, convenit annus XIV. Ezechiæ Per. Jul. an. 3991. & incipit an. 3990. circa autumnum, quo & hebdomas annalis init. terminatur vero an. 3991. circa autumnum. Et tum incipit XV annus Ezechiæ, & XV Iobeleus post ingressum terræ Canaan. Nam ut antea in Methodo annorum Iobelæorum dictum fuit: si annos 3256. auferas à dato An. Per. Jul. & residuum per 49 dividas, habebis, quotus ille annus à Iobeleo sit: quod si unitas remaneat, datus annus est Iobeleus. At si à 3992 auferas prædictum numerum remanent 736, qui per 49 divisi dant 1. residuum ergo 3992 est Iobelæus, qui quidem inceperit autumno præcedentis anni 3991. Omnes vero Regum Iudæ anni juxta accuratam hanc rationem subducti, ita se habent, ut in adjuncto laterculo exstant. Collatio heic cum annis Regum Israelis instituta est, sed juxta rationem Canonis Talmudici, *dies in anno revocat annum*, qui in his insignem usum habet. Quod vero dubia illa attinet in annis Ioram Regis Iuda, & Ioram ac Ieroboam II. Regum Israelis, arbitror cum Parentibus illos imperasse. Inter Ieroboam vero & Zachariam interregnum fuit XI. annorum, quo, nomine impuberis Zachariæ, regnum ab optimatibus administratum est. Et aliud rursus Interregnum ab interfecto Pekah

3686.	Salomo.	40.
3725.	Roboam.	17.
3742.	Abiam.	3.
3745.	Asa.	41.
3786.	Iosaphath.	25.
3810.	Ioram.	8.
3818.	Ahasias.	1.
3819.	Athalia.	6.
3824.	Ioas.	40.
3865.	Amazia.	29.
3894.	Azaria.	52.
3946.	Iotham.	16.
3962.	Achas.	16.

3978.

3978.	Ezechias.	29.	
3992.	xv. Ezechiæ.		
4007.	Manasseh.	52.	
4062.	Ammon.	2.	
4064.	Iosias.	31.	
4095.	Ioahas.	3.	menſ.
4096.	Ioachim.	11.	
4106.	Ioachim.	3.	menſ.
4107.	Zedechias.	11.	
4117.	xi. Zedechiæ.		

Pekah ad primum Oſeæ Ela, quo hic civium animos nondum ſibi devinxerat. Ioachim & Ioachin, ſive Iechoniç anni poſtea in Epocha Nabochodroſoris explicabuntur: ubi Epocha captæ Urbis & combuſti templi demonſtrabitur. Equidem diductius hæc pertractanda erant, ſi ſcripti anguſtia illud pati poſſet. Sed vereor ne nimii fuerimus: & alibi volente Deo, hæc melius dici poſſunt.

Cap. VIII.

De Regibus Tyriorum. Ioſephus emendatus. Locus Menandri Epheſii contra Petavium explicatur. Ioſephus contra Scaligerum defenditur. De conditu Karthaginis.

De Iſraelitis terræ Cananææ incolis hucuſque diximus. Ante hos, terram hanc Phœnices ſive Cananæi tenebant, quorum origines atque antiquitates diligenter quidem perſcriptæ fuerunt, quæ tamen temporum injuria ad nos non pervenerunt. Citat vero Ioſephus fragmentum quoddam ex Menandro Epheſio, qui ex archivis gentium hiſtoriam collegit, quod quidem ad tempora Davidis & Salomonis ſequentiumque Regum pertinet, magnamque ſacræ hiſtoriæ lucem adfert. Verba ex 1. Ioſephi contra Apionem hæc ſunt.

Τελευτήσαντος Ἀβιβάλου διεδέξατο τὴν βασιλείαν ὁ υἱὸς αὐτοῦ Εἰρώμος βιώσας ἔτη πεντήκοντα τέσσαρα ..... Ψηφίζεται δ' ὁ χρόνος ἀπὸ τούτου τοῦ βασιλέως ἄχρι τῆς Καρχηδόνος κτίσεως οὕτως· τελευτήσαντος Εἰρώμου διεδέξατο τὴν βασιλείαν Βαλεάζωρος ὁ υἱὸς ὃς βιώσας ἔτη μγ' ἐβασίλευσεν ἔτη ζ'. μετὰ τοῦτον Ἀβδάστρατος ὁ αὐτοῦ υἱὸς βιώσας ἔτη κθ', ἐβασίλευσεν ἔτη θ'. τοῦτον οἱ τῆς τροφοῦ αὐτοῦ υἱοὶ τέσσαρες ἐπιβουλεύσαντες ἀπώλεσαν. ὧν ὁ πρεσβύτερος ἐβασίλευσεν ἔτη ιβ'. μεθ' οὓς Ἀστάρτος ὁ Δελαιαστάρτου ὃς βίωσας νδ' ἐβασίλευσεν ἔτη ιβ'. μετὰ τοῦτον ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Ἀσέρυμος βιώσας ἔτη νδ'. ἐβασίλευσεν ἔτη θ'. οὗτος ἀπώλετο ὑπὸ τοῦ ἀδελφοῦ Φέλητος ὃς λαβὼν τὴν βασιλείαν ἦρξεν μῆνας η'. βιώσας ἔτη ν'. τοῦτον ἀνεῖλεν Εἰθώβαλος ὁ τῆς Ἀστάρτης ἱερεὺς, ὃς βασιλεύσας ἔτη λβ'. ἐβίωσεν ἔτη ξη'. τοῦτον διεδέξατο Βαδέζωρος υἱὸς ὃς βιώσας ἔτη με' ἐβασίλευσεν ἔτη ς'. τούτου διάδοχος γέγονε Μάττηνος ὁ υἱὸς ὃς βιώσας ἔτη λβ', ἐβασίλευσεν ἔτη θ'. Τούτου διάδοχος γέγονε Φυγμαλίων

βιώσας

βιώσας δὲ ἔτη νϛ' ἐβασίλευσεν ἔτη μζ'. Ἐν δὲ τῷ ἐπ' αὐτοῦ ἑβδόμῳ ἔτει ἡ ἀδελφὴ αὐτοῦ φυγοῦσα ἐν τῇ Λιβύῃ πόλιν ᾠκοδόμησε Καρχηδόνα; Συνάγεται δὴ πᾶς ὁ χρόνος ἀπὸ τῆς Εἰρώμου βασιλείας ἄχρι Καρχηδόνος κτίσεως ἔτη ρνε'. μῆνες η'. ἐπεὶ δὲ δωδεκάτῳ ἔτει τῆς Εἰρώμου βασιλείας ἐν Ἱεροσολύμοις ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς, γέγονεν οὖν ἀπὸ τῆς οἰκοδομήσεως τοῦ ναοῦ ἄχρι Καρχηδόνος κτίσεως ἔτη ρμγ' μῆνες η'. Verba hæc nonnihil corrupta sunt, sicut & alia multa in Iosepho. Summam namque annorum omnium, ubi Iosephus recenset, plures annos numerat, quam qui ex singulorum Regum annis in unum collectis conficiuntur. Ex omnium enim Regum annis non plures ad Carthaginis conditum colliguntur, quam 136 anni pleni, à quibus si 12 Hirami auferantur, remanebunt 124. Sed & de annis Hirami disputatio esse potest. Aliter enim legitur Orig. VIII. ubi ex hoc eodem Menandro hæc verba recitantur: τελευτήσαντος δὲ Ἀβιβάλου διεδέξατο τὴν βασιλείαν παρ' αὐτοῦ υἱὸς Εἴρωμος ὃς βιώσας ἔτη νγ'. ἐβασίλευσε τριάκοντα καὶ τέσσαρα. Sed ista quidem facilia sunt. Neq; enim Iosephus ipsa Menandri verba exscripsit. Sensus vero utrobique idem est. Ita enim in libro contra Apionem legendum erit: βιώσας ἔτι ἔτη τριάκοντα τέσσαρα. In Genevensi Editione, quæ ex MSS. Bibliothecæ Palat. accurata est, ut & Frobeniana ἔτι legitur omisso ἔτη. Sed similitudo vocum incautis & indoctis librariis facile imposuit. Sensus igitur est: Demortuo Abibalo successit filius Iramus, vivens adhuc annos 34. Quod & verum est, totidem enim solus & post patrem imperavit. XII vero hujus anno templum fundatum est, quod cum Salomonis historia bene convenit. Regnavit namque post jacta fundamenta templi annos 21. Quippe Salomon, quarto anno Imperii ineunte, templum ædificare cœpit. XX vero annis, & templi, & domus Libani structura perfecta fuit, I. Reg. 9. 10. & II. Chron VIII. I. At his omnibus perfectis Hiram adhuc vivit. Sed Historia Davidis his adversari videtur. Statim namque sub initium Imperii Davidis, post occupatas Hierusolymas & arcem Tsionis, Hiram Rex Tyri nuncios ad Davidem misisse legitur, cum materia cedrina & artificibus, qui Davidi domum fabricarent, II. Sam. V. Quo argumento fretus Petavius, & Iosephum & Scaligerum, imo ipsum Menandrum, adeoque Tyriorum annales hallucinatos pronunciat. Sed id quidem temere, cum alia ratio hæc conciliandi in promptu sit. Primo enim non illud statim sequitur, nuncios, aut eodem tempore, aut statim post captam arcem Tsionis, ab Hiramo fuisse missos, eo quod Scriptura hæc eodem loco recenseat. Solet enim Scriptura sicubi de re aliqua differit, ea quoque referre, quæ illuc aliquo modo pertinere possunt, quamvis tempore di-

ftincta fint, quod ex hoc eodem capite liquet. Heic namque filii Davidis recenſentur, quos genuit poſtquam Hieruſolymas venerat, inter quos primi ponuntur filii Bathſebah : cum tamen longo tempore poſt Bathſeba Davidis uxor facta ſit, filiique inde nati, quorum heic mentio fit. Sed cum Hieroſolymorum mentionem feciſſet : ea quæ Davidis domum attingunt, eadem opera pertexuit. Atque id ipſum in priori exemplo valet. Nam cum Tſionis à Davide occupati, & in locum domicilii electi, meminiſſet : etiam refert quomodo cedrinam domum Hirami beneficio illic acceperit. Et hoc quidem ita reſponderi poterat. Sed omnino hæc ab Hiramo geſta ſunt, plusquam duodecim annis ante templum inchoatum. Neque enim Salomon octennis regnare cœpit; & uno ad minimum aut altero anno ante natum Salomonem hæc geſta eſſe, tota hiſtoria demonſtrat. Sed ſi in Ioſepho pro ιγ'. legamus ογ', tum hæc commode explicari poſſunt, ut dicatur Hiramũ cum Patre Abibalo admodum ſene, & ad Imperandum inepto, plures annos (utpote decem aut duodecim) regnaſſe. Atque tum hiſtoria hæc ita erit ordinanda. Hiramus, anno XX Davidis, cum Patre Abibalo, & pro ipſo, ſumma rerum adminiſtrans nuncios & architectos ad Davidem mittit. Anno uno aut altero poſt, ea quæ Bathſebam concernunt, geſta ſunt; & biennio aut triennio poſt Salomoh natus, qui admodum juvenis in Regem coronatur, annos natus XV. An. autem Davidis XXXII. Per. Jul. 3677. ineunte Hiramus, Abibalo mortuo, ſolus imperat. Ideoque XII. ipſius annus incipit An. Per. Jul. 3688. & terminatur 3689 quo templi fundamenta jacta ſunt, ut ſuperiori capite dictum fuit. Templum autem exeunte Hirami XII. fundatum eſſe, ex Ioſepho patet : qui ſolidis XII annis minus numerat à templo inchoato, quam ab initio Hirami. Scio Ioſephum alibi XI. Hirami numerare. Sed ut bene Scaliger explicat, XI anno Hiram ligna ad templi fabricam miſit, exeunte vero XII ſtructura ipſa cæpta eſt. Si ergo ad 3677. initium Hirami anni addantur 155. aut 143 ad 3688 Hirami XII : habebimus tempus, quo à Didone Karthago condita eſt, annum nempe Per. Jul. 3832. Equidem Scaliger exiſtimat in annis collectis, Ioſephum annos vitæ Hirami pro regni numeraſſe. Sed quis facile crediderit, acutum hominem, & minime in ſcribendo ſomnolentum, tam craſſum ac fœdum errorem commiſſurum fuiſſe. In numeris ſane facillime vitium committitur, quod etiam plurimis in locis in hoc ſcriptore factum eſt. Omnino ergo XIX anni toti ſummæ erunt addendi, quos ita inſerendos arbitror, ut Aſtarto tribuantur decem, legaturque κϛ' pro ιϛ'. Ba-

 dezo-

dezoro autem novem, legaturque ιε' pro ϛ', facili permutatione, ut notum est. Atque ita quidem Ethbaal socer Achabi inceperit regnare an. Per. Jul. 3766. XII. annis ante initium Achabi, quæ optime cum Scripturis conveniunt. Epocham verò ædificatæ Karthaginis quod attinet, de ea scriptores minime conveniunt. Philistus apud Eusebium in Chronico refert, eam conditam fuisse à Zoro & Karchedone Tyriis, ante Troica. De Karchedone consentit Stephanus de Urbibus: Καρχηδὼν μητρόπολις Λιβύης ἀπὸ Καρχηδόνος Φοίνικος.

> - - - - *Sed quid non Græcia mendax*
> *Audet in Historia?*

Inepti Græculi cum veras origines nominum ignorarent, statim Heroem quendam aut Divum fingebant, Iovis aut Herculis filium sociumve, à quo terram istam denominarent. Zorus, qui Phœnicibus vocaretur צר hic omnino est Tyrus. Ita enim hæc civitas & Scripturis, & Arabibus hodie vocatur. Καρχηδὼν autem confusum est ex Kadreanach, & Karthada. Quod ergo de Zoro & Karchedone Tyriis dicitur, id omnino explicandum videtur de Tyro & Karthagine Civitatibus, eodem tempore conditis. Et sane si Iosepho fides, Tyrus post Israelitarum in terram Canaan ingressum, ducentis fere annis condita fuit; ducentis nempe & quadraginta ante conditum templi, adeoque juxta nostrum calculum, an. Per. Jul. 3449. ante Trojæ ἅλωσιν 82. si Eratosthenis Canonem sequamur. Quinquaginta autem annis ante Troica, Appianus Karthaginem conditam prodit. Fortè is qui Tyrum novam ædificaverat, una cum altero quodam ex gente Anach gigantis illius in Scripturis celeberrimi, etiã Karthaginem postea ædificavit. Sed à posteriori nomen Urbi impositum est. Chadre Anach namque, sive חדריאנך est *Sedes Anach*, sicut alibi חצרימות *Hadramuthum, Sedes Plutonis*, &c. In Scripturis Karthago תרשיש vocatur, quod deducitur à תירוש *musto*, & est Græcorum οἴνωσα. Sed hæc prima Phœnicum ἀποικία erat. Altera sub Didone contigit, cujus plures scriptores meminere. De ea sic Solinus. *Hadramytho & Karthagini auctor est à Tyro populus. Sed quæ super Karthagine veraces libri prodiderunt, hoc loco reddam. Vrbem istam, ut Cato in oratione Senatoria autumat, quum Rex Hiarbas rerum in Lybia potiretur, Elissa mulier exstruxit domo Phœnix, & Karthadam dixit, quod Phœnicum ore exprimit civitatem novam.* Karthada est mere Syriacum קרת חדתא καινὴ πόλις Stephano, ita ad differentiam illius civitatis vocata quæ antea à successoribus Anach ædificata Chadre Anach appellata fuit, & postea קדמה Καδμεία, hoc est antiqua, ut Stephano notatum est. Elisa eadem est quæ Dido. Illud proprium

nomen

nomen est, hoc à nutricibus impositum. Ab hac urbis ædificatione ad extremam devastationem sub Scipione Æmyliano, quæ contigit An.Per.Jul.4568.Cn. Cornelio Lentulo,& L.Mummio Coss.,annos Solinus numerat 737. Adeoque Karthago sive Karthada,aut saltem arx Karthaginis (quæ בצרה Phœnicibus, Græcis Βύρσα,appellata fuit) à Didone condita est An. P.J.3832.quod omnino verum est,& annalibus Phœnicum consonum. Nam si 143 anni cum 8.mensib.addantur ad annum Per.J.4689. quo templum conditum est,prodit annus 3832. qui est idem cum priori. Atque ita sententia nostra, de templi conditi anno exacte cum Phœnicum annalibus & Scripturis convenit. Scaliger ab hac Epocha IX annis in antecedentia aberrat, & tamen summam illam à Iosepho propositam annorum 143 non sequitur. At summam hanc collectorum annorum binis in locis Iosephus expressis verbis proponit. Et absurdum plane est dicere, adeo negligentem fuisse Josephum,ut annos vitæ pro regni sumeret. Sed omnino in Regum posteriorum annis à librariis erratum est, quod quam facile fieri potuerit,imo quam sæpe factum sit,præsertim in Iosepho, omnes norunt. Magis ergo tum heic, tum alibi collectos, quam expansos annos sequi tutum est, præsertim cum illi binis ternisve locis notati sunt: hi semel saltem, ut suspicio esse possit,hos corruptos esse, illos verò minime. Neque enim duo loca facile eandem corruptelam pati poterant. Quod si ad annum templi conditi addantur 143 anni, ut omnino ex Iosepho statuendum est; annus conditæ Carthaginis incidet,juxta Scaligeri Calculum,in Per.Jul.3839, juxta Petavii 3842. Adeoque illic VII,hic XI annorum μεταχρονισμῷ peccatur. Nostra vero sententia exactè convenit.

Cap. IX.

De Medorum contra Assyrios rebellione, & imperio. Eclipseos Solaris quæ Cyaxare Imperante contigit, verum tempus eruitur, ac inde tam Cyaxaris, quam omnium Regum Mediæ anni demonstrantur, &c.

SArdanapalus ultimus Assyriorum Monarcha cum luxu & libidine omnes prædecessores suos vinceret, justissimum scelerum Vindicem Deum ter Maximum ad pœnam infligendam excitavit, qui tamen antequam puniret, per Prophetam Ionam imminentem ipsi pœnam indicavit. Et tum quidem pœnitentia acta misericordiam

consequutus est: postea vero ad pristina scelera relapsus, in talem pœnam incidit, à qua miseri cives liberi essent. Duces namque & principes Imperii, inter quos primus Arbaces sive Astibares Satrapa Mediæ, facta conspiratione, ipsum ad illam necessitatem compulerunt, ut vivus semetipsum cremaret, sicut illud Diodorus ex Ctesia refert. Habebat vero Sardanapalus tres filios, quos ad Paphlagoniæ Satrapam sibi fidissimum misit, qui post Parentis mortem imperium capessiverunt. Neque enim verum est, quod Ctesias, & ex ipso Diodorus referunt, in Sardanapalo Assyriorum imperium plane desiisse. Scriptura namque centum annis post hæc tempora, meminit potentissimorum Regum Tiglath Pilleser, Phul & Sancherib, qui aliis gentibus summo terrori erant. Bene ergo & vere Herodotus de Assyriis, qui Niniven tempore Phraortis (longe post Arbacem Medici Imperii conditorem) tenebant, dicit: οἱ Νίνον εἶχον καὶ ἦρχον πρότερον πάντων τότε δὲ ἦσαν μεμουνωμένοι μὲν συμμάχων ἅτε ἀπεστεώτων ἄλλως μέντοι ἑωυτῶν εὖ ἥκοντες. Hanc ergo cladem morte Sardanapali, Assyriorum Imperium accepit, ut plurimis populis deficientibus ac rebellantibus, ex potentissimo infirmum redderetur. Rebellavit verò Arbaces Medus, cæterosque populos, Babylonios præcipue, ad rebellionem incitavit, brevi ante exitum Sardanapali, qui, ut in Epocha Assyriorum dictum est, incidit in annum Per. Jul. 3852. Adeoque Arbacis initium incidit in annum Per. Jul. 3852. Regum vero nomina & anni juxta Diodorum & Ctesiam ita se habent.

Arbaces.	28.	3852.
Mandauces.	50.	3880.
Sosarmus.	30.	3930.
Artycas.	50.	3960.
Cardiceas.	22.	4010.
Dejoces.	40.	4032.
Phraortes.	22.	4072.
Cyaxares.	40.	4093.
Astyages.	35.	4132.
Finis.	0.	4107.

Sed insigni charactere hæc probanda sunt. Refert Herodotus lib. 1. Cyaxarem Alyatti bellum intulisse, eo quod is Scythas Nomades recepisset, qui cum ad Cyaxarem venerant, ab eoque bene habiti fuerant, propter leve quoddam verbum, puerum quendam, sibi ad instituendū commissum, ferinæ loco, ipsi Cyaxari aliisque convivis obtulerant. Hoc bello per quinque annos gesto, demum, τῷ ἕκτῳ ἔτει συμβολῆς γενομένης συνήνεικε, ὥστε τῆς μάχης συνεστεώσης τὴν ἡμέρην ἐξαπίνης νύκτα γενέσθαι. τὴν δὲ μεταλλαγὴν ταύτην τῆς ἡμέρης Θαλῆς ὁ Μιλήσιος τοῖσι Ἴωσι προηγόρευσε, ἔσεσθαι οὖρον προθέμενος ἐνιαυτὸν τοῦτον ἐν τῷ δὴ καὶ ἐγένετο. Herodoto consentit Eudemus apud Clementem Stromateo. 1. Verba Clementis hæc sunt: Θαλῆν δὲ Εὔδημος ἐν ταῖς ἀστρολογικαῖς ἱστορίαις τὴν γενομένην ἔκλειψιν τοῦ ἡλίου προειπεῖν φησι, καθ' οὓς χρόνους συνῆψαν

μάχην

μάχην πρὸς ἀλλήλους Μῆδοί τε καὶ Λυδοὶ βασιλεύοντος Κυάξαρους μὲν τοῦ Ἀστυάγους πατρὸς Μήδων, Ἀλυάττου δὲ τοῦ Κροίσου Λυδῶν. Συνᾴδει δὲ αὐτῷ καὶ Ἡρόδοτος ἐν τῇ πρώτῃ. εἰσὶ δὲ οἱ χρόνοι ἀμφὶ τὴν πεντηκοστὴν Ὀλυμπιάδα. Sed tempus quod Eudemus hic indefinite ac rotundo numero posuit, *circa L. Olympiadem*, id Plinius lib. II. cap. XII. accurate describit, dicitque Eclipsin hanc contigisse Olympiadis XLVIII. anno IV. Incipit autem Plinius annos Olympiadum, non ab æstate, sed ab initio anni civilis Romani, quod Diodoro Siculo solemne est. Cœpit autem quartus annus Olympiadis hujus An. Per. Jul. 4129. & paucis ante æstatem diebus, Maji nempe XXVII. (quo juxta Plinium cum Romano anno Olympiadum annus inceperat) maxima Eclipsis contigit, cujus medium visum est Sardibus hora 4. 30′. post meridiem. Totusque Sol obscuratus est, ut ex Calculo tabularum Lanspergii patet. Hanc Eclipsin Alyatte Rege, Lydis imperante, factam fuisse, & ab Thalete prædictam Plinius lib. II. cap. XII. his verbis refert. *Et rationem quidem defectus utriusque primus Romani generis, in vulgus extulit Sulpitius Gallus........ Apud Græcos autem investigavit primus ominum Thales Milesius Olympiadis* XLVIII. *anno* IV, *prædicto Solis defectu, qui Alyatte rege factus est.* Adeoque ex Plinio & Eudemo cum cœlestibus ratiociniis collatis, illius Eclipseos tempus eruimus, cujus Herodotus meminit. Nunc illud ad annos Cyaxaris erit applicandum. Refert Herodotus Cyaxarem Parenti Phraorti, sicut in imperio, ita & in bello contra Niniven successisse: in quo cum Parens vitam posuisset, hic paternæ cædis ultor, obsidione urbem cingere parabat. Gesta sunt hæc initio, ut apparet, ipsius imperii. Sed irruentibus in Asiam Scythis obsidionem solvere coactus fuit. Hi enim per universam Asiam vagati, eandem 28 annis tenuerunt. Sed cum principio Ægyptum invadere conarentur, præmiis à Psammeticho Patre Nechos acceptis decesserunt. Obiit Psammetichus An. Per. Jul. 4095. ineunte. Ergo ante hoc tempus incepit Cyaxares, siquidem ipso regnante à Scythis, hæc impressio facta sit. At An. 4129. mense Majo, idem adhuc regnat, ut ex Herodoto, Eudemo & Plin. patet. Ita ergo tota hæc historia ordinanda erit. An. Per. Jul. 4093 exeunte, Patri in bello mortuo successit Cyaxares, bellumque contra Ninivitas urgebat. Sed ab ingruentibus, initio anni 4094, Scythis retractus est, qui cum reliquam Asiam instar fluminis inundassent, ad Ægyptum statim impetu quodam perrexerunt. Inde vero donis acceptis recesserunt, exeunte an. Per Jul. 4094. Reliquam vero Asiam ita 28 annis infestam habuerunt, Regibus Asiæ sua curantibus & donis

nis barbaros hoſce placantibus. An. vero 28. hoc eſt Per. Jul. 4121. epulis lautiſſimis à Cyaxare excepti, ac tandem inebriati trucidantur. Anno autem eodem, aut ſequenti ineunte, Scythæ Nomades diverſi à prioribus ad Cyaxarem veniunt, quibus pueros quosdam tradidit inſtituendos, quod & duobus annis fecerunt. Anno autem tertio, Cyaxaris 32. Per. Jul. 4124. commiſſo crudeliſſimo ſcelere ad Alyattem perfugiunt, adeoq; bellum inter hos concitant, quod quinque annis geſtum fuit. Sexto vero belli anno ineunte, Per. Iul. 4129. Maji XXVII. defectu Solis territi, de pace agere incipiunt. Poſt illud tempus Cyaxares 3 annos vixit, adeoque An. Per. Iul. 4132 deceſſit, cui ſtatim in imperio ſucceſſit Aſtyages filius, annos natus 44, ut poſtea dicemus. Finis ergo Aſtyagis incidit in annum Per. Iul. 4167. XIII. ergo annis poſt illud tempus regnavit, quo Perſarum Imperium Cyrus invaſerat. Equidem quacunque ratione calculum ſubducas, nunquam efficies, quin decem ad minimum annis, cum Cyro regnaverit, modo auctorum fides immota ſtabit, de quo nemini ſano dubitare unquam licet. Cur vero hoc in anno terminum conſtituamus, poſtea rationem dabimus.

CAP. X.

De initiis annorum Iphitæorum ſive Olympiadum, quæ ex tribus Eclipſibus demonſtrantur. Methodus horum annorum.

ABſoluta Medorum Epocha ad Babyloniorum veniendum eſſet. Hi enim Arbaci auctores erant jugum Aſſyriacum excutiendi. Sed intercedunt horum regnorum primordia duæ aliæ longè nobiliſſimæ Epochæ, quarum una eſt Olympiadum, altera Urbis conditæ, de quibus prius dicendum eſt. De Olympiadum originib. priori libro actum fuit; nunc ergo Epocha ſaltem, ſive annus quidam certus in Periodo Iuliana, & Conſtantinop. conſtituendus erit, cui initium horum conveniat. Scriptores omnes in eo conſentiunt, æſtate anni Per. Iul. 3938. primam illam Olympiadem celebratam eſſe, quam Corœbus Eleus vicit ſtadio, nomenque victoris hujus primo notatum fuit. Cenſorinus cap. XXI. *Secundum quam rationem, niſi fallor, hic annus, cujus velut index, & Titulus quidam eſt Vlpii & Pontiani Conſulatus, ab Olympiade prima milleſimus eſt, & quartusdecimus, ex diebus duntaxat æſtivis, quibus agon Olympicus celebratur, à Roma autem condita* DCCCCXCI, *& quidem ex Palilibus, unde Vrbis anni numerantur. Eorum vero annorum, quibus Iulia-*

Iulianis nomen est CCLXXXIII. *sed ex die Kal. Ian. Vnde Iulius Cæsar anni à se constituti fecit principium.* Annus Julianus primus, ut postea demonstrabitur, est Per. Jul. 4669. An. ergo Juliani ad 4668 additi, dabunt annum Per. Jul. convenientem. Unde an. Jul. 283. est P. J. 4951. At æstate hujus anni Censorinus dicit Olympiadis CCLIV. annum II. sive Iphitæum MXIV cœpisse. Primus ergo annus Iphiti, sive primus primæ Olympiadis, inibit necessario à diebus æstivis anni P. J. 3938. Unde si anni Iphiti, sive Olympiadum addantur ad 3937; prodibit annus P. Jul. à cujus æstate annus Olympicus init: & si ad 3938; annus quo finit. Contra si ab dato an. Per. Jul. auferantur 3937; dabit residuum annum Iphiti inchoatum; 3938, verò finitum. Anni vero Iphiti ab Iphito Heraclide nomen habent, qui cum affine Lycurgo certamen hoc diu intermissum restauravit, ut in primo lib. nobis dictū est. Atq; hi anni per 4 divisi, dant in quotiente tot plenas Olympiades, quot præterierunt; residuum verò monstrat annum Olympiadis fluentis. V. g. annus hic 1014 per 4 divisus, dat in quotiente Olympiades 253 plenos, & residuos binos annos, qui sunt Olympiadis 254. Ergo hic annus est secundus Olymp. CCLIV. Atque hoc, sicut in συντάξει, ita etiam in ἀναλύσει observandum erit. Unde dato anno Olympiadis cujusdam pro investigando Iphitæo, plenas Olympiades per 4 multiplico; & summæ, annos currentis addo. Sic in dato exemplo anni II. Olympiadis CCLIV. multiplico 253 per 4, prodeunt 1012. summæ addo 2. quia est annus secundus Olympiadis, & prodit annus Iphiti 1014. Nunc charactere hæc confirmanda, & demonstranda sunt. Thucydides, qui suorum temporum historias optima fide perscripsit, lib. II. refert, Solem defecisse, æstate illius anni, cujus vere, bellum Peloponnesiacum cœperat. Τοῦ δὲ αὐτοῦ θέρους νουμηνίᾳ κατὰ σελήνην (ὥσπερ καὶ μόνον δοκεῖ εἶναι) γίνεσθαι δυνατὸν) ὁ ἥλιος ἐξέλιπε μετὰ μεσημβρίαν καὶ πάλιν ἀνεπληρώθη γενόμενος μηνοειδὴς καὶ ἀστέρων τινῶν ἐκφανέντων. Incepit vero bellum hoc Peloponnesiacum vere Olymp. LXXXVII. an. I. æstate autem sequente annus secundus Olympiadis hujus inivit, ut in sequentibus volente Deo demonstrabimus. Ergo Eclipsis hæc contigit ineunte anno II. Olympiadis LXXXVII. Est vero hic annus Iphiti 346. qui juxta Methodum incipit an. Per. Iul. 4283. At hoc ipso anno, die nempe III Augusti, hora V. post meridiem, Athenis Sol obscurari cœpit: & defecit dig. 10. 25′. ut in media Ecclipsi μηνοειδὴς, sive falcata instar Lunæ appareret, omnibus modis, ut à Thucydide proditum est. Quia ergo Eclipsis hæc quam Thucydides an. II. Olympiadis LXXXVII ineunte factam prodit, omnino convenit

æstati

æstati an. P. Iul. 4283; ergo & ipsi anni inter se convenire debent, & juxta Thucydidem, initiũ anni secundi, Olymp. LXXXVII. omnino conveniet æstati anni Per. Iul. 4283. Idem ex aliis exemplis patet. An. VIII belli ineunte, Olympiadis LXXXVIII, IV exeunte, rursum in Sole ἐκλιπές τι ἐγένετο περὶ Νεμηνίαν, Thucydides Lib. IV. Tempus hoc convenit an. Per. Iul. 4290. cujus etiam Martii die XXI, Sol, 8. fere dig: defecit, Athenis circa horam 9 h. 7′. post med. noct. sicut ex calculo patet. Denique anno belli XIX. Olympiadis XCI, IV. celebris illa Lunæ Eclipsis contigit: qua Atheniensium Dux Nicias territus se totumque exercitum perdidit. Sed hæc Ecclipsis visa fuit in Sicilia An. P. Iul. 4301. Augusti XXVII. sequente XXVIII. cœpit circa horam nonam post merid. & duravit horas tres, fuitque dig. 13. Atque ex his omnibus characterismis patet, primum annum, primæ Olympiadis incipere ab æstate anni Per. Iul. 3938. adeoque methodum superius traditam certissimam esse. Tantum de Olympiadibus.

CAP. XI.

Duplex via est originum Vrbis inquirendarum. Vna Varronis, quæ vana & falsa est, altera Dionysii, quæ explicatur, & contra Scaliger. & Petavium defenditur. Clemens Alexandrinus emendatur. Fasti Consulares explicantur & emendantur, totaque eorum ratio exponitur. Vrbis conditæ Epocha, omniumque Regum ac primorum Coss. initia, &c.

ROmanis variæ Epochæ in usu fuerunt. Alii enim ab exactis Regibus, alii ab urbe capta, alii denique à bellis Punicis finitis numerarunt. Sic posterioribus, initia Imperatorum, nobilesque eorum victoriæ, aliæve actiones, radices temporum erant. Una autem omnium longe celeberrima ac maxime usitata Epocha est, quæ ab Urbis conditæ initio dependet. Sed de hac sero quæsitum fuit, nec ante quintum sextumvè seculum quidquam certi inventum. Lis tamen de uno alterove anno, etiam tunc integra mansit. Varro enim III anno Olympiadis VI exeunte, Verrius Flacc⁹ IV, Dionysius Halicarnasseus, VII Olympiadis, anno primo exeunte, aut II ineunte Urbem conditam prodiderunt. Id inde factum, quod non omnes eadem via urbis initia & origines investigarent. Varro enim sicut Plutarchus testis est, Tarrutium celebrem inter Romanos Astrologum rogavit, ut ex

Astro-

Aſtrologicis rationibus primam Urbis originem inveſtigaret. Quippe perſuaſum habebat, eadem ratione, qua ex dato initio fata hominis aut urbis cognoſcuntur, etiam initium ex factis geſtisque colligi poſſe. Sed hæc via, ſi quæ alia, longe incertiſſima eſt. Nam ut dem aliquid certi ex aſtrorum ſitu concludi & pronunciari poſſe, (quod tamen doctiſſimi quique noſtri ſeculi homines negant) non tamen ideo ſequeretur, ſicut ex aſtrorum ſitu geſta & facta, ſic etiam ex geſtis factisque aſtrorum ſitum cognoſci, ac inveſtigari poſſe. Sunt enim plures plurium ſtellarum aſpectus, qui eoſdem effectus habent. Imo ſi hoc maximè concederetur: nihil tamen adhuc certi prior ſententia haberet. Neque enim ex quibuſdam actionibus judicare licebat, ſed ex omnibus ſimul junctis. At multa Romæ acciderunt, Tarrutio ignorata. Poſt ejus namque obitum ad maximam potentiam devenit, libertatemque amiſit, & poſtea quoque potentiam: ita ut poſt Tarrutii mortem longe plures caſus experta ſit, quam antea. Incerta ergo, imo vaniſſima ratio eſt, vel ipſis Aſtrologis fatentibus, quàm Varro ſequutus eſt. Ideoque & vani falſique ſunt characteres illi temporum, quos ex eodem Tarrutio docti eruunt. Tradidit namque hic τὴν μὲν ἐν τῇ μητρὶ τοῦ Ῥωμύλου γεγονέναι σύλληψιν ἔτει πρώτῳ τῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος ἐν μηνὶ καθ' Αἰγυπτίους Χοιὰκ τρίτῃ καὶ εἰκάδι τρίτης ὥρας, καθ' ἣν ὁ ἥλιος ἐξέλιπε παντελῶς, τὴν δὲ ἐμφανῆ γένεσιν ἐν μηνὶ Θωὺθ ἡμέρᾳ πρώτῃ μετ' εἰκάδα περὶ ἡλίου ἀνατολάς. κτισθῆναι δὲ τὴν Ῥώμην ὑπ' αὐτοῦ τῇ ἐνάτῃ Φαρμουθὶ μηνὸς ἱσταμένου μεταξὺ δευτέρας ὥρας καὶ τρίτης. ut Plutarchus in Romulo docet. Sed nec ullæ ex his notis tempori iſti conveniunt, quod Tarrutius præfinivit. Viri namque undiquaque doctiſſimi Eclipſin illam, quæ juxta Tarrutium ſub Romuli conceptum contigit, fruſtra quæſiverunt. Sed nec IX. Parmuthi, qui illi anno incidit in IV Octobris Juliani, ulla Syzygia fuit, ut manifeſtum ſit ipſummet Tarrutium in calculis ſuis erraſſe, nec ſatis accuratum fuiſſe. Miſſa ergo vaniſſima ratione ad Dionyſium veniemus ſcriptorem accuratiſſimum. Tradit is Urbem conditam eſſe anno I. Olymp. VII. exeunte: quod quidem exinde colligit. Anno ſecundo antequam Urbs à Gallis caperetur, cenſus Romæ actus fuit. Et Tabulæ quidem Cenſoriæ illius anni, hoc tempus adſcriptum habebant. Coss. L. Valer. Potito & T. Manlio Capitolino, anno poſt exactos Reges CXIX. juxta quam inſcriptionem annus captæ Urbis incidit in annum CXXI. poſt Reges exactos. Iam vero clades illa urbis contigit Archonte Athenis Pyrgione, anno Olympiadis XCVIII, primo. Regum ergo fuga & primus Bruti Conſulatus incidit in annum I. Olymp. LXVIII. Regnatum vero Romæ

ſub Regibus fuit annis 244. qui ex Regum annis ita colliguntur, ut XXV annus Tarquinii, quo labente pulſus eſt, ſit 244. At ſi CCXLIV annus eſt I Olymp. LXVIII. ergo CCXL eſt primus Olymp. LXVII. & CC annus I Olymp. LVII. CCI autem annus eſt II. Olymp. LVII. Ideoque ſi pro ducentis annis ſolidis quinquaginta Olympiades auferantur, conveniet primus annus Urbis cum II. Olympiadis VII. inceperit autem anno primo Olympiadis ejusdem. Sed cum hæc Olympiadum ratio nonnihil implicata ſit, per annos Per. Jul. explicanda erit. Olympiadis LXVIII annus primus (quo Regifugium contigiſſe, & primos Coſſ. creatos eſſe, Dionyſius refert) incipit æſtate anni Per. Iul. 4206, & finitur æſtate anni Per. Iul. 4207. Contigit autem Regifugium XXIV Februarii, & primi Coſſ. ſtatim poſt, Kal. nempe Martiis, Magiſtratum iniverunt. Ergo Regifugium omnino incidit in annum Per. Iul. 4207. Adeoque hic primus annus poſt exactos Reges numeratur. Si ergo ad 4206 addantur anni à Regibus exactis, habebimus annum Per. Iul. cujus Kal. Martiis annus ille incipit. Annus ergo CXIX, quo Coſſ. fuere, L. Val. Potitus, & T. Manl. Capitol. incipit Kal. Martiis anni Per. Iul. 4325. & annus ſequens, quo Tribunus Militum fuit L. L. Flavus cum Collegis VI. Per. Iul. 4326. & denique CXXI, quo Trib. Mil. fuere Quintus, & Kæſo, Fabii Ambuſti, Qu. Sulpicius Longus, Q. Servilius Priſcus, &c. quibus etiam Urbs capta fuit, cœpit anno Per. Iul. 4327. Et hujus æſtate cladem hanc Urbi contigiſſe, poſtea demonſtrabimus. Id heic manifeſtum fecimus, primos Coſſ. juxta Dionyſium cœpiſſe anno Per. Iul. 4207. Annus ergo 244 urbis, ſive XXV Tarquinii, omnino vel hoc, vel antecedenti anno cœperit. Sic hoc anno, ergo primus Urbis incipiet an P. I. 3964. ſin priori, 3963. Annus vero I. Olympiadis VII. inivit à diebus æſtivis anni Per. Iul. 3962, & terminatur æſtate anni 3963. Ante æſtatem ergo anni Per. Iul. 3963. primus urbis annus cœperit: & tamen poſt Kal. Martias. Namque alias 244 Urbis, ſive Tarquinii XXV, plenus eſſe deberet. At hunc plenum non fuiſſe Dionyſius indicat, qui labente XXV, Tarquinium pulſum dicit. Et vetus apud Clementem Chronologus ab Urbis conditu, ad pulſos Reges, ſive quod idem eſt, ad primos Coſſ. annos ſolidos numerat 243. Locus eſt Stromateo I. quem, quia corruptus eſt, integrum adſcribam. Πάλιν ἀπὸ τῆς πρώτης Ὀλυμπιάδος ἔνιοί φασιν ἐπὶ Ῥώμης κτίσιν συνάγεσθαι ἔτη εἴκοσι τέσσαρα. ἐντεῦθεν ἐπὶ τὴν Βαβυλῶνος ἀναίρεσιν, ὕπατοι ἐγένοντο ἐπὶ ἔτη διακόσια τεσσαράκοντα τρία. Quid eſt illud ὕπατοι ἐγένοντο ἐπὶ ἔτη? ſenſus heic nullus eſt. Sed vox ἐπὶ proprio loco excidit, tum duæ voces perierunt. Legendum

eſt ἧς

est ἧς ἐπὶ πρῶτοι ὕπατοι ἐγένοντο. Id nimirum dicit auctor circa eadem tempora, & Reges Roma fuisse pulsos, & Babylonem rebellantem Zopyri astu captam. Anno ergo Per. Jul. 3963 Palilibus, quæ in Kalendario Juliano in XXI Aprilis, sive XI Kal. Majas constituuntur, fundamenta urbis à Romulo jacta sunt. Sed errasse in his Dionysium, idque duplici errore Petavius contendit. Primo enim ex mente Petavii, non id rationibus suis evincit, quod proposuerat. Dicit enim Urbem conditam anno I. Olympiadis VII. at ex rationibus suis aliud colligit, nempe conditam esse anno IV. Olymp. VI exeunte. Dicit enim Urbem captam à Gallis an. I. Olympiadis LXVIII. Capta est autem Augusto mense. Ideoque an. Per. Jul. 4326. Illum vero annum dicit esse 121. ab exactis Regibus, hoc est 365 ab Urbe condita. At si 365 deducantur de 389 anno Iphitæo sive I. Olympiadis XCVIII. remanebit 24. Iphiti sive IV. annus Olymp. VI. Et quia Palilibus, sive XV Kal. Maji. urbs condita est: ergo exeunte an. IV. Olymp. VI. Atque hæc Scaligeri quoque opinio est. Sed quis illos docuit Olympiadis XCVIII anno I. ineunte, urbem captam fuisse? Est illud quidem contra & præter mentem Dionysii. Is enim Regifugium & initium primi Consulatus, confert in annum I. Olympiadis LXVIII. Cœpit hæc Olympias, an. Per. Jul. 4206, æstate: finiebatur 4207. At regifugium contigit VI. Kal. Martias. Ut sextus Kal. Martias conveniat I. anno Olympiad. LXVIII, id fieri nunquam potest, nisi an. Per. Jul. 4207. Hoc ergo anno, & quidem VI Kal. Mart. anni post ejectos Reges incipiunt. Si ergo an. 4207. VI. Kal. Martii, primus, post exactos Reges, annus incipit, ergo 121. omnino incipiet VI. Kal. Martias anni 4327. Quod vero de Urbe capta Augusto mense dicit, id falsum est. Capta enim est Urbs XI Iulii, quo die etiam primus annus Olymp. XCVIII, finiebatur, ut postea demonstrabimus. Certissimus ergo Dionysii calculus est. Nam si CLXV Urbis annus init, à Palilibus anni P. Jul. 4327. ergo prima Palilia convenient an. Per. Iul. 3963. Olymp. I. an. VII. sive Iphitæo XXV. exeunte. Alterum quod objicit, non Dionysium tangit, sed tabulas Censorias, quas ille secutus est. Dicit Dionysium numerare annum captæ Urbis, CXXI à Regibus exactis: & tamen eundem in omnibus Fastis, nonnisi CXX numerari. Sed ut dixi, si aliquid heic peccatum est, non Dionysii id culpa factum est, sed tabularum Censoriarum vitio. Etenim inter illas una, quæ scripta est anno, quo Val. Potitus, & T. Manl. Capitolinus Coss. fuere, hanc inscriptionem habebat, L. VALERIO. POTITO. ET. T. MANLIO. CAPITOLINO. COS. ANNO. POST. EXACTOS.

 REGES.

REGES. CXIX. sive Græcè juxta Dionysium. ΥΠ. ΛΕΥΚΙΟΥ. ΟΥΑΛΕΡΙΟΥ. ΠΟΤΙΤΟΥ. ΚΑΙ. ΤΙΤΟΥ. ΜΑΛΛΙΟΥ. ΚΑΠΙΤΟΛΙΝΟΥ. ΜΕΤΑ. ΤΗΝ. ΕΚΒΟΛΗΝ. ΤΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΕΝΟΣ. ΔΕΟΝΤΙ. ΕΙΚΟΣΤΩ. ΚΑΙ. ΕΚΑΤΟΣΤΩ. ΕΤΕΙ. Si Consulatus Potiti & Capitolini incidit in annum CXIX. ergo L. Flavius cum Collegis fuit Trib. Mil. Cons. Potest. an. CXX. & Qu. & Kæso Fabii Ambusti cum Qu. Sulpitio Longo & Qu. Servilio Prisco &c. Trib. Mil. Cons. Pot. anno post Reges exactos CXXI. Hi enim in omnibus Fastis, Potiti & Manlii Capitolini consulatum immediate sequuntur. At his Trib. Mil. Urbs capta est, ut omnes scriptores consentiunt. Ideoque si Censoria Tabula vera est, Urbs capta est CXXI anno post Reges exactos. Sed mirum est, quod ex fastis Consulum tabulas censorias Petavius refutet: quas longe incertissimas esse ipsemet pronunciat. *Fastos Consulares*, inquit lib. IX. cap. XLIX. pag. 17. *jam tum florentis Reip. temporibus, mendosissimos ac parum inter se consentaneos fuisse, Livii & aliorum Historicorum monumenta confirmant*. Et postea hoc eodem capite, pag. 118. ita discursum hunc de Fastis concludit. *Quare condita Vrbis annus nonnisi conjecturis, ac probabili ratione potest elici.* Tabulæ vero Censoriæ, & summa fide notatæ erant, & maxima diligentia apud optimos ac præstantissimos civium conservatæ, ut ex Dionysio liquet. Mirum ergo est ex incertissimis principiis, & quæ ipsemet pro dubiis imo falsis habeas, optimum & Romanarum rerum peritissimum Scriptorem, in iis refutare velle, in quibus antiquissimam, certissimam, & summæ auctoritatis rationem sequutus est. Sed sat verborum. Manifestum est nihil in his peccasse Dionysium Halicarnasseum, sed Dionysium Petavium, qui relictis certioribus incertissima sequutus est. Sed tamen ut vulgares Fasti cum censoria hac tabula concilientur, notandum est, Consulatũ, cum primo institueretur, annuum fuisse, ita ut quicunq; Consul designaretur, is integro anno hunc Magistratum gerere deberet. At primi Coss. L. Brutus, & L. Collatinus integro anno Consulatum non gesserunt. Quippe L. Tarquinius Collatinus, inviso apud plebem Tarquiniorum nomine, & imperio, & urbe cessit. *Quum* vero *haud cuiquam in dubio esset, bellum à Tarquiniis imminere, id quidem spe omnium serius fuit.* Verba Livii sunt, lib. II. Exeunte ergo anno primo bellum à Tarquiniis illatum videtur, quo Brutus periit. Post illum P. Valerius, Collatino suffectus, diu sine Collega præfuit, ita ut vulgo occasionem dederit, pravos de se rumores spargendi, quasi imperium affectaret. Quibus ad eum perlatis, materiam, ex qua domum in sum-

in summa Velia ædificare constituerat, in planum deduxit, concioneque advocata, provocationem ad populum instituit, propter quam Poplicola & Poblicola appellatus est. Inde Collegam assumpsit M. Horatium Pulvillum, quæ sane exeunte anno primo, post exactos Reges gesta sunt. Neque enim antea hæc omnia geri poterant. Val. ergo Poplicolæ Consulatus populi beneficio, in sequentem pluresque annos prorogatus est. Horatius vero Pulvillus, cum exeunte primo anno, primum creatus esset, sequenti anno secundo Consul mansit, atque ita tertio demum post Reges exactos anno ineunte Lucretius Tricipitinus Consulatum inivit, quem cum M. Valerio, cui & tum Magistratus continuatus fuit, gessit. Cum verò in Pontificum annalibus notatum esset, interfecto Bruto, Horatium Pulvillum suffectum fuisse, Fastorum consarcinatores rati, id eadem ratione factum fuisse, qua posterioribus seculis (quibus qui demortuis sufficiebantur, non integro, sed saltem tanto tempore, quantum ex priore anno residuum erat, magistratum gessere) Consulatum Horatii primo anno post exactos Reges terminarunt. Sed si anni ita ordinentur, ut secundus annus post exactos Reges tribuatur Pulvillo, tertius Tricipitino, & sic consequenter: tum omnia rectè se habebunt, Fastique vulgares cum tabulis Censoriis convenient. Tres quoque anni, qui in vulgaribus fastis nullum Consulatus titulum habent, debitos Magistratus accipient. Sunt enim in universum 60 anni, qui nullos Consules adscriptos habent. Nam cum diu sub Consulibus Romani vixissent, tandem CCCII. Urbis anno *iterum mutatur forma civitatis, ab Consulibus ad Decemviros, quemadmodum ab regibus ante ad Consules venerat translato imperio.* Verba Livii sunt lib. III. Tenuerunt hi imperium biennio, ac tertio anno his abdicatis successerunt Consules usq; ad annũ Varr. 316. quo primi Trib. Mil. Consulari Potestate creati sunt. Sequentes quatuor anni Coss. habuere, inde duo, Tribunos Mil. & rursum quinque sequentes Consules. Inde tribus annis Trib. Mil. qui uno anno Coss. dato, sequentes novem tenuerunt. Quinquennio sequenti Coss. rempublicam administrarunt, quos exceperunt Trib. Mil. qui ex 32 annis binos saltem sextumdecimum, nempe & XVII. Consulibus dederunt. Anno autem Urb. Varron. 378. orta inter Patres & plebem de Consulatu contentione, Licinius Stolo & Sextius Trib. Pl. Curules Magistratus creari vetarunt. Atque sic per quinque annos nulli curules Magistratus creati sunt, quod Livius expressis verbis docet, lib. VI. Anno autem Urbis Var. 383. rursus Trib. Mil. creati sunt. Atque ita hic Magistratus urbem per

quadriennium tenuit. Equidem Fastorum consarcinatores peculiarem heic annum tribuunt dictaturæ Camilli. Sed Livii verba ex lib. VI. omnino adscribenda sunt, quæ aliud monstrabunt. *Tribuni Mil. creati T. Quintius. Ser. Cornelius. Ser. Sulpicius ..... Principio statim anni, ad ultimam dimicationem de legibus ventum, & quum tribus vocarentur, nec intercessio collegarū latoribus obstaret, trepidi Patres ad duo ultima auxilia..... decurrunt. Dictatorem dici placuit, dicitur M. Furius Camillus ......Sed re neutro inclinata, magistratu se abdicavit, seu quia vitio creatus erat, ut scripsere quidam: seu quia tribuni plebis tulerunt ad plebem, idque plebes scivit, ut si M. Furius pro Dictatore quid egisset, quingentum millium æris ei multa esset. Sed auspiciis magis quam novi exempli rogatione deterritum, ut potius credam, quum ipsius viri facit ingenium, tum quod ei suffectus est extemplo P. Manlius Dictator: ...... & quod eundem M. Furium Dictatorem insequens annus habuit.* Vides initio anni istius, quo T. Quintius, Ser. Cornel. &c. Trib. Mil. fuere, hoc est, juxta Fastos Capitol. anno Urbis CCCLXXXIV. Varron. CCCLXXXV. Camillum Dictatorem creatum fuisse, & statim se officio abdicasse. Illi vero extemplo suffectum fuisse P. Manlium. Iam vero nulli Dictatori integrum erat, ultra VI menses magistratum gerere. Ergo finierit P. Manlius Magistratum anno eodem. De altera dictatura ejusdem Camilli ita postmodum scribit. *Vt in præsentia Consulum mentione omissa Tribuni Mil. crearentur. Creati A. & M. Cornelii iterum, M. Geganius &c...... Quum præter Velitrarum obsidionem.... quietæ externæ res Romanis essent: fama repens belli Gallici allata perpulit civitatem, ut M. Furius Dictator V. diceretur.* Hæc est illa dictatura quam insequenti anno (ut loquitur Livius) Camillus gessit. Ergo hic annus qui Tribun. Mil. A. & M. Cornelios &c. habuit, immediate illum annum sequitur, quo T. Quintius. Ser. Cornel. &c. Trib. Mil. fuere. Non igitur annus quidam peculiaris Camilli dictaturæ tribui debet. Atque sic unus annus ex vulgaribus fastis necessario elidendus erit. Post Trib. autem Mil. A. & M. Cornelios &c. primus ex plebe Consul creatus est Q. Sextius. Atque post hoc tempus Consulum imperia omnibus annis fuerunt. Sunt tamen quatuor adhuc anni, in quibus Coss. nomina in vulgaribus fastis omittuntur. Primus est Urbis Varron. 421. hoc namque anno Fasti nullos Consules habent. Sed Stephanus Pighius ex Solino horum Coss. nomina eruit. Tradit namq; Solinus cap. XXXII. Alexandriam in Ægypto conditam fuisse CXII Olympiade, L. Papirio Spurio, Spurii filio, C. Pætilio Caji F. Coss. At nec CXII, nec CXI. tales in fastis Consules exstant. Hi ergo vacuo loco inserendi sunt. Postea fasti satis recte se habent, usque ad annum Urbis

Varro.

Varro. 430. Atque ibi rursus, Coss. nulli sunt. Saltem celebris illa Papirii dictatura, in qua Fab. Max. Rullanum Mag. Equitum, quod absente se contra mandatum, cum Samnitibus pugnasset, vicissetque, capite plectere voluit, in hunc annum à Sigonio, aliisque confertur. Sed omnino audiendus erit Livius, qui de gestis anni Var. 429. quo Coss. fuere L. Furius Camillus, & Iunius Brutus Scæva, hæc disserit lib. VIII. *Ita insequentis anni Coss. L. Furio Camillo II. Iun. Bruto Scæva, nulla prior potiorque visa est, de qua ad Senatum referrent .... Bellum ex auctoritate Patrum populus adversus Vestinos jussit. Provincia ea Bruto, Samnium Camillo evenit ...... Cæterum alterum COS. L. Furium ...... morbo gravi implicitum fortuna bello subtraxit, jussusque Dictatorem dicere belli gerendi causa, longe clarissimum bello ea tempestate dixit L. Papirium Cursorem.* Ex quibus sane liquet ineunte aut mediante saltem horum Consulum anno, Papyrium Cursorem dictatorem creatum fuisse, in quo imperio nonnisi sex menses manere poterat. Antequam verò magistratu abiret Patrum rogatu, eo quod unus Coss. morbo, alter bello Vestinensi implicitus esset, Coss. creavit C. Sulpitium Longum II. Q. Æmilium Cæretanum. Manifestum igitur ex Livio est, Cons. Sulpitii Longi & Q. Æmilii Cæritani immediate sequi Consulat. Camilli & Scævæ: Ideoq; & heic unum annum ex fastis elidendum esse. Rursum annus U. C. Varr. 445. etiam Coss. caret. Dictatorem saltem adscriptum habet Papirium. Sed & hæc dictatura ad superiorem annum pertinet, quo Coss. fuere C. Marcius Rutilus, & Q. Fabius, à quo Papyrius Dictator dictus est. Ita enim Livius lib. IX. cum victos à Dictatore Papyrio & Etruscos & Samnites memorasset, demum concludit. *Eodem anno cum reliquis Etruscorum ad Perusiam, quæ ipsa induciarum fidem ruperat, Fabius Consul nec dubia, nec difficili victoria dimicat.* Ergo & hic annus, qui solius Papyrii Dictaturæ tribuitur, ex Fastis eradendus est. Atque sic quidem tribus annis ablatis, Fastorum ratio optime sibi constabit. Equidem unus adhuc annus est, de quo dubitari potest. Urb. nempe Varr. 453. qui, Fabii & Valerii Maximorum Dictatura, in fastis notatur. Sed extremo anno exeunte, Dictatorem Valerium nominatum esse, inde satis liquet, quod Livius referat, ipsum absentem per Interregem Consulem designatum fuisse: quo, non opus fuisset, si alii Coss. Romæ fuissent. Cum igitur exeunte eo anno, quo Coss. fuere M. Livius Denter & C. Æmilius, Dictator factus esset, anno sequenti in imperio mansit, quod antequam deponeret, Consul designatus est. Et his sane nemo authorum adversatur. Tres ergo anni, nec plures his, neque tamen pauciores,

ex Fa-

ex Fastis tradendi sunt: Fastique ita ordinandi, ut Consulatus primus conveniat anno Urbis Varroniano 247. Valerii & Horatii Pulvilli an. Var. 248. & demum Valerii & Tricipitini an 249. Atque sic juxta hanc rationem Trib. Mil. M. & Kæso Fabii Ambusti, Servius Sulpicius Longus, & reliqui qui anno captæ Urbis Magistratum gessere, convenient anno Varroniano 367, sive Olymp. XCVIII. anno primo exeunti. Anno demum 386. (qui nullos Magistratus habet) convenient Trib. Mil. L. Furius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, Ser. Cornelius, A. & C. Valerii. Et anno 430. Varroniano. Coss. C. Pœtelius & L. Papirius Mugillanus. Et demum an. 445. Varr. C. Marcius Rutilus & Q. Fabius, qui in vulgatis Fastis an. 444 conveniunt, annoque 446. Varr. Coss. erunt Q. Fabius III. & P. Decius Mus. qui ita quoque in fastis notantur. Et post hoc tempus Vulgares fasti optime in consulum annis & tempore convenient, de quo postea. Urbis vero initium quod attinet, censeo illam autumno conditam fuisse, & quidem an. Per. Jul. 3963. adeoque ineunte Olympiadis VII. an. II. quod antiquissimæ Anchisentium tabulæ convenit, quam Polybius insignis & diligens scriptor sequutus est, imo ipsemet Dionysius sequi videtur. Hæc enim verba ipsius sunt: οὐ γὰρ ἠξίουν ὡς Πολύβιος ὁ Μεγαλοπολίτης τοσοῦτον μόνον εἰπεῖν, ὅτι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος τῆς ἑβδόμης Ὀλυμπιάδος τὴν Ῥώμην ἔκτισθαι πείθομαι, οὐδ᾽ ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς Ἀγχισεῦσι κειμένου πίνακος ἑνὸς καὶ μόνου τὴν πίστιν ἀβασάνιστον ἀπολιπεῖν, ἀλλὰ τοὺς ἐπιλογισμοὺς οἷς αὐτὸς προσεθέμην εἰς μέσον ὑπευθύνους τοῖς βουληθεῖσιν ἐσομένους ἐξενεγκεῖν. Et sane argumenta ipsius id ipsum concludunt. Nam Tarquinii annus XXV. non plenus fuit. Ideoque cum Tarquinius pulsus sit, vere ineunte anni Per. Jul. 4207. ergo XXV. annus ejusdem, hoc est 244. Urbis cœperit, juxta hanc rationem autumno anni 4206. Primus ergo Urbis inivit an. Per. Jul. 3963. autumno, ineunte II an. Olympiad. VII. XI. Kal. Maji, qui eo tempore in anno Albano, in autumnum forte incidebat. Pulchre enim Manilius lib. IV. canit:

Hesperiam sua Libra tenet, qua condita Roma,
Et propriis frenat pendentem legibus orbem:
Orbis & imperium retinet, discrimina rerum
Lancibus & positas gentes tollitque premitque,
Qua genitus cum fratre Remus hanc condidit urbem.

Methodus ergo annorum Urbis hæc est, dato an. Per. Iul. si vis scire annum Urbis aufer 3962. habebis annum Urbis, qui ab XI. Kal. Majas dati anni init. Exemplum. Velim scire, quo anno Urbis primi Coss. cœperint, qui anno I. Olymp. LXVIII. exeunte, Per. Iul. 4207. Magistra-

gistra-

gistratum invenire. Ablatis de 4207, 3962. remanet 245. qui à Palilibus anni 4207 init. Exeunte ergo an. 244 Urbis, primi Coss. cœperunt. Dato vero anno Urbis, si Fast. Capit. annū scire velis, adde unitatem, sin Varronis, binarium: habebis quæsitum. Contra vero his datis, 1. aut 2. aufer, pro vero anno investigando. Nunc hæc demonstranda sunt, & characteribus quibusdam confirmanda. Anno quo L. Salinator & Æmilius Paulus Coss. fuerunt, Varron. DXXXV. Capit. DXXXIV Luna defecit referente Polybio lib. IV. Ablata 1. de 534. aut 2. de 535. remanet annus urbis verus 533, qui ad 3962 additus, dat annum Per. Jul. 4495. Et hoc quidem an. Martii xx Luna defecit. Rursus an. Var. 564. Capitoli. 563. vero 562. Sol obscuratus est, L. Cornelio Scipione, & C Lælio Coss. an. P. Jul. 4524. cujus etiam XIV Sol defecit Romæ circa horam 7. Atque sic 537. 551. 552. 566. 586. 758. & 796. Vrbis anni characteribus cælestibus, sive Eclipsibus Solaribus ac Lunaribus demonstrantur & confirmantur, omnesque debitos Coss. habere deprehenduntur. Fasti ergo Consulares, si juxta hanc rationem ordinentur, quam proposuimus, emendatissimi erunt: de quibus alio tempore volente Deo melius dici poterit. Urbs ergo condita est an. Per. Jul. 3963. post quod tempus Romulus 37. solidos annos regnavit, post illum uno anno interregnum fuit. Et tum successit Numa in imperio an. Per. Jul. 4001. Hunc post 43 annos excepit Tullus Hostilius an. Per. Jul. 4044. & illum Ancus Martius, anno 4076. Post illum Tarquinius regnavit an. 4100. cui Servius Tullius successit an. P. J. 4138. Hunc Tarquinius Superbus interfecit anno 4182. qui labente XXV. anno imperii, hoc est Per. Jul. 4207. Roma pulsus est. Tantum de his.

Cap. XII.

De initio Nabonassari, & temporibus Regum Babyloniæ. Ptolomæus emendatur. Initia Nabopollassari, & Nebucadnezari constituuntur. Anni imperii Nabonnidi, &c.

AB Occidente ad Orientem rursum revertimur, ubi Nabonnazaru Epocham reliquimus. Demonstratur hæc ex infinitis, apud Ptolomæum observationibus, quæ omnes indicant primum annum Nabonnazaru XXVI Februarii, Anni Per. Jul. 3967. cœpisse. Vnicam ex omnibus Eclipsin seligemus, quam ad hoc negocium applicemus. Refert Ptolomæus, Lunam defecisse an. VII. Cambysis Nabon-

bonnazar. ccxxv. Phamenoth xvii. Cyrus an.1. Olympiadis LV. Periodi Julianæ 4154. cœpit, ut omnes auctores consentiunt, regnavit annos 29 solidos, & 30 anno mortuus est, anno Periodi Julianæ 4184 ineunte. Cambyses ergo hoc ipso anno imperium suscepit, & quidem post xix Novemb. ut postea dicemus. vii. ergo annus Cambysis incipit post xix Novemb. anni 4190. & terminatur an. 4191. An. vero 4191 Luna defecit circa mediam noctem Babylone, hora 1. & m. 4'. ante med. noct. dig. 6.10'. Iulii xvi. sive Pham. xvii. sequente xviii. omnibus modis, ut à Ptolomæo proditum & à Babyloniis observatum est. Cum ergo xvii Phamenoth conveniat xvi. Iulii, ergo primus Thoth incidit in Kal. Iunuarias. Adeoque prid. Kal. sive ultimo Decembris Iuliani ccxxiv annus finitur. Anni hi ccxxiv dies habent præcise 81760. Iuliani totidem habent dies 87816. aufer summam minorem à majore, remanent dies 56. Ergo Iulianus annus solidis 56 diebus antea incipit, quam Nabonnazaru: adeoque annus 1. Nabonnazaru incipit 57 die ineunte anni Per. Iul. 3967. hoc est, ut antea definivimus, xxvi Februarii. Idem ex reliquis omnibus exemplis concluditur, quæ heic recensere, nostri non est instituti. qui de fide dubitaverit, poterit calculo rem experiri. Epocha ergo annorum Nabonnazaru omnino constituenda erit in xxvi Februarii, anni Per. Jul. 3967. quo dato, Methodus horum annorum, ex iis statim cognita erit, quæ lib. 1. cap. xvi. de annis Ægyptiacis dicta sunt. Princeps ergo hic Nebonetzar, postquam Vrbs Babylon à Sacerdotibus sive sacrorum antistitibus, jam ultra centũ annos post excussum Assyriorum jugum administrata fuerat, tandem se pro Rege primus gessit, vimque Assyriorum fortiter repressit, propter quod & ab ipsius imperii initio Babylonii annos suos numerare cœperunt. Tenuit vero Nebonetzar principatum annis 14. Cui varii Reges successerunt, usque ad Nebucadnetzarum, qui omnes fortitudine, gloria & potentia longe excessit. Catalogus vero Regum Chaldæorum cum annis Imperii cujusque, non ita pridem editus est sub nomine Canonis Mathematici Ptolomaici. Duæ hujus editiones apud Scaligerum, prior in Chronico Eusebii, pag. 48. altera in excerptis exstat. Sed posterior ab iis interpolata videtur, qui ad Scripturæ rationes hunc accommodare volebant. Quicquid sit, prior sane usque ad Mardokempadum, cum Astronomicis rationibus optime convenit. Tradit namq; Ptolomæus Lunam defecisse an. ii. Mardokempadi. Thoth xviii. sequente xix an. Nabonn. xxviii. Si ineunti xxviii. Nabon. annus ii. Mardokempadi convenit, ergo ille vel exeunte xxvi. vel ineun-

ineunte XXVII an. cœpit, quod & optime cum hoc canone convenit. Nebonnetzar namque illic annos habet 14. Nadi 2. Chinzir 5. Ilul 5. qui si omnes solidi intelligantur, terminabuntur an. Nebonnetzari 26. exeunte, sin parte aliqua truncati, 26. mediante. quocunque modo accipias Canon optime convenit. Postea utraque editio inter se optime convenit, usque ad Neboneth seu Leboneth, quem Herodotus Labynethum, Berosus Nabonidum, Canon hic Nabonnadium vocat. Ibi namque rursus hypothesin auctor posterioris Canonis sequutus est, & pro 34.17. scripsit, quot in fragmento Berosi invenerat. Sic anni Cyri ab eodem corrupti sunt, & pro 9.30. positi, eo quod tot annos Cyrum regnasse acceperat. Ea ergo, in quibus conveniunt, sana omnino erunt. Sed ut omnia rectius percipiantur ipsum Canonem proponemus, primo quidem qualis editus est, inde qualis concipi debet. Et huic posteriori annos Per. Jul adjungemus, à quo Regum initia & imperia dependent. Hæc ergo se ita habent. Vides

Nebonetzar.	14.	14.	3967.
Nabi.	2.	2.	3981.
Chinzir.	5.	5.	3983.
Ilul.	5.	5.	3988.
Mardokempad.	12.	12.	3992.
Arkean.	5.	5.	4004.
Interregnum.	2.	2.	4009.
Belith.	3.	3.	4011.
Aporonad.	6.	6.	4014.
Erigebal.	1.	1.	4020.
Nœsnemordak.	4.	4.	4021.
Interregnum.	8.	8.	4025.
Ieraeddin.	13.	13.	4033.
Saosduchin.	9.	9.	4046.
Kiniladal.	14.	14.	4055.
Nebopallatzar.	21.	29.	4069.
Nebucadnetzar.	43.	43.	4099.
Evilmerodak.	3.	3.	4142.
Nergallatzar.	5.	5.	4145.
Naboneth.	34.	25.	4150.
Cyrus.	9.	9.	4175.
Finis Cyri	---	---	4184.

ut in apposito Schemate anni omnes conveniant, usque ad Nabopallatzarum. Et sane utraque editio à Mardokenpado ad Nabopollatzarum optime convenit. Nec à librariis error aliquis heic committi potuit, cum anni Nabonnazaru ubique adscripti sint. Dubium ergo nemini esse poterit, quin hęc recte se habeant. Corruptus ergo locus est Ptolomæi, ubi Eclipsis contigisse dicitur v. An. Nabopallatzaru, An. Nabon. 127. An. Nabon. 127. init à XXVI Ianuarii anni Periodi Iulianæ 4093. Nabopollatzaris primus init, statim principio an. 4069. Legendum igitur est pro ε', κε', sive XXV. pro v. Kappa communi librariorum negligentia periit. Ita ergo hæc

 con-

constituta sunto. In annis vero Nabopollatzari minimè convenimus: Neque enim Canon cum seipso convenit : dicit enim κατὰ δ' ἄλλους κα'. bene quidem, nam & totidem ad minimum anni ex emendato nunc Ptolomæi loco colliguntur. Sed Berosus Chaldæus in fragmento, quod à Josepho libro 1. contra Apionem citatur, XXIX ipsi tribuit. Fragmentum hoc integrum adponemus eo quod magno heic nobis usui sit. Ἀκούσας δὲ ὁ πατὴρ αὐτοῦ Ναβολάσσαρος ὅτι ὁ τεταγμένος σατράπης ἔν τε Αἰγύπτῳ καὶ τοῖς περὶ Συρίαν τὴν κοίλην καὶ τὴν Φοινίκην τόποις ἀποστάτης γέγονεν, οὐ δυνάμενος αὐτὸς ἔτι κακοπαθεῖν, συστήσας τῷ υἱῷ Ναβουχοδονοσόρῳ ὄντι ἔτι ἐν ἡλικίᾳ μέρη τινὰ τῆς δυνάμεως ἐξέπεμψεν ἐπ' αὐτόν. Συμμίξας δὲ Ναβοχοδονόσορος τῷ ἀποστάτῃ, καὶ παραταξάμενος αὐτοῦ τε ἐκυρίευσε, καὶ τὴν χώραν ἐξ ἀρχῆς ὑπὸ τὴν αὐτῶν βασιλείαν ἐποίησεν. τῷ τε πατρὶ αὐτοῦ συνέβη Ναβολασσάρῳ κατὰ τοῦτον τὸν καιρὸν ἀρρωστήσαντι ἐν τῇ Βαβυλωνίων πόλει μεταλλάξαι τὸν βίον ἔτη βεβασιλευκότι εἴκοσι ἔννεα. αἰσθόμενος δὲ μετ' οὐ πολὺ τὴν τοῦ πατρὸς τελευτὴν Ναβουχοδονόσορος καταστήσας τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον πράγματα καὶ τὴν λοιπὴν χώραν καὶ τοὺς αἰχμαλώτους Ἰουδαίων τε καὶ Φοινίκων καὶ Σύρων, καὶ τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἐθνῶν συντάξας τισὶ τῶν φίλων, μετὰ τῆς δυνάμεως καὶ τῆς λοιπῆς ὠφελείας ἀνακομίζειν εἰς τὴν Βαβυλωνίαν αὐτὸς ὁρμήσας ὀλιγοστὸς παρεγένετο διὰ τῆς ἐρήμου εἰς Βαβυλῶνα. Καταλαβὼν δὲ τὰ πράγματα διοικούμενα ὑπὸ Χαλδαίων καὶ διατηρουμένην τὴν βασιλείαν ὑπὸ τοῦ βελτίστου αὐτῶν κυριεύσας ἐξ ὁλοκλήρου τῆς πατρικῆς ἀρχῆς .... Ναβουχοδονόσορος μὲν οὖν μετὰ τὸ ἄρξασθαι τοῦ προειρημένου τείχους ἐμπεσὼν εἰς ἀρρωστίαν μετηλλάξατο τὸν βίον βεβασιλευκὼς ἔτη τεσσαράκοντα τρία. τῆς δὲ βασιλείας κύριος ἐγένετο υἱὸς αὐτοῦ Εὐειλμαράδουχος. οὗτος προστὰς τῶν πραγμάτων ἀνόμως καὶ ἀσελγῶς, ἐπιβουλευθεὶς ὑπὸ τοῦ τὴν ἀδελφὴν ἔχοντος αὐτοῦ Νηειγλισσοροόρου ἀνῃρέθη, βασιλεύσας ἔτη δύο. μετὰ δὲ τὸ ἀναιρεθῆναι τοῦτον, διαδεξάμενος τὴν ἀρχὴν ὁ ἐπιβουλεύσας αὐτῷ Νηειγ' ισσοροόρος ἐβασίλευσεν ἔτη τέσσαρα. τούτου υἱὸς Λαβοροσοάρχοδος ἐκυρίευσε μὲν τῆς βασιλείας παῖς ὢν μῆνας ἐννέα, ἐπιβουλευθεὶς δὲ διὰ τὸ πολλὰ ἐμφαίνειν κακοήθη, ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη. ἀπολομένου δὲ τούτου συνελθόντες οἱ ἐπιβουλεύσαντες αὐτῷ κοινῇ τὴν βασιλείαν περιέθηκαν Ναβοννήδῳ τινὶ τοῦ ἐκ Βαβυλῶνος ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως...... οὔσης δὲ τῆς βασιλείας αὐτοῦ ἐν τῷ ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει προεξεληλυθὼς Κῦρος ἐκ τῆς Περσίδος μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ καταστρεψάμενος τὴν λοιπὴν Ἀσίαν ὥρμησεν ἐπὶ τῆς Βαβυλωνίας. αἰσθόμενος δὲ Ναβοννίδος τὴν ἔφοδον αὐτοῦ ἀπαντήσας μετὰ τῆς δυνάμεως καὶ παραταξάμενος ἡττηθεὶς τῇ μάχῃ καὶ φυγὼν ὀλιγοστὸς συνεκλείσθη εἰς τὴν Βορσιππηνῶν πόλιν. Κῦρος δὲ Βαβυλῶνα καταλαβόμενος καὶ συντάξας τὰ ἔξω τῆς πόλεως τείχη κατασκάψαι διὰ τὸ λίαν αὐτῷ πραγματικὴν καὶ δυσάλωτον φανῆναι τὴν πόλιν ἀνέζευξεν ἐπὶ Βόρσιππον ἐκπολιορκήσων τὸν Ναβόννηδον. Τοῦ δὲ Ναβοννίδου οὐχ ὑπομείναντος τὴν πολιορκίαν, ἀλλ' ἐγχειρίσαντος αὐτὸν πρότερον χρησάμενος Κῦρος φιλανθρώπως καὶ δοὺς οἰκητήριον αὐτῷ Καρμανίαν ἐξέπεμψεν ἐκ τῆς Βαβυλωνίας. Ex quibus verbis primum illud demonstratur, circa

idem

idem tempus, quo emissus à Patre Nebucadnetzar in Syria, & Ægypto bellum gerebat, Patrem Nabopollatzarum obiisse, tempusque non parvum effluxisse, antequam, audito Patris obitu, Nebucadnetzar res Ægypti ac Syriæ ordinaret, tandemque Babylonem reversus regnum occuparet. Cum ergo annus Per. Jul. 4069. Nebopollatzar cœperit, regnaveritque solidos 29 annos, cum parte 30: decesserit ergo an. Per. Jul. 4098. Post mortem ipsius primum nuncii de patris obitu ad filium missi sunt. Post quorum adventum is Syriæ & Ægypti res ordinavit. Atq; ita annus P. Jul. 4098 absolutus est. Tandem sub initium an. 4099. Babylonem reversus, Regnum occupavit. Sed hæc postea clariora erunt. Regnavit vero Nabucodonosor annos 43. solidos, adeoque 44 an. mortuus est, Per. Jul. 4142. Eodem an. filius Evilmerodak ipsi in imperio successit. Tribuit vero Berosus Evilmerodako annos 2. Nergallatzaro 4. Canon vero Mathematicus huic 5. illi 3. Sed facile conciliantur. Berosus namque plenos saltem annos numerat. Canon partem anni pro anno ponit. Regnaverint vero ambo annos solidos septem, cum mensibus quibusdam, finieritque Evilmerodak imperium ineunte an. Per. Jul. 4145. Nergallatzar vero tertio aut IV mense finito anni 4149. Post illum vero regnaverit filius Laborosoarchodus, menses 9. Nabonidus ergo imperare cœperit, an. Per. Iul. 4150, ineunte. Huic vero Canon tribuit annos 34. Sed ut antea dixi, de annis Nabopollatzaris ipsemet Canon dubitat. Dicit enim eum regnasse annos XXI. juxta alios XXV. Nos Berosum secuti solidos ipsi XXIX annos tribuimus, annumq; tricesimum ipsius effluxisse dicimus, antequam filius Nebucadnetzar imperium assumpsit. At Canon quamvis de annis Nabopollatzaris dubium moveat, unam tamen saltem opinionem sequitur. Ideoq; cum ad Cyrum pervenisset, quem 9 annos regnasse noverat, annoq; Nabonnassari 218. decessisse. Nabonnido tot annos tribuit, quot explendis iis annis sufficerent. Detrahendi ergo sunt de 34. Nabonnidi anni 9. qui finitum 21 annum Nabopollatzaris, & initium Nabuchodonosoris intercedunt. Atque sic remanebunt anni pro Nabonnido 25. quot etiam regnasse dico. Neque enim Berosus dicit ipsum 17. saltem annos regnasse; sed septimodecimo regni illius anno, Cyrum reliquam Asiam occupasse, ac tum demum contra Babylonem tetendisse, quæ postea accuratius exponentur. Habemus ergo Epocham Nebucadnezari certissime cognitam, ex qua ultima Regum Iudæ explicanda sunt, quod sequenti capite faciemus.

CAP. XIII.

De anno excidii Hierosolymitani. XI. *Zedechiæ est Sabbathicus.* XIX *Nabuchodonosoris annus, ut & initium Zedechiæ, Iojachin & Iojachim demonstrantur. Epocha deportationis, &* LXX *annorum captivitatis. Varia Scripturæ loca exponuntur. Epocha templi combusti, &c.*

ANNO IX. *Regni Zedechiæ decimo die mensis decimi, venit Nebucadrezar, & obsedit Hierosolymas ...... & civitas obsessa fuit usque ad annum* XI. *Regis Zedechiæ. Quarto autem mense,* IX *die mensis fames prævaluit in civitate ..... Quinto autem mense,* X *die mensis (hic est annus* XIX *Regis Nebucadretzar. Regis Babyloniæ) venit Nebusaradan Hierosolymas & combussit domum Domini, & omnes domus Vrbis.* Ieremiæ LII. An. ergo Nebucadretzaris, sive Nabuchodonosoris XIX est. Zedechiæ XI. quod ex plurimis aliis locis patet. Cap. enim XXXII. annus Zedechiæ X. confertur cum Nebucadnetzaris XVIII. &c. An. XVIII. Nabuchodonosoris init, (ut ex dictis antea patet) ineunte an. Per. Iul. 4116. & XIX. 4117. Cum ergo templum media æstate anni XIX Nabuchodonosoris combustum sit, ut postea dicemus, ergo necessariò an. Per. Iul. 4117. Ponunt vero Iudæi varios characteres cladis hujus. Dicunt enim illam contigisse anno Sabbathico, in quo IX mensis Ab incidebat in vesperam Sabbathi, ut ex Seder Olam patet. Ac primum illud, omnino in ipso Ieremia fundamentum habet. An. enim X. Zedechiæ, XVIII Nabuchodonosoris, Urbs obsessa est, cap. XXXII. Post hoc tempus Chaldæi audito adventu Ægyptiorum, obsidionem solverunt. Sed dum illi ita regressi erant, pactum fecit Zedechias cum principibus & omnibus viris Iuda, ut quivis manumitteret servum suum Iudæum, juxta legem septimi, sive Sabbathici anni. Et hoc quidem Principes & viri Iuda fecerunt, sed postea rursum eosdem retraxerunt. Quibus ob id Ieremias minitatur, brevi reversuros Chaldæos, & pœnas ab iis exacturos, cap. XXXIV. Annus Sabbathicus semper autumno incipiebat. IX autem anno Zedechiæ Nebucadnetzar incepit obsidere civitatem, mense Thebeth. Mensibus aliquot obsidio duravit, nam decimo Zedechiæ anno urbs adhuc obsessa est, postea verò adventu Ægyptiorum soluta est. Post solutam autem obsidionem Zedechias pactum hoc cum Iuda fecit, idque ineunte septimo anno. Ideoque autumno X anni hæc gesta sunt. Nam

si IX

ſi I X anno id factum fuiſſet, I V menſibus obſidionem anteceſſiſſet. Autumno ergo x anni Zedechiæ, cœpit annus Sabbathicus, & duravit uſque ad autumnum anni X I. quo Urbs capta fuit. Sed & alio ac firmiori argumento id ipſum demonſtratur. Scriptum eſt Ierem. 28. v. I. *Et factum eſt eodem anno initio imperii Zedechiæ* I V. *anno* V. *menſe*. Quid eſt illud *quarto anno*? Sane non poteſt eſſe IV. Zedechiæ. Ejus namq; imperium tunc primum incepit. Nec eſt I V translationis: eodem enim an. quo Zedechias cœpit, & Iojachim exceſſit, & Iojachin translatus fuit. Idem vero annus eſt VIII Regis Babyloniæ. II. Reg. XXIV. v. 12. Quid ergo aliud reſtat, niſi ut cum Iudæis dicamus, quartum hunc annum eſſe quartum Hebdomadis, ſive Semitah. At ſi æſtas ſive menſis Ab I V anni hebdomadis, convenit I. an. Zedechiæ, ergo æſtas ſive Ab anni Sabbathici neceſſario conveniet X I an. Zedechiæ. At X I an. Zedechiæ menſe Ab templum combuſtum. Ergo an. Sabbathico. An. vero Per. Iul. 4116. autumno incipit Sabbathum anni Iudaici, duratque uſque ad autumnum anni 4117. ut ex calculo patet. Ergo menſe Ab an. 4117. templum omnino combuſtum eſt. Sed & alio charactere hoc ipſum confirmatur. Dicunt enim I X Ab fuiſſe veſperam Sabbathi, adeoque X. quo templum combuſtum eſt Sabbathum, quod ex antiqua traditione habent. Et hic Character, anno huic 4117. exacte convenit. Novilunium namque Niſan iſto an. incidit in X I Aprilis Iuliani. Neomenia vero Ab. contigit Auguſti menſis V I I. hora poſt med. noct. 4.15. Hieruſolymis. Sequens ergo dies omnino fuit Novilunium civile. Ideoque I X dies Ab convenit X V I Auguſti, qui illo an. incidit in feriam V I. ſeu veſperam Sabbathi. Et hoc die, circa veſpertinam horam ingreſſus eſt hoſtis Babylonicus in Sanctuarium & ſacrificia obtulit, ſicut adhuc canunt in ſuis Minhagim ex inſtituto Synedrii Magni:

בתשעת לחורש בשעת המעריב
אני על משמרתי משמרת יהויריב
ונכנס האויב ואת זבחיו הקריב
ובא אל מקרש ולא צוה יהוה

Atque ſic I X menſis Ab veſpera Sabbathi, ſive feria V I circa I X horam hoſtis ingreſſus, obtulit ſua ſacrificia. Etiam tum ea omnia expedivit, quæ ante combuſtionem templi fieri debebant; ac X demum die, Sabbatho, templum combuſſit. Ex tot diverſis characteriſmis in unum annum convenientibus facile liquet, annum hunc 4117. verum illum maximæ illius cladis annum eſſe. Equidem Nabuchodonoſoris X I X, etiamſi his characteribus careremus, omnino vel 4116, vel

4117.

4117 esset. Nunc vero manifestum est, non alii anno, quam 4117. convenire posse. Atque ex his reliqua, quæ ad Regum historiam spectant, illustranda sunt. An. Zedechiæ XI. fluente, X. Ab, sive Augusti XVII. Vrbs & templum vastata sunt, ut Scriptura disertis verbis testatur. Post Augustum ergo an. P. I. 4106. necessario cœperit Zedechias. Rursum Nabuchodonosor incepit obsidere civitatem exeunte an. Zedechiæ IX. mense X. die X Ezechielis XXIV. 1. & passim alibi. Si XI an. Zedechiæ convenit. Per. Iul. 4117. ergo IX. conveniet 4115. Hoc autem anno, Thebeth mensis X. cœpit XXV die Decembris Iuliani. X. ergo dies omnino incidit in III diem Ianuarii, Anni P. I. 4116. Si ergo IX an. tamdiu durat, X. ergo an. non potest incipere ante annum Per. Iul. 4116 ineuntem. Ideoque nec primus ante 4107. etiam ineuntem. Et hoc quidem in Zedechiæ Epocha notandum est. Sed initium annorum translationis aliunde peti debet. Scribit namque Ezechiel cap. 33. v. 21. *Et factum est anno* XII. *decimo mense, quinto die mensis, postquam translati fueramus, venit quidem ad me, qui evaserat, dixitque civitas percussa est.* Annus hic necessario ille ipse est, quo templum & Vrbs combusta sunt. Qui enim Propheta circa Babyloniam constitutus, non ante, cladem Vrbis resciseret, quam post elapsos XVII menses? At annum hunc Propheta numerat XII. transmigrationis. Erat vero Zedechiæ XI. quandoquidem X dies, X mensis nondum transiverat, post quem XII demum annus incipit. Cum ergo XII transmigrationis cœperit ante V diem mensis X. an. Per. Iul. 4117. à Paschate numerando: ergo, ipsa Iechoniæ translatio necessario facta est ante X mensem, An. Per. Iul. 4106. etiam à Paschate numerando. De Iojachin autem & ejus imperio hæc refert Scriptura II. Chron. 36. v. 9. 10. *Iojachin 8 annos natus incepit regnare, regnavitque menses tres & dies* X *Hierusolymis. Et fecit malum in conspectu Domini. Et cum verteretur annus, misit Nabuchodonosor, & deportavit ipsum Babylonem.* Quid est לתשובת השנה *cum verteretur annus?* Iudæi dicunt medium, sive quartum annum Semitah heic indicari. Perperam. quid enim illud ad conversionem anni? Sed duplex anni versio, aut conversio est. vel enim annus se ita convertit, ut ex æstate faciat hyemem; vel ita, ut ex hyeme faciat æstatem. Illa Conversio Æquinoctium autumni dicitur, hæc vernum. De una ergo harum Scriptura loquitur. At non de verna. Quippe ante initium anni 4107. multo magis ante vernum tempus ejusdem anni, captivus in Babyloniam deductus erat Iechonias. De priori autem vere anni 4106, minime hoc explicari, aut intelligi potest, siquidem non tantum temporis intercessit translatio-

lationem Iojachin, & initium Imperii Zedechiæ. De autumno igitur, sive autumnali conversione hoc explicandum erit. Iojachin ergo Tisri aut Marchesvan translatus est. Ideoque Tamuz mense inceperit, siquidem tres menses & decem dies regnaverit, ut Scriptura refert. Parens ergo ipsius hoc tempore obierit extra Hierusolymas, Chaldæisque terram vastantibus in manus venerit. Propter quod paterni sepulchri honore privatus fuerit, vid. Ierem. XXII. v. 18. Regnavit verò Iojachim Pater Iojachin annos XI. qui si solidi fuissent, inciperent an. Per. Iul. 4095. Sed Iosias, ut postea dicemus, excessit, extremo an. 4095. post quem regnavit Ioahas menses tres. Annus ergo primus Iojachim omnino incipit ineunte an. 4096. Initio hujus Nechao Ægypti Rex potens erat. Sed pulsus à Nebucadnezare, quem Pater Nabopollatzar, secundo an. Iojachim Per. Iul. 4097, contra ipsum miserat, Syriam amisit. Hoc victo Nabuchodonosor, inter alios Pharaonis clientes, Iojachim Regem Iuda aggressus, III ipsius an. ipsum Hierusolymis obsedit an. Per. Jul. 4098. Interea nuncius paternæ mortis ad eum pervenit. Ubi vero aliquo tempore urbem circumsederat, Dominus dedit Iojachim in manū ipsius Dan. I. 3. quem catenis vinctum volebat Babylonem mittere, II. Chron. XXVI. v. 6. Sed ab ingruente Ægyptiorum exercitu, domum pergere prohibitus, Iojachim in regnum restituit, fidelem se subditum fore promittentem. Inde contra Nechaum duxit an. IV. Iojachim P. I. 4109 incipiente, commissoque circa Charchemas prælio, ipsum penitus profligavit, (Ierem. XLVI.) omnibusq; iis regnis ac regionibus exuit, quæ Euphrate & Sihor fluviis continentur. II. Reg. XXIV. 8. Atque sic post Parentis obitum, καταςήσας τὰ κατὰ τὴν Αἴγυπτον πράγματα verba sunt Berosi: καὶ τὴν λοιπὴν χώραν καὶ τοὺς αἰχμαλώτους Ἰουδαίων τε καὶ Φοινίκων καὶ Σύρων καὶ τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον ἐθνῶν συντάξας τισὶ τῶν φιλῶν, Babylonem brevissima via profectus, regnum assumpsit, an. Iojachim IV. (Ierem. XXV. v. I.) Per. Jul. 4099. Iojachim vero cum tribus annis servisset Regi Babyloniæ, quarto hoc est regni septimo, aut octavo rebellavit. Quem exercitus Chaldæorum, qui continendis in officio gentibus in Syria relictus erat, una cum auxiliaribus Ammonitis, Syris & Moabitis misere afflixit, usque dum malis modis, malus, malè, periret, an. ut diximus, Per. Jul. 4106. Imp. XI. Filius vero Iojachin, qui Patri successit, à Chaldæis circumsessus, deditione facta, captivus, cum præstantissimis civium, Babylonem ductus est an. P. I. 4106. mense Marchesvan ineunte. Atque hæc nobilissima illa Epocha est, à qua anni translationis dependent, Prophetis ac inter illos Ezecheli, multum usur-

usurpata. Ita enim hic statim principio Prophetiæ. *Et fuit anno* xxx. *mense* IV.V. *die mensis, eram inter captivos ad Chobarem amnem. Et aperti sunt cœli, & vidi visiones Dei.* V *die, mensis* V. *Hic est annus* V. *postquam Iojachin translatus est.* Annos hos triginta Iudæi numerant à reperto libro legis sub Iosia: sed quid illud huc facit? alii existimant numerari xxx. à Iobeleo. Sed id quidem insolens est: imò & falsum, siquidem xv Ezechiæ est Iobeleus. Scaliger xxx numerat Nabopollassari. Sed si antiquis ulla fides, hic dubio procul falsus erit. Berosus enim tradit Nabucadnezarem regnasse annis 43. Distinguit vero Berosus accuratè, inter illud tempus, quo, commissa parte quadam potestatis Nabucadnetzar, vivo patre bellum gessit; & illud, quo solus regnavit. Et hoc saltem regnum nominat. At 37 an. translationis Nabuchodonosor obierat. Annos ergo saltem 32. juxta Scaligerum regnaverit, non 43. ut Berosus refert. Sed annus hic x x x, est ætatis Prophetæ. Indicat enim plenam se ac Sacerdotalem ætatem attigisse, & triginta annos fuisse natum, cum primum visionibus Dei dignus fieret. Hac verò translationis Epocha, alibi sæpe Ezechiel utitur. Ieremias verò & auctores lib. II. Reg. & lib. II. Chron. eandem adhibent, ubi tempus liberati è carcere Iechoniæ describunt. *Et factum est* XXXVII *anno translationis Iojachin Regis Iuda, mense* XII, XXV *die mensis, exaltavit Rex Evilmerodak, anno illo quo Rex factus erat, Regem Iojachin. Ierem.* LII. 31. An. XXXVII. translationis incipit, juxta priora, Marchesf. anni P. I. 4142. XII autem mensis est Adar, qui in XXXVII an. translationis convenit mensi Martio anni P.I. 4143. Evilmerodak ergo post Adarem mensem anni 4142 Rex factus est, ideoque Nabuchodonosor regnavit solidos 43 annos. Quæ omnia cum Beroso ad amussim conveniunt. Denique ex hac Epocha dependent septuaginta anni, quos laborum atque miseriarum terminum Deus populo suo præfinivit. Petavius existimat illos à IV an. Iojachim incipere debere, eo quod tum Prophetia edita sit. Sed Iudæi Chaldaicæ servituti nunquam obnoxii erant, ante annum Nebucadnezaris VIII. quo Iojachin translatus est. Et ipsemet Propheta satis mentem suam explicat in literis, quas ad Iudæos misit, qui cum Iechonia Rege Babylonem translati erant, in quibus ita scribit: *Quando impleti sunt vobis* LXX *anni in Babylone, ego visitabo vos, & excitabo bonum meum verbum ad reducendum vos.* Cap. XXIX. v. 10. Atque heic expressis verbis dicit, septuaginta iis annos in Babylone explendos esse, antequam bonum Domini verbum emitti possit. Cap. vero XXV. minimè dicit, à quarto anno Iojachim, qua Prophetia hæc data fuit, 70 annos inchoandos esse.

esse. Ita enim loquitur: *Ecce, ego mittam & adducam omnes gentes septentrionis, inquit Dominus, servum meum Nabuchodonosorem, & inducam illos super terram hanc, & super illos qui habitant in illa, & in circuitu illius, & maledicam illis, & faciam illos in solitudinem, sibilum & perpetuum desertum. Et auferam ab illis, vocem gaudii & læticiæ, vocem sponsi & sponsæ, vocem molarum, & lumen laternæ. Et tota terra desolabitur in desertum, & hi populi servient Regi Babyloniæ 70. annis.* Manifeste indicat se non de præsentibus, aut de iis, quæ tum exordium haberent, loqui: sed de futuris. Tempus ergo verum ex altero loco eruendum erit: ex quo etiam demonstratum est, Epocham horum annorum esse autumnum anni Per. Jul. 4106. quo Iojachin in captivitatem abiit. Et juxta hanc quidem rationem, LXX annus terminatur an. Per. Iul. 4176, autumno. Atque hoc ipso an. Cyrus Babylonem occupavit, ut postea videbimus. Optimè ergo omnia conveniunt. A captivitate enim Iojachin, septuaginta præcise anni sunt ad Cyri diploma emissum, quot etiam Scriptura numerat. Anni Nabuchodonosoris optimè cum Scriptura, optimè cum Beroso, optime denique cum Canone Mathematico conveniunt. Annus templi conditi, qui ex annalibus Phœnicum, antea demonstratus est incidere in annum Per. Jul. 3689. antecedit hanc cladem solidis 428 annis, quot etiam ex Scripturis colliguntur. Atque his ita demonstratis, priora, quæ super hæc exstructa sunt, firmissima esse deprehenduntur. Ut ergo discursum hunc feliciter concludamus, plurimis characteribus nobilissimam hanc Epocham signabimus. Templum combustum est An. Per. Iul. 4117. Cyclo Solis I. Cyclo Lunæ XIII. P. Const. 4912. Cy. S. XII. Cyc. Lunæ X. Indictione VII. Augusti die XVII. Feria VII. An. Mun. 3496. Iudaico 3164. Mense Ab. X. die mensis, Sabbatho. An. post Diluvium 1789. post exitum ex Ægypto 908. post ingressum terræ Canaan 858: Post templum ædificatum 429: An. Iphitæo CLXXX. sive Olympiadis XLV. an. IV. Urb. Con. 155. Tarquinii Prisci XVII. An. Nabonnazaru CLI. mensis Phamenoth XXVIII. An. ante natum Servatorem Iesum Christum, DXCV. ante vulgatem æram Christi, DXCVII.

Cap. XIV.

De successoribus Nebucadnetzari. Belsasar est Leboretzarcad Berosi, & Darius Medus Astyages. Scaligeri de Dario Medo sententia rejicitur. Berosus cæterique Scriptores

profani cum Scripturis conciliantur. De triplici Cyri initio, &c.

DEmonſtrato Nabuchodonoſori tempore, iisque quæ illuc pertinent: nunc ſucceſſorum ipſius anni examinandi ſunt. Patri mortuo ſucceſſit filius Evilmerodak, cujus initium, ex Scripturis ſuperiori capite demonſtratum eſt, convenire an. Per. Iul. 4142 exeunti. Regnavit vero juxta Beroſum, annos duos; juxta Canonem, annos tres: quod ita ſuperius explicuimus, ut Beroſi anni intelligantur pleni ac ſolidi, Canonis vero Mathematici parte aliqua deficientes. Regnaverit ergo annos duos & dimidium aut ultra, & exceſſerit ineunte an. P. I. 4145. Soror vero ipſius, quæ Nergallazaro cuidam nupta erat, filium habebat, Belſaſar dictum, qui, ut regnum penes magni Nebocadretzari poſteros maneret, Rex declaratus eſt, nomenque Avi ad differentiam nonnihil immutatum aſſumpſit. Idem enim eſt Ieremiæ, Nebocadnetzar & Nebocadretzar, vel ſi Græce dicere velis, Nabuchodonoſorus Beroſi, & Nubuchodroſorus Megaſthenis. Idem quoque Laboneth Herodoti & Naboneth; Beroſi. Sic ergo idem erit Nebucadretzar, & Lebocadretzar. Liquidæ enim in nominibus his Chaldaicis inter ſe permutantur. Componuntur vero nomina Chaldaica ex binis terniſve aliis. Sic Nebopolletzar componitur ex tribus נכו פול לצר ut & Nebucadnetzar, ſive Lebocadretzar נבו־כד־רצר & לבו־כד־רצר. Ex quo fit Laboretzarcad. לבו־רצר־כד, ſecundo & tertio nomine invicem tranſpoſitis. Sed quia hic Laboretzarcad ſive Belſaſar puer erat; regnum à Patre Nergallatzare ipſius nomine adminiſtratum eſt, quod tamen à Beroſo Chaldæo ipſi Patri tribuitur. Tradit enim is poſt Evilmerodakum regnaſſe Nergallatzarum generum Nebucadnetzaris annos 4. Canon Mathematicus 5. tribuit. Sed eadem explicatio heic valet, quæ antea. Regnavit ergo Nergallatzar annos 4. cum menſibus quibusdam. Et cum 4145 cœperit, omnino 4149 an. deceſſerit. Poſt illum Beroſus refert Leboretzarcadum filium, magni Nebucadnetzaris nepotem, admodum juvenem 9. menſes regnaſſe Sed cum in ipſo nullarum quidem virtutum plurimorum vero ac maximorum vitiorum indicia eſſent, ab amicis interfectus eſt. Inde Regnum pervenit ad quendam Labynethum ejusdem factionis. Atque hactenus Beroſus. Sed nodus heic difficillimus occurrit, in quo ſolvendo, atque explicando plurimi iique doctiſſimi interpretes deſudarunt. Quo vero ſucceſſu, judicent alii. Mihi quidem videntur ſecaſſe potius nodum, quam ſolviſſe.

Qui-

Quidam enim, ut Scripturæ veritatem assererent, non solum alios Scriptores profanos, sed etiam Berosum ipsum, qui ex Chaldæorum archivis historiam collegit, mendacii arguerunt. De quibus forte illud jure usurpare poteris. Imperitia nihil audacius. Alii cum Berosum, aliosque scriptores minimè rejicere vellent, pene contrario vitio obnoxii facti sunt: adeoque Berosum sequuti sunt, ut Scripturam relinquerent, & tantum non expressis verbis dicerent, ipsam mentitam fuisse. Sed ut omnia rectius intelligantur, ea omnia ex Scripturis proponemus, quæ huc pertinere possunt. Ieremias cap. XXVII. jussu Domini juga mittit Regibus Edom, Moab, Ammon, Tyri & Sidonis, cum hisce mandatis. *Ita dicit Dominus Zebaoth: Ego feci terram, homines & animalia, quæ sunt supra terram, magna mea potentia & brachio extenso. Et ego dedi illam cuicũque volui. Et nunc dedi omnes has terras servo meo Nabuchodonosoro Regi Babyloniæ, etiam bruta dedi ipsi, ut serviant ipsi. Et omnes populi servient illi, & filio ipsius, & nepoti ipsius, usquedum tempus terræ ipsius veniat.* Post Nebucadnetzarum vero primus Rex Babyloniæ in Scripturis nominatur Evilmerodak, Ierem. LII. qui juxta priorem Ieremiæ locum omnino erit filius Nebucadnetzari, quod cum Beroso optime convenit. Alter Belsasar est cujus, solus Daniel, tribus locis meminit. Cap. enim VII. v. 1. refert, se vidisse visionem quandam an. 1. Regis Belsasar, Regis Babel, & cap. VIII. v. 1. aliam, anno tertio Regis Belsazar. Cap. vero V. diducte narrat, quomodo Belsasar convivium magnum apparaverit principibus suis, in quo cum jam ebrius esset, aurea illa pocula apportari jusserit, quæ Pater ipsius Nebucadnezar ex templo Hierusolymitano abstulerat. Inde dicit ipsum & principes ipsius, uxores & concubinas ipsius bibisse ex vasis illis sanctis, & laudasse Deos aureos, argenteos, æreos, ferreos, lapideos & ligneos. Eo ipso tempore digiti quidam manus humanæ scripserunt in pariete: Mene, Tekel, Upharsin. Quo viso Rex obstupuit, summoq; terrore perculsus clamavit fortiter, jussitq; adduci sapientes, & Astologos qui hæc explicarent. Sed cum illi ne Scripturam quidem legere, multo minus exponere possent, magis obstupuit, Principesque ipsius suspensi sunt animo. Tum progressa est Regina (quæ Nitocris fuisse videtur) ob hanc Regis & principum causam, & indicavit, Danielem, quem Nebucadnetzar super Chaldæos & veridicos constituerat, hæc explicaturum. Daniel ergo vocatus, hæc de ipsius excidio quod imminebat, explicuit, atque ita conclusit: *Divisum est imperium tuum, & datum Medis & Persis.* Quibus hæc postea subjungit, vers. 30. *Illa ipsa nocte interfectus est Belsasar*

Rex Chaldæorum, Et Darius Medus LXII. *natus annus regnum assumpsit.* Atque ex his Scripturæ verbis invicem inter se collatis, demonstratur duos saltem post Nebucadnetzarum Reges Babylone regnasse. Post illos ad exteros regnum pervenisse. Dicit enim Ieremias, *& servient ipsi, & filio ipsius, & nepoti ipsius.* Filius est Evilmerodakus, nepos Belsasar, qui tres ad minimum annos regnavit. Et hæc quidem cum Beroso facillime conciliantur. Apud eum namque Nebucadnetzaro succedit filius Evilmerodakus, quod & Scripturis convenit. De morte Evilmerodaki tacet Scriptura, sicut & de morte Nabuchodonosori. Berosus vero ipsum tertio anno imperii, à Nergallatzaro affine interfectum prodit. Postea dicit Nergallatzarum generum Nabuchodonosori regnasse annos v. & post eum filium Leboretzarcadum menses 9. atque in hoc imperium domus Nebocadnetzari terminatum fuisse. Hæc igitur ita explicamus. Leboretzarcad, est nepos Nebucadnetzari ex filia, ut Berosus testatur. Vocatur vero is apud Ieremiam filius filii, phrasi scripturis frequentissima. Nam & gener בן appellatur. Hic, interfecto Evilmerodako statim successit Rexque factus est. Sed imperio immaturus, per Parentem omnia gerebat. Hinc ille nomine, hic re & opere Rex erat. Atque sic Belsasar v. annos imperavit, cum Parente: IX vero menses solus. Nono autem mense, ea ipsi contigerunt, quæ Daniel refert: & eadem nocte ab amicis, qui antea contra ipsum conspiraverant, interfectus est. Sed quæ hujus mortem sequuntur, non ita facile explicantur. Ierem. cap. XXVII. v. 12. expressis verbis indicat, tum Babyloniam sub alterius imperium, ac dominium venturam, cum familia Nebucadnetzari desiisset. *Et servient illi omnes gentes, & filio ipsius, & nepoti ipsius.* עד בא עת ארצו גם הוא *usque dum tempus terræ ipsius veniat, etiam illa,* tum serviet. Et hoc quoque è Daniele confirmatur. Dicit enim Belsasaro, *divisum est regnum tuum, & datum Medis & Persis.* Et postea: *ea ipsa nocte interfectus est Belsasar, & Darius Medus assumpsit regnum.* Ex quibus sane manifestum est, statim mortuo Belsasaro successisse in imperio Darium quendam Medum, atque ita ad Medorum & Persarum Regem, sive quod idem est, ad Medos & Persas imperium Babyloniorum devenisse. Sed negat Scaliger & eum sequutus Petavius, Darium Medum, Regem Mediæ fuisse. Et illud quidem satis confidenter. Nam & Scripturas pro se adducunt. Danielis IX. *Anno I. Darii filii Oxyaris ex semine Medorum, qui rex factus est super Regnum Chaldæorum.* Dicunt ergo Darium hunc Babylone natum, Parente Medo aut à Medis oriundo, regnum post Belsasarum tenuisse.

Atque

Atque illud ex Beroso demonstrare conantur, qui dicit, amicos interfecto Belsasaro regnum tradidisse cuidam Nabonnido Babylonio, qui fuit ex eadem conspiratione. Sed de Beroso postea videbimus. Id saltem heic dicimus, nunquam tale glossema Scripturam admittere posse. Neque enim cum homine Medo, vel potius Babylonico ex Medis oriundo, etiam Medicum imperium civitati inlatum fuit. At ibi sane Medorum & Persarum imperium est, ubi Medorum & Persarum leges ita regnant, ut ne Regi quidem contra illas quicquam mandare aut agere licitum sit. Dario verò huic Medo, Danielem liberare conanti, hoc subditi sui identidem objiciunt, Legem ab Rege latam ex jure Medornm & Persarum frangi non posse. Itane ergo Babyloniæ Rex Medorum & Persarum legibus astrictus erat, ut nihil in sua terra aut regno facere posset, quod his esset contrarium? Sed audiamus Scaligerum in notis ad fragmenta differentem, pagina 22. *Qui hunc Darium faciunt Regem Mediæ, & propterea quod dicitur Medus, & quia dictum est Danielis VI. edictum factum ab eo secundum legem Medorum & Persarum, iocularitere falluntur. Nam accepto Imperio Darius Medus, & omnes regiones & præfecturas, quæ regno Babyloniæ subjectæ erant, peragravit, & in Susiana cui præfectus erat Daniel, edictum hoc fecit. Atqui Susiana olim pars Persici & Medorum Imperii, Persarum & Medorum legibus temperabatur. Itaque Dario peregrino homini, & legum Persidis ignaro opus fuit monitoribus, qui dicerent. Scito Rex eam Medorum & Persarum legem esse, omne edictum, & constitutionem à Rege factam mutari non posse. Hæc plane ostendunt hominem, neque Persam, neque Medum fuisse. Alioqui non monendus fuisset.* Sed quot heic hallucinationes! Susas ac Susianam Regi Babyloniæ tribuit, idque iis temporibus, quo Medi veri Susianæ Domini Babyloniis summo terrori erant, ut ex Herodoto patet. Cur enim Nitocris civitatem contra Medos ita communivit, nisi quod sciret, Babylonios Medis Persisque, si acie decernendum esset, pares non fore. At si Susiana Babyloniis parebat, utique vel sponte contra Medos rebellaverat, seque Babyloniis subjecerat, vel armis ab his victa erat. Prius verum non est. Nulla enim contra Medos rebellio ante Cyrum, qui singulari arte Persas ad rebellandum permovit. Sed neque posterius verum esse poterit. Si enim illud, utique bella inter Medos Babyloniosque fuissent. At amici erant, & affines. Sed omne dubium eximit Æschylus in Persis, ubi sub Persona Darii Hystaspis, Reges Cyaxarem, Astyagem, Cambysem & Smerdim recenset, quibus semetipsum, & filium Xerxem demum subjungit. Verba ejus hæc sunt:

Μῆδος

Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος ἡγεμὼν στρατοῦ
Τὸ δ' ἄστυ Σούσων ἐξεκείνωσε πεσόν.
Ἄλλος δ' ἐκείνου παῖς τόδ' ἔργον ἤνυσε,
Φρένες γὰρ αὐτοῦ θυμὸν οἰακοστρόφουν,
Τρίτος δ' ἀπ' αὐτοῦ Κῦρος ------

Manifeſtis verbis indicat Suſas à Cyaxaro deletas, ab Aſtyage reſtitutas fuiſſe. At negare non poſſunt, quin Nabonidokus cum Aſtyage vixerit. At ſi Aſtyagi Suſæ parebant, ergo non Nabonnido: niſi forte Nabonnidus idem ſit cum Aſtyage. Sed nugarum ſatis eſt. Si Suſæ à Babyloniis victrici manu occupatæ fuiſſent, victoribus leges præſcribere non poterant, nec victorem Regem cogere, ad illud faciendum quod non volebat. Imo ſive armis, ſive rebellione contra Medos & Perſas, ſub Babyloniorum imperium pervenerant, nunquam Regem Babyloniæ ad id cogere poterant quod nolebat, illo dicto: *Scito Rex, eam Medorum & Perſarum legem eſſe, omne edictum, & conſtitutionem à Rege factam, mutari non poſſe.* Neque enim Rex Babyloniæ, Medorum & Perſarum legibus obſtrictus erat. Sed quod de Daniele dicit, quem Suſarum præfectum facit, illud neſcio, unde exſculpſerit. Equidem Daniel cap. VIII. refert ſe vidiſſe viſionem an. III. Belſaſar, & cum videret, fuiſſe ſe *Suſis in terra Elam, circa fluvium Vlai.* Sed hæc verba de ſpirituali præſentia interpretanda ſunt. Sicut Ezechiel ad Chobarem amnem ſitus, vidit ſe eſſe Hieruſolymis. Imo ſi ſimpliciciter hæc accipienda eſſent: nihil tamen huc facerent. Neque enim Daniel, Belſaſari temporibus Satrapa regni erat. Saltem ſapientibus Babyloniæ præfectus erat. Vanum ergo & joculare hoc Scaligeri argumentum eſt, nullo fundamento ſubnixum. Neque enim Rex potens, alterius Regni legibus ſe contra voluntatem ſuam conſtringi patitur. Is ergo Rex qui Medorum & Perſarum legibus ita obſtrictus erat, ut legem à ſeipſo datam, quæque non ſubditorum commodum aut incommodum, ſed ſolius Regis perſonam ſpectabat, minime ſolvere potuerit, eo quod lex à Rege lata jure Medorum & Perſarum, à nemine ſolvi queat, ſine omni controverſia Rex Mediæ fuerit. Et cum hiſce temporibus nemo alius Medis imperaverit præter Aſtyagem, patet Darium Medum Aſtyagem eſſe. Beroſi vero verba, cæterorumque hiſtoricorum facile cum his conciliantur: ſi obſervetur Nabonnidum primo vicarium Darii, ſive Aſtyagis fuiſſe, poſtea capto à Cyro Aſtyage ipſummet regnaſſe. Et propter priorem cauſam, imo propter utramque Rex à Beroſo nominatur. Nam & Nergallatzar, quamvis non Rex eſſet, ſed Regis vicarius,

pro

proRege tamen àBeroso habetur. Ita & hic Nabonnidus, (qui, quamdiu Astyages liber erat Proregem ipsius agebat, sublato vero illo, Regem) optimo jure à Beroso Rex appellatur. Ita ergo tota hæc historia ordinanda erit. Nebucadnetzar uxorem duxit Nitocrin Medorum Regis Cyaxaris filiam, Astyagis sororem, in cujus gratiam celeberrimos illos Græcorum fabulis pensiles hortos ædificavit. Hæc vero generosissima fœmina viro mente capto, & inter feras degente, Imperii clavum tenebat: & tum illa omnia ædificasse videtur, quæ Herodotus lib. I. memorat. Ex hac conjuge geminam prolem Nebucadnetzar susceperat, filium Evilmerodakum & filiam Nergallatzaro postea nuptam. Patri mortuo in imperio successit Evilmerodak, & huic affinis dolo sublato, filius sororis Evilmerodaki, sive Nebucadnetzari nepos ex filia, pro quo imperium administravit Pater Nergallatzar, Nebucadnetzari gener, annos IV. & menses quosdam, decessitque an. P. Jul. 4149. Post illum habenas Imperii ipse per se filius gubernavit menses IX. qui ab amicis circumventus periit. Et tum quidem Chaldæi sive Babylonii Nabonnido cuidam, sive Labynetho, conjurationis socio imperium demandarunt. Nitocris vero prudentissima summæque auctoritatis fœmina, cum videret suis exstinctis alienos imperio uti, nec sibi illud administrare licere, fratrem Astyagem accersivit, Medis tum Persisque late imperitantem, huicque imperium tradere conata est. Sed sapientes, ac principes, videntes se tali ac tam potenti Regi resistere non posse, tum propter maximam illius istis temporibus potentiam, tum etiam propter eorum perfidiam, qui Reginæ partibus faventes, Astyagem libenter admissum volebant, securitatem pacti, Astyagi se dediderunt, eumque pro Rege receperunt. Qui, ut pro hoc officio aliud ipsis redderet, Regem quem ipsimet sibi designaverant, Proregem constituit. Gesta sunt hæc an. Per. Jul. 4150. Astyagis XVII. ætatis ipsius LXII. Atque ita Astyages, qui alio nomine Darius vocatus fuit, Cuaxaris (qui Ebraice scriberetur קואחשורוש, à Danieleautem omisso קו primo nomine, quod principem aut δυνάστην denotat, אחשורוש vocatur) filius Rex Babyloniæ & Chaldæorum factus est. Anno autem I. Imperii, Darius sive Astyages diviso trafariam imperio in Medicum nempe, Persicum & Babylonicum, unicuique satrapam præfecit, quorum unus fuit Daniel. Et brevi postea ista contigerunt, quæ capite VI. Danielis leguntur. VI vero anno Imperii ipsius Babylonici anno I. Olympiadis LV. Cyrus cum Harpago Medo, Persis, ut contra Medos rebellarent, auctor fuit. Africanus apud Eusebium lib. X. de Præparat. Μετὰ

δὲ ὁ τῆς αἰχμαλωσίας ἔτη Κῦρος Περσῶν ἐβασίλευσεν. ᾧ ἔτει Ὀλυμπιὰς ἤχθη νε΄, ὡς ἐκ τῶν Βιβλιοθηκῶν Διοδώρου καὶ τῶν Θάλλου, καὶ Κάστορος ἱστοριῶν, ἔτι δὲ Πολυβίου καὶ Φλέγοντος ἔστιν εὑρεῖν. ἀλλὰ καὶ ἑτέρων οἷς ἐμέλησεν Ὀλυμπιάδων. ἅπασι γὰρ συνεφώνησεν ὁ χρόνος. Κῦρος δ' οὖν τῷ πρώτῳ τῆς ἀρχῆς ἔτει, ὅπερ ἦν Ὀλυμπιάδος νε΄ ἔτος τὸ πρῶτον, &c. Sed quod de ſeptuageſimo Captivitatis anno Africanus dicit, id ex ſuo addit. Neque enim Auctores illi quos citat cognitum habebant, quid ſeptuageſimus captivitatis annus eſſet. Ideoque neque de hoc loquuti fuere, ſed de anno 1. Olympiadis LV. Cœpit ergo Cyrus poſt æſtatem anni Per. Iul. 4154, & ante æſtatem 4155. Hoc enim ſpacio primus annus Olympiadis LV abſolvitur. Ita ergo Cyrus Perſicum imperium invaſit, & poſtea cum Aſtyage avo quidem ſuo, ſed nimis iniquo, & tali nepote omnino indigno, de Medico, imo toto ipſius imperio decertavit. Et cum XI annis Perſas ſuos exercuiſſet, eaque omnia præparaſſet, quæ ipſi in maximo prælio uſui futura eſſent, etiam varias terras occupaſſet: demum prælio Aſtyagem vicit vivumque cepit, an. Per. Jul. 4167. Aſtyagis XXXV. Medico, XVIII. Babylonico ineunte, Satrapiæ Naboniti ſive Labynethi XVIII. etiam ineunte. Audita vero clade Aſtyagis Crœſus Lydorum Rex amicus & ſocius ipſius bellum Cyro Perſiſque inferre deſtinat. Prius vero omnia oracula, tam Græciæ quam Ægypti, aliarumque regionum conſuluit, variiſque experimentis fidem cujusque oraculi exploravit. Accepto vero ambiguo reſponſo, quod perperam explicuit, maximo exercitu comparato Halyn amnem trajecit. Sed brevi poſt, à Perſis victus Sardeis regreſſus eſt. Atq; ibi à Cyro obſeſſus, tandem vivus captus eſt an. P. J. 4169. Diogenes Laërtius de Piſiſtrato. Σωσικράτης δέ φησιν πρότερον Κροίσου τελευτῆσαι αὐτὸν ἔτεσι τεσσαράκοντα, καὶ ἐπὶ πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς ἐννάτης ὀλυμπιάδος. An. P. J. 4130, æſtate incipit Olympias XLIX. Uno ante hanc anno Soſicrates Piſiſtratum obiiſſe dicit, quadraginta vero annis ante Crœſum. Hæc non de imperio, ſed clade Crœſi explicanda eſſe, docti omnes conſentiunt. Et recte quidem. Nam ſi Crœſus anno quadrageſimo poſt mortem Piſiſtrati, hoc eſt Per. Iul. 4170 cœpiſſet, eodem anno victus fuiſſet, quo Cyrus periit, quod hiſtoricis omnibus adverſatur. De clade ergo Crœſi, ſive fine imperii ipſius hæc explicanda erunt. Adeoq; juxta Soſicratem, Crœſus à Cyro captus eſt anno 4169 exeunte, aut 4170 ineunte, III anno poſt cladē Aſtyagis. Regnavit vero Babylone iis temporibꝰ Lebyneth, ſive Neboneth. Herod. 1. Nam poſteaquam Aſtyages à Cyro victus fuerat, Prorex Leboneth ſive Neboneth Babylonicum imperum ſibi aſſumpſit, quod & ante Aſtyagem populi conſenſu tenuerat. Cyrus

vero

vero postquam Crœsum devicerat, ea in Asia minore gessit, quæ Herodotus refert. Et demum reliquis omnibus ordinatis, contra Nebonethum sive Lebonethum, antea quidem Astyagis Proregem, nunc vero se pro Rege gerentem, duxit, an. P.J.4174. Hoc acie victo, & Borsippas se recipiente, Cyrus contra Babylonem duxit. Ibi ordinatis, qui exteriorem murum destruerent, Borsippas profectus est, atque ibi Nabonnidum circumsedit. Sed hic se Cyro statim dedidit an. Per. Jul. 4175. Atque hinc Babylonici Imperii initium dependet, quod IX annis durasse Canon tradit, quod etiam verum est. Anno enim 4175. post devictum Regem Babyloniæ, inchoatũ, & an. 4184. ineunte finitũ est, quo Cyrus excessit, ut postea dicetur. Scriptores vero Sacri, non à devicto Rege, sed ab occupata Babylone primum annum exordiuntur. Supplice verò recepto, & in Carmaniam ablegato, Cyrus contra urbem duxit. Sed illi cum antea, obsidionem veriti, & muros muniissent, & de necessariis sibi prospexissent, conatus Cyri irridebant. Cyrus ergo anxius & consilii impos, demum Euphratem alio derivare aggressus, (quod ipsum à Nitocride regina antea factum fuerat) istum annum & partem sequentis huic operi impendit. Insequenti demum æstate urbs capta est, Saccæorum festivitate. Herodotus dicit, Babylonios, epulis ac saltationibus intentos, propter festum aliquod publicum, Persis non restitisse. At festum hoc Scaliger in notis ad fragmenta existimat illud esse, cujus his verbis meminit Athenæus, lib. XIV. Βηρωσὸς δὲ ἐν πρώτῳ Βαβυλωνιακῶν τῷ Λώῳ φησὶ μηνὶ ἑκκαιδεκάτῃ ἄγεσθαι ἑορτὴν Σακέας προσαγορευομένην ἐν Βαβυλῶνι ἐπὶ ἡμέρας πέντε. ἐν αἷς ἔθος εἶναι ἄρχεσθαι τοὺς δεσπότας ὑπὸ τῶν οἰκετῶν, ἀφηγεῖσθαί τε τῆς οἰκίας ἕνα αὐτῶν ἐνδεδυκότα στολὴν ὁμοίαν τῇ βασιλικῇ ὃν καλεῖσθαι Ζωγάνην. Μνημονεύει τῆς ἑορτῆς καὶ Κτησίας ἐν δευτέρῳ Περσικῶν. Et satis probabile est hoc festum ab Herodoto innui. Quomodo enim integra urbs, ita epulis ac saltationibus alias fuisset dedita, nisi publico festo, & quidem tali, in quo omne licentiæ locus esset? Lous vero Macedonicus est Hecatombæon Atticus Lunaris. Adeoque statim post Solstitium æstivum anni Per. Jul. 4176 Urbs capta est. Anno vero Per. Jul. 4176. autumno annus 70 captivitatis terminatur. Atque statim post, Cyrus, omnibus ordinatis, cognitaque divina prædictione ac mandato de LXX annis, decreto jussit, ut quicunque ex Iudæis Ierusolymas tendere vellet, ipsi id integrum esset. In illo vero diplomate ita scriptum est. *Ita dicit Cyrus Rex Persarum. Dominus Deus Cœlorum dedit mihi omnia regna terræ, & mandavit mihi ædificare sibi domum Hierosolymis Iudeæ. Quis est jam inter vos ex omni populo ipsius? Deus ejus*

 sit cum

sit cum ipso. Ex quibus verbis id manifestum est, hæc post Babylonem occupatam contigisse. Hunc vero annum primum Cyri numerat Esdras, à capta nempe Babylone. Triplex igitur Cyri exordium est, primum ab occupato Persidis imperio an. Per. Jul. 4154. Alterum à devicto Nabonnido Per. Jul. 4175. Tertium ab occupata Babylone. Illud XXIX solidos annos duravit, adeoq; Cyrus decessit ineunte an. P. Jul. 4184. Alterum IX. ut Canon Mathematicus testatur. Adeoque 4175 anno ineunte cœpit. Tertium VII. solidos, cujus mentionem Xenophon facere videtur, ubi Cyrum 7. annos imperasse dicit. Equidem non me fallit, Xenophontem, de Cyro priori scribentem, magis Politicum, quam Historicum agere. Sed de tempore satis vera tradere potuit. In Cyro quidem perfectum principem describit. Ideoque cum non omnes ipsius actiones tales essent, quales debebant, nonnunquam fingere coactus fuit. Sed talibus studiis tempus Imperii minime obnoxium est. VII ergo annos post occupatam Babylonem Cyrus imperavit, IX. vero post victum Nabonnidum, & XXIX post occupatum Imperium Persicum. Atque nunc omnia optime conveniunt. Nam & scripturarum divinarum infallibilis veritas demonstratur, & auctorum omnium loca conciliantur: ita ut nihil nunc vel in Beroso vel Megasthene vel Herodoto, aliisve antiquissimis, diligentissimis ac minime suspectæ fidei scriptoribus occurrat, quod non cum his, quæ diximus, exactè conveniat.

CAP. XV.

Cyri initium. Cambysis Epocha duplex, ut & Artaxerxis Longimani. Omnium Regum Persicæ anni, & tempora, &c.

PErsicæ Monarchiæ exordio monstrato, nunc reliqua ejusdem pertractanda sunt. Cyrus unanimi auctorum omnium consensu cœpit Olympiad. LV. anno I. ut antea diximus. Cœpit vero Olympias LV an. P J. 4154. & finita est anno 4155. æstate. Cyrus ergo, vel exeunte 4154. vel ineunte 4155 incepit. Sed æstate 4154 cœpisse, inde patet. Agathias refert, antiquum Persarum Imperium CCXXVIII. annos durasse, Curtius lib. IV. annos CCXXX. Sed de tempore, quo Persicũ Imperium finitum est, non omnes conveniunt. Alii enim à victoria ad Granicum, post quam magna pars Asiæ defecit: alii à victoria ad Issum, numerant. Strab. lib. XVI. ad fin. Τοῦτον δὲ καταλύσας ὁ Ἀλέξανδρος αὐτὸς ἦρξε δέκα ἢ ἕνδεκα ἔτη. An. 4380. P. J. Thargelionis VI. Gra-

nicum

nicum Alexander trajecit. sequenti anno mense Mæmacterione circa Issum depugnavit. Et demum 4383. post xx Septembris, ad Gaugamela Darium prælio iterum vicit. A prima victoria ad mortem Alexandri, juxta Calculum Astronomicum, (qui à Thoth anni Ægyptiaci hos annos orditur) anni sunt x. solidi, cum parte undecima: à secunda anni xi. Atque de his Strabo loquitur. Agathias vero à secunda incipere videtur. Curtius autem manifeste indicat, ducentos triginta annos usque ad prælium ad Arbelas numerari, quod contigit An. P. J. 4383. post xx Septembris. Inceperat ergo Persicum Imperium ducentos & viginti novem annos solidos cum parte xxx ante pugnã ad Arbelas, adeoq; ante xx Septembris anni 4154. Cyrus ergo, qui An. P. J. 4154 cœpit, omnino decessit An. P. J. 4184 ineunte. Ab hoc ergo tempore Cambysis initium dependet. Sed cum nuncius mortis Cyri sero in Persidem ac Babyloniam perveniret, Satrapæque clade territi, alii alio se converterent, ac pro se quisque anniteretur imminens à Massagetis periculum avertere, annus 4184. elabebatur. Atque sic demum exeunte an. P. J. 4184. Cambyses Rex creatus est. Ab hac posteriori Epocha, & Herodotus, & Ptolomæus numerat. Herodotus namque prodit Cambysem regnasse annos vii. & menses v. post hunc Smerdis Magus regnabat menses vii. atque ita annus viii Cambysis absolutus fuit, inquit Herodotus. His interfectis Darius Hystaspis regnat. Ptolomæus vero ex archivis Babyloniorum tres Eclipses descripsit, quarum prima contigit anno Cambysis septimo, altera anno Darii xx. tertia anno ejusdem xxxi. De prima loquitur lib. v. cap. xiv. ubi dicit dimidiam Lunam defecisse à parte borea Babylone circa horam 11. post meridiem, hoc est una hora ante mediam noctem, die 17. Pamenoth, sequente 17. anno Nabonnassaru ccxxv. Annus Nabonnassari ccxxv. incipit juxta Methodum à Kal. Ianuariis anni P. J. 4191. xvii ergo Phamenoth convenit xvi Iulii Iuliani. Et hoc ipso die Eclipsis hæc contigit, qua Luna defecit dig. 6. 10′. à Septentrione, cujus medium visum est Babylone, hora 1. 4′. ante mediam noctem, sive hora 10. 56′. à meridie. Altera Eclipsis proponitur lib. iv. cap. ix. qua Luna defecit quarta parte diametri versus austrum, 24′ minut. ante mediam noctem, Epiphi xxviii. sequente xxix. anno Nabonnassaru 246. Tertia vero eodem loco contigisse dicitur xxxi. Darii primi, an. Nabonnassaru 257. Tybi iii. sequente iv, Babylone, hora dimidia ante mediam noctem. (Regiomontanus legit hora una ante mediam noctem.) defecitque tum luna dig. 2. ab austro. Utrique tempori suus

Character convenit. Quippe XXVIII Epiphi anni Nabon. CCXLVI. est XIX Novembris anni P.J.4212. quo quidem die Luna defecit dig. 2.23'. ab austro. Med. Eclipseos visum fuit Babylone hora XI.48'.post meridiem. III vero Tybi anni CCLVII convenit XXV Aprilis anni P.J.4223. quo Luna defecit dig. 2.9'. ab austro, hora post meridiem XI. 2.Babylone. Ex hisce exemplis liquet Darium Hystaspen post Novembrem & ante Aprilem cœpisse, adeoque ineunte An. P.J. 4193. mense Ianuario, aut exeunte an.4192. mense Decembri. Magi vero septem mensibus rerum potiti sunt. Cambyses ergo decesserit An. P. J. 4192. vel Aprili vel Majo mensibus. Regnavit vero juxta Herodotum annos VII. & menses quinque. Cœperit ergo omnino imperare An.P.J.4184 exeunte mense Decembri, aut an.4185.mense Ianuario. Ideoque XVI. Iulii anni P.J.4191. vere incidit in annum VII Cambysis. Cyrus vero qui juxta Herodotum XXIX annos præfuit, & juxta omnes scriptores, aut exeunte an.P.J.4154. aut ineunte 4155 cœpit, omnino excesserit an.P.J.4184. ineunte. Sed Cambyses extremo anno Rex coronatus est, adeoque illa heic locum habent, quæ antea dixi. Nunc reliqua pertexenda sunt. Lib. VII. refert, Darium, audita clade, ad Marathonem accepta, novum belli apparatum instituisse: qui Asiam omnem toto triennio concussit. Quarto inde anno Ægyptus rebellat. Darius in utramque intentus expeditionem, altero post Ægypti defectionem anno moritur. Quinto ergo anno post pugnam Marathoniam exeunte Darius decessit. Contigit vero pugna Marathonia referente Dionysio Halicarnasseo XVI annis post Bruti funus. Reges à Bruto exacti sunt, juxta Dionysium, an. P.J. 4207. ut antea demonstravimus. Exeunte hoc eodem anno Brutus mortuus est. Si ergo ad an.4207 adjeceris solidos annos XVI, habebis annum P.Iul.4223. cujus VI. die Boedromionis pugna Marathonia commissa fuit. Thucydides vero refert διάβασιν Ξέρξου contigisse X. annos post pugnam Marathoniam. Contigit διάβασις ineunte an.P.I.4234. Inter pugnam ergo Marathoniam, & transitum Xerxis, anni sunt decem solidi, cum parte XI. Clades ergo Marathonia incidit in annum Darii XXXI. exeuntem. Ideoque Darius excessit an. Imperii XXXVI exeunte, Per.Iul. 4228.etiam exeunte. Huic successit filius Xerxes antea successor imperii designatus, qui an. Imperii VI. expeditione contra Græcos suscepta in Græciam trajecit an. P.I. 4234. ut Petavio lib. 10. cap. 24. demonstratum est. An. Imperii XIII.P.I.4241. Artaxerxes filius Rex designatus est. quod inde probatur. Thucydides gravissimus & accuratissimus scriptor tradit, Themisto-

mistoclem Athenis profugum ad Persarum Regem se contulisse, ac priusquam adiret, ad Artaxerxem filium Xerxis, qui nuper imperium ceperat, literas dedisse. εἰσπέμπει γράμματα εἰς βασιλέα Ἀρταξέρξην τ̃ Ξέρξου, νεωςὶ βασιλεύοντα. Diodorus vero Siculus, gravis & ille Scriptor, Themistoclis fugam, & profectionem, conjicit in annum II. Olymp. LXXVII. qua ad Xerxem transfugisse dicit. Huic optimi quique scriptores assentiuntur. Sed non poterat accuratissimus scriptor ea in cive suo ignorare, quæ se vivo & præsente contigerunt. Ut ergo Scriptores hi gravissimi concilientur, necessarium est, ut Artaxerxes cum Parente Xerxe imperium gesserit. Solemne vero Diodoro est annum Olympiadum, non ab æstate incipere, sed ab initio fere anni Romani ac Juliani, quod cuivis Diodorum legenti patet. Annus II. Olymp. LXXVII. incipit à diebus æstivis anni P.J. 4243. Diodoro auté ineunte an. 4243. Dicunt vero scriptores, Themistoclem integro anno in Perside vixisse, antequam Xerxem compellaret, idque ea de causa, quod Persice ipsum affari vellet. An. ergo exeunte Per. Jul. 4241 in Persidem profugerit Themistocles, & tunc literas ad Artaxerxem dederit νεωςὶ βασιλεύοντα. Ex quibus liquet Artaxerxem principio anni P. Jul. 4241. cum Patre imperare cœpisse. Et hoc primum Artaxerxis initium est. Alterum convenit an. P. Iul. 4248. Darius enim, ut diximus, decessit an. P. Iul. 4228. exeunte. Eodem tempore incepit Xerxes, & regnavit annos XX. ideoque decessit an. P. I. 4228. Post hunc regnavit Artaxerxes annos, ut Diodorus refert, XL. ut Clemens, XLI, ut Ctesias, XLII. Thucydides vero testis est Artaxerxem decessisse an. VII. belli Peloponnesiaci, quod quidem incipit vere anni P. Iul. 4289. Decessit ergo Artaxerxes, post vernum tempus anni P. I. 4289. Ideoque XLI annos solidos regnaverit, & XLII inchoaverit. Post illum primo regnavit Xerxes menses duos, inde Sogdianus menses VII. Adeoq; Darius Nothus incepit an. P. I. 4290. decessitque anno IV. Olymp. XCIII. P. Iul. 4309. cum imperasset annos XIX. ut author est Diodorus. Post hunc regnavit Artaxerxes Mnemon annos XL. Artaxerxes Ochus XXVI. & Arses IV. Ac post hos ultimus Darius Arsami F. qui anno Per. Iul. 4379 cœpisse videtur, desiisse vero anno 4384. anno Imperii VI. Atque hæc horum Regum Epocha est.

Cap. XVI.

De ultimis Ægypti Regibus. Herodotus, Manetho, & Diodorus

dorus explicati. Initium belli Peloponnesiaci. Annus captæ Vrbis à Gallis.

TRia in hoc capite pertractamus, quæ ad superiora rectius percipienda faciunt, tempora nempe posteriorum Regum Ægypti, Epocham belli Peloponnesiaci, & Epocham captæ Urbis. Manetho apud Eusebium in Chronico IX. Reges XXVI Dynastiæ recenset, quorum primus est Ammeres Æthiops, tum Stephanatis, Nechepsos, Nechao, & demum Psammetichus, & qui illum sequuntur. Herodotus vero, ubi expeditionis Æthiopum in Ægyptum meminisset, refert XII. Reges Ægyptum tenuisse, quorum unus erat Psammetichus, qui post varia fata regnum demum occupavit. Post illum iidem Reges ab Herodoto recensentur, qui à Manethone: sed non totidem ubivis anni illis tribuuntur: quod ex laterculo adposito patet. Sed hi facile conciliantur, in quibus discrepant. Primo enim numeri annorum Regum Nechao & Psammis videntur esse transpositi in Eusebio. Ideoq; XVII anni Nechao tribuendi sunt, Psammi vero VI. Numerat vero Herodotus annos solidos cujusq; Regis, Eusebius ex Manethone partes annorũ, quæ super solidos excurunt, & demum annum constituunt. Ita ergo Necao XVI solidos annos regnaverit, & menses quosdam, Psammis annos VI. & menses aliquot, qui cum prioribus juncti faciunt annum. In annis Amasis XLIV retinendum est. Ita enim in excerptis Manethonis apud Scaligerum in calce Thesauri temporum legitur. Sed Diodorus in duobus ultimis Regibus dissentit. Apriem namque regnasse scribit annos XXII. Amosin LV. quem & mortem obiisse dicit sub Cambysis expeditionem circa tertium annum Olymp. LXIII. Sed quid si LV. corruptum est, & ex M. factum sit N. elisa una ex brevioribus lineis: ideoque legendum sit, ME. sive 45? Tum enim omnia se recte habebunt, si dicatur Amasin an. XXII Apriis rebellare cœpisse. Et demum post tres annos interfecto Aprii successisse. Diodorum vero tot modò annos Amasi tribuisse, quot Ægyptii ipsum post mortem Apriis regnasse proderent, solidos nempe XLIV. & parte anni XLV, quam

Regum nomin.	*Anni regni. ex Herod.*	*Maneth.*	*Anni P. I.*
Psammetichus	LV.	LV.	4041.
Necos	XVI.	VI.	4095.
Psammis	VI.	XVII.	4112.
Apries	XXV.	XXV.	4118.
Amasis	XLIV.	XLII.	4143.
Psammenitis	6. menses.		4187.
Cambyses.	IV. an.		4188.

quam postea filius Psammenitus expleverit. Quicquid sit, Herodoti potior auctoritas est. Nunc Epocha ordinanda est. Eusebius in Catalogo Regum, quem ex Manethone descripsit refert, Cambysem v. anno Imperii Ægyptum occupasse. Iuxta ea vero, quæ de Cambysis annis superiori capite diximus, annus v. Cambysis incipit ineunte an. P. J. 4188. juxta priorem Epocham: juxta posteriorem an. 4189. Diodorus tradit Cambysem expeditionem hanc in Ægyptum fecisse an. III. Olymp. LXIII. Incipit hic annus æstate P. J. 4188. & finitur 4189. Sed Diodoro solemne est Olympiadis annos à Coss. initiis, sive Kal. Ianuariis auspicari. Expeditio ergo Cambysis inciderit, juxta hanc rationem, in initium anni 4188. Adeoq; omnium Regum anni, juxta eam se rationem, habent, qua in laterculo perscripti sunt. Atque sic Nechao ineunte 4095 cœperit, qui exeunte hoc ipso anno Iosiam Regem Iuda in prælio ceciderit, & ineunte 4096 Hierusolymas ceperit. Hæc de Ægyptiis. Bellum Poloponnesiacum quod attinet, de eo integrum commentarium Thucydides scripsit, non minori gravitate, quam fide. Tribus vero insignibus characterismis tempus belli hujus confirmat: tribus nempe Luminarium Eclipsibus, quarum duæ in Sole, una in Luna contigit. Prima ab ipso contigisse dicitur primo anno belli, æstate. Duplex vero anni apud Thucydidem partitio est. Primò enim annum in duas æquales partes dividit: quarum unam, quæ est ab autumno ad ver χειμῶνα vocat, alteram vero ad autumnum θέρος. Lib. IV. τοῦ δ' ἐπιγιγνομένου θέρους περὶ σίτου ἐκβολήν. Et postea, ἅμα ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους. Manifestis verbis indicat, se vernum tempus, quo sata germinant, æstati tribuere. Secundo distinguit æstatem in duas partes, in ver & æstatem specialiter dictam. Atque sic libro I. ait bellum cœpisse ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ. Postea vero refert, τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους, æstate, quod Ver illud primi anni, sequebatur Solem defecisse. His ita præcognitis, nunc characteres ipsos examinemus. Prima Eclipsis, quæ ut diximus contigit æstate illa, quæ Ver primi anni insequuta est, exstat Lib. II. qua Sol ita post meridiem obscuratus fuit, ut μηνοειδὴς appareret, ac stellæ quædam viderentur Rursum anno VIII belli ineunte, septimo exeunte θέρους, εὐθὺς τοῦ ἡλίου ἐκλιπές τι ἐγένετο περὶ νουμηνίαν. lib. IV θέρος apud Thucydidem absolute positum denotat tempus illud, quod est ab initio Veris ad initium au tumni, ut dictum fuit. Ita ergo contigerit hæc Eclipsis post hyemem, & parva fuerit. Tertia vero, quæ XIX belli anno in Luna contigit, maxima fuit, quæ ideo facilius superstitioso homini Niciæ metum incussit. Ut Sol æstate cujusdam anni post meridiem ita deficiat, ut μηνοειδὴς appareat,

& rursus VIII. anno post, æstate, parum deficiat; & denique Luna, XIX anno post, maximam obscurationem patiatur: id toto isto tempore, quod est ab initio Olympiadum ad Epocham Christi, contingere non potest, nisi annis P.I. 4283. 4290. & 4301. Anno namque P.J. 4283 Sol defecit dig. 10. 10'. die III. mensis Augusti, hora V. post merid. & rursus an. P.J. 4290. Sol 8. dig. defecit Martii XXI. hora VIII. post med. noct. Athenis. Anno vero 4301 Luna defecit 13 dig. Syracusis hora 12 noctis. Initium ergo belli Peloponnesiaci incidit in vernum tempus anni P.I. 4283. post quod tempus Pythodorus Athenis Prætor erat menses duos, referente Thucydide lib. II. Tradit vero Diodorus Siculus lib. XII. Bibliothecæ, Prætore Athenis Pythodoro Olympiadem LXXXVII. ab Elidensibus actam fuisse. Postea subjungit, ab hoc anno Thucydidem Oloris filium Historiam suam auspicari. Annus ergo primus belli incipit à vere anni I. Olymp. LXXXVII. Ideoque Olympias LXXXVII. acta fuit æstate anni P.I. 4282. quod idipsum est, quod antea in Epocha Olympiadum confirmavimus. Adeoque hac ratione ex belli Peloponnesiaci annis anni Olympiadum demonstrantur. Urbs vero à Dionysio capta ab Gallis fuisse dicitur An. I. Olymp. XCVIII. Diodorus Siculus II anno illud tribuit. Incipit vero Olymp. XCVIII. æstate anni P.I. 4326. & terminatur 4327. æstate, à qua II annus Olymp. XCVIII. init. Sed ut diximus solemne Diodoro est Olympiadis annos, non ab æstate, sed antea, & quidem juxta anni Romani rationem, à Kal. Ianuariis, incipere. Id unico exemplo manifestum faciemus. Bellum Peloponnesiacum cœpit primo vere anni Olymp. LXXXVII. ut jam ex Thucydide manifestum fecimus. At Diodorus initium hujus confert in annum II. Olympiadis LXXXVII. Annus ergo II. Olympiad. LXXXVII. Diodoro incipit ante vernum tempus anni P.I. 4283. quo I. annus dictæ Olympiadis adhuc in fluxu erat. Anno ergo P.I. 4327 ineunte, II. annus Olympiad. XCVIII. incipit. Urbs ergo juxta Dionysium, & Diodorum, omnino capta est anno P.I. 4327. Refert vero Plutarchus in causis, victos fuisse ad Alliam Romanos post Eidus Quintilis. Idem refert Livius: qui postridie Idus Quintilis Posthumium sacra fecisse narrat. Atque his consentiunt Gellius Annal. XV. & Casius Hemina Historiarum II. qui referunt: *Anno ab Vrbe condita* CCCLXIII *à Trib. Mil. Virgulo Manlio, Ebulio Posthumo, collegisque eorum in Senatu tractatum, quid esset, propter quod toties inter paucos annos male esset afflicta Respublica: & ex precepto Patrum, L. Aquinium Aruspicem, in Senatu venire jussum religionum requirendarum gratia, dixisse, Q. Sulpitium Trib. Militum ad Alliam adversum*

sum Gallos pugnaturum, rem divinam dimicandi gratia fecisse postridie Idus Quintilis. Ex quibus patet æstate Urbem captam fuisse. Sed clarius id ex Plutarcho demonstratur. Is enim in Camillo ita scribit: ἐγένετο δὲ ἡ μάχη περὶ τροπὰς θερινὰς περὶ τὴν πανσέληνον. Ut pugna conveniat æstati, juxta Plutarchum, & omnes Scriptores Romanos, & juxta Dionysium & Diodorum anno Olympiadis XCVIII. primo exeunti, id nunquam contingere potest, nisi an. P. I. 4327. Et hoc ipso anno postridie Idus Quintilis, juxta rationem à nobis lib. I. pag. 206. propositam, convenit IX Iulii Iuliani, qui proxime sequebatur Solstitium civile, quod iis temporibus in XIII Iulii constitutum fuit. XII vero Iulii Iuliani, sive XV Kal. Sextileis, juxta Livium, Plutarchum, & alios, Urbs capta est: quo etiam die Plenilunium Romæ fuit. XIV vero Kal. Sextileis, sive XIII Iulii Iuliani, Urbs incensa est, ex mente Taciti Annal. XV. Huic igitur soli anno omnes temporum characteres ab auctoribus optimis propositi conveniunt. Et frustra est Petavius, qui ex Fast. Consulum, quos ipsemet pro vitiosis & corruptis habet, optimos & præstantissimos scriptores refutare conatur, idque ea in re, in quibus illi certissimam rationem sequuti sunt. Vide quæ lib. I. cap. de anno Romano antiquo, & Lib. II. cap. de Epocha Urbis diximus.

Cap. XVII.

Excessus Alexandri. Epocha annorum Philippi, Seleucidarum, Iulianorum & Actiacorum. Iulii Augusti & Tiberii tempora explicata, &c.

Alexander magnus, Philippi filius an. P. I. 4358. natus 4378. Imperium Macedonicum capessivit. Sequenti vero Thebas evertit. Ac tum quidem bellum contra Persas molitus, an. 4380. trajecto Granico, purpuratos Darii devicit. Inde ad Issum cum Dario pugnavit, & postea ad Gangamela an. P. I. 4383. XI diebus post plenilunium Boedromionis, sive primum diem Mysteriorum, quo Luna defecerat, ut Plutarcho notatum est. Anno vero Per. Iul. 4391. mense Aprili decessit. Hoc mortuo lis magna inter principes de successore erat, quæ ita demum decisa fuit, ut quivis ex Satrapis partem quandam Imperii administraret: Philippus vero Aridæus Alexandri frater Rex esset. Epochæ vero, tam mortis Alexandri, quam annorum Philippi, à Thoth præcedentis anni incipiunt, ut ex Ptolomæo & Censorino

manifestum est. Anno vero XI. post excessum Alexandri, Seleucus Babylonem occupavit, Mediamque ac Susianam in suam potestatem redegit P. Iul. 4402. Atque ab autumno hujus anni Epocha annorum Seleuci dependet, quam, Patres nonnulli Epocham Alexandri, Arabes Terik Dhilcarnain sive Epocham Δικέρωτος vocant, qua Albategnius, cæterique Arabes, in observationibus utuntur. Chaldæi vero, sive Babylonii, annos hos Seleuci, non ab autumno, sed vere sequentis anni 4403, inchoarunt, ut in anno Chaldaico à nobis dictum fuit. Ita ergo Seleucidæ multis annis potiorem Asiæ partem tenuerunt, variisque interea calamitatibus populum Dei affecerunt, usquedum hi tandem impotenti istorum dominio excusso, in libertatem se assererent, suique generis hominem sibi præficerent Simonem nempe Hasamonæum Mathatiæ filium, qui sub nomine Pontificis totum regimen in se recepit. Huic successit filius Iohannes Hyrcanus, & illi Aristobulus, qui primus sibi inter Iudæos, post captivitatem Babylonicam, diadema imposuit. Sed de horum imperio antequam dicamus, necesse est, ut ea, quæ ad primos Romanorum Imperatores spectant, antea pertractemus, cum exinde ista explicari debeant. Iulius Cæsar se iterum, & P. Servilio Coss. devicto ad Pharsaliam Pompejo, in Ægyptum transgressus, Alexandriam cepit. Inde Romam reversus, annum Pontificum licentia corruptum emendavit, eumque, quod menses nimium in antecedentia recesserant, XV mensium, dierum vero 445 constituit. Atque hic est annus Confusionis, quo ipse III. cum M. Lepido Consul fuit. Sequens ergo annus, quo ipse IV. M. Lepidus II. Consul fuit, est primus inter eos, qui ab ipso Iuliani appellantur. Censorinus cap. XX. *Adeoque aberratum est, ut C. Cæsar Pontifex Maximus suo III. & M. Æmilii Lepidi consulatu, quo retro delictum corrigeret, duos menses interkalarios, dierum sexaginta septem, in mensem Novembrem & Decembrem interponeret ..... Ex hoc anno ita à Iulio Cæsare ordinato, cæteri ad nostram memoriam Iuliani appellantur, iique consurgunt ex IIII. Cæsaris consulatu.* Convenit vero IV. consulatus Cæsaris anno Urb. Varroniano DCCIX, Capit. DCCVIII, Vero DCCVII. Ideoque an. P. Iul. 4669. Atque hoc ipsum ex Censorino manifestum est. Annus namque P. I. 4951. (cujus æstate annus 1014 Iphiti cœpit, & VII Kal. Iul. annus Nabonnazaru DCCCCLXXXVI) numeratur Iulianus CCLXXXIII. Anno autem Iuliano II. Urbis DCCVIII. P. Iul. 4670. Eid. Martiis Cæsar in Senatu interfectus est C. vero Octavius sororis filius, in familiam, nomenque à Cæsare adoptatus, Romam Apollonia reversus, necem avunculi vindicare, tuerique

acta

acta ejus studuit. Prætor ergo creatus, & sequenti anno Pansa & Hirtio interfectis, Consul, cum M. Antonio, & M. Lepido conjuravit. Atque ita exercitibus comparatis, primum cum M. Antonio, Marcoque Lepido, dein tantum cum Antonio, per duodecim fere annos, novissime per XLIV. solus rempublicam tenuit. Quippe post Pompeii fugam, M. Lepidum, quem ex Africa in auxilium evocarat, superbientem XX legionum fiducia, summasque sibi partes terrore, ac minis vindicantem, spoliavit exercitu: supplicemque concessa vita Circeios in perpetuum relegavit. Inde Antonii quoque societatem abrupit. Belloque contra ipsum & Cleopatram decreto, navali ad Actium prælio victor exstitit anno Urb. DCCXXI. Per. J. 4683. Sequenti anno Ægyptum ingressus, Pelusium & Alexandriam cepit anno P. Jul. 4684. Atque hinc anni Actiaci incipiunt, qui cum menses Ægyptios habeant, fixi tamen sunt. Quarto namque anno 6. dies pro quinque interkalantur. Incipiunt vero hi anni à XXIX. Augusti mensis sive IIII. Kal. Septembris, quod tum ex aliis multis, tum præcipue

Η. ΙΕΡΑ. ΤΑΞΙϹ. ΤΩΝ. ΠΑΙΑΝΙϹΤΩΝ
ΤΩΝ. ΕΝ. ΡΩΜΗ. ΔΙΟϹ. ΗΛΙΟΥ
ΜΕΓΑΛΟΥ. ϹΑΡΑΠΙΔΟϹ. ΚΑΙ. ΘΕΩΝ
ϹΕΒΑϹΤΩΝ. ΕΤΕΙΜΗϹΑΝ. ΕΜΒΗΝ
ΠΡΩΦΗΤΗΝ. ΠΑΤΕΡΑ. ΤΗϹ. ΠΡΟ
ΓΕΓΡΑΜΜΕΝΗϹ. ΤΑΞΕΩϹ. ΠΡΟ
ΤΟΜΗ. ΜΑΡΜΑΡΙΝΗ. Η. ΑΝΑΤΕΘΕΙϹΑ
ΕΝ. ΤΩ. ΟΙΚΩ. ΤΩΝ. ΠΑΙΑ
ΝΙϹΤΩΝ. ΤΗ. ΠΡΟ. Α. ΝΩΝΩΝ
ΜΑΙΩΝ. Η. ΕϹΤΙΝ. ΚΑΤΑ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙϹ. ΠΑΧΩΝ. ΙΑ.
ΕΠΙ. ΚΟΥΡΑΤΟΡΟϹ. ΜΕΤΕΙΛΙΟΥ.
ΑΜΠΛΙΑΤΟΥ. ΠΡΕϹΒΥΤΕΡΟΥ.
ϹΕΞΤΩ. ΕΡΟΥΚΙΩ. ΚΛΑΡΩ.
Β. ΓΝΕΩ. ΚΛΑΥΔΙΩ.
ϹΕΒΗΡΩ. ΚΩϹ.

ex hac antiqua inscriptione patet. Sextus Erucius Clarus II. & Cn. Claudius Severus Coss. fuerunt an. Urb. 897. P. I. 4859. quo quidem anno Thoth anni vagi Ægyptiaci incipit XVIII Iulii. Ideoque XI men-

xi mensis Pachon incidit in xxv Martii. At heic confertur cum Prid. Non. Majas. sive vi Maji. Heic ergo mensis Pachon erit fixus, & Actiacus. At si xi. Pachon convenit vi Maji; Ergo primus Pachon conveniet xxvi Aprilis. Ideoque primus Thoth. xxix Augusti. Cur vero hinc inceperint causa fuit, quod Thoth anni vagi, illo anno quo Urbs capta fuit, conveniret xxix Augusti, anni Iuliani vitiosi. Quippe Sacerdotes, ut antea diximus, cum ab Iulio Cæsare traditum acceperant, diem unum quarto quovis anno esse interkalandum: idipsum ita præstarunt, ut post tres absolutos, diem unum quarto anno adjicerent, qui juxta veram rationem, nonnisi post quatuor absolutos, & quinto ineunte addi debebat. Ita ergo factum fuit, ut Thoth anni Nabonazaru DCCXIX. qui in anno Iuliano emendato conveniret xxxi Augusti, incideret in xxix Augusti. Triplex ergo Augusti initium est. Vel enim à morte Iulii, vel à Triumviratu, vel denique ab Interfecto Antonio anni imperii ipsius numerantur. Ultima hac Epocha Ptolomæus in Canone Regum, Clemens Alexandrinus I. Strom. & ante hos Philo lib. de legat. ad Cajum, utuntur. Dio vero Monarchiam ipsius à devicto ad Actium Antonio numerat. lib. LVI. Μοναρχήσας δὲ ἀφ' οὗ πρὸς Ἀκτίῳ ἐνίκησε τέσσαρα καὶ τεσσαράκοντα ἔτη, τρισκαίδεκα ἡμερῶν δέοντα. Decessit Augustus xix Augusti, anno Iuliano 59. vicit ad Actium II Septembris anno Iuliano xv. Imperium ergo tenuit solidos 44. annos minus diebus XIII. Eandem hanc rationem sequitur Suetonius in Octav. num. 8. Festus vero Rufus imperium Augusti à Consulatu ipsius inchoare videtur. *Consules,* inquit, *fuerunt à Iunio Bruto & Poplicola in Pansam & Hirtium, per annos* CCCCLXVII. *Imperatores ab Octaviano Cæsare Augusto,* &c. Ultimos Consulum Pansam, & Hirtium numerat, post hos Imperatorem Augustum Octavianum facit. Sed antiquior his omnibus Iosephus, & Caji temporibus natus, nec minus Romanorum rerum peritus, ab excessu Iulii, Imperium Augusti exorditur. ἐφ' οὗ δὴ καὶ τελευτᾷ Καῖσαρ, δεύτερος μὲν Ῥωμαίων Αὐτοκράτωρ γενόμενος (ἑπτὰ δὲ καὶ πεντήκοντα τῆς ἀρχῆς ἔτη πρὸς οἷς μῆνες ἓξ ἡμέραι δυοῖν πλείονες, τούτου δὲ αὐτῷ τοῦ χρόνου τεσσαρεσκαίδεκα ἔτη συνῆρξεν Ἀντώνιος) βιώσας ἔτη ἑπτὰ καὶ ἑβδομήκοντα. Sed à Iosepho scriptum fuisse existimaverim Π. quod elisa transversali in II. immutatum fuit. In commentariis namque Iudæorum, qui Romæ habitarant, scriptum repererat, Cæsarem quidem Iulium decessisse XXIV. mensis Adar, Augustum vero v. die Elul. Iam vero juxta Canonem Iudaicum, *dies in mense revocat mensem.* (quem Iosephus, sicut alibi, ita heic quoque sequitur.) V. ergo dies ex Mense Adar residui, pro integro mense à Iosepho numeran-

merantur. Atq; sic Augustus, qui v. die Elul decessit, sex menses, Adar nempe, Nisan, Ijar, Sivan, Tamuz & Ab, cum v. diebus, regnavit super annos LVII. Quod & verum est. Cæsar namque anno Iuliano II. P.I.4670. decessit mense Adar, ut nunc diximus: Augustus vero an. P.I.4727. mense Elul. Differentia est annorum solidorum LVII. & tot mensium ac dierum, quot proposuimus. Decessit vero Augustus duobus Sextis, Pompejo nempe & Apulejo, Coss. XIV. Kal. Septemb. in quo omnes scriptores consentiunt: ac statim ipsi in imperio successit Tiberius. Cujus initium insigni charactere notatur. Refert namque Tacitus Annal. I. Pannonicas legiones fine Augusti, & initiis Tiberii auditis tumultuari cœpisse. Ad hos sedendos Drusum Tiberii missum parum aut nihil profecisse. Illi namq; relicto tribunali recesserunt, amicis Cæsaris, militibusque prætorianis manus intentantes. Inter alios vero Cn. Lentulum cum Cæsare digredientem ictu lapidis sauciarunt. *Noctem minacem, & in scelus erupturam fors lenivit. Nam Luna clariore panè cælo visa languescere. Id miles rationis ignarus omen præsentium accepit, ac suis laboribus defectionem sideris assimilans, prospereque cessura qua pergerent, si fulgor & claritudo Dea redderetur...... postquam orta nubes officere visui, creditumque conditam tenebris, sibi aternum laborem portendi lamentantur.* Ex quibus verbis liquet, sub exitum Augusti, & initia Tiberii, Lunam cum mora defecisse, atque deficientem occidisse: Ideoque extrema nocte defectio contigit. Et sane XXXIX diebus post Augusti mortem Septembris XXVIII. hora post med. noct. 4.54, Luna in Pannonia defecit dig. 19.25'. Incepit deficere hora 3'.13 post med. noct. finita vero est Eclipsis hora 6.35. quo Luna occiderat. Manifestum igitur est, Tiberii initium aliunde peti non posse. Decessit vero Tiberius anno Imperii XXIII. C. Acerronio Proculo C. Pontio Nigrino Coss. An. Iul. 82. Urb. C. 788. P.I.4750. XVIII. Kal. Aprilis, ut Tacito cæterisque scriptoribus traditum est. Nunc ad Hasamonæos revertemur.

Cap. XVIII.

Initium Hasmonæorum. Urbis à Pompejo captæ Epocha. Scaliger & Petavius notati. Iosephus explicatus. Initia Herodis duo, quæ demonstrantur. Tota Herodis historia paucis exposita. Initium & finis Archelai & Philippi. Iosephus emendatus & explicatus.

Cum

CUm Antiochus Epiphanes ex Ægypto reverſus, Hieroſolymas occupaſſet, ac ſanctuarium profanaſſet, penituſque religionem Iudaicam exſtirpare conaretur, Matathias Sacerdos ex familia Iojarib, interfecto præfecto Regis populum ad arma & libertatem concitavit. Fuere huic quinque filii paternæ virtutis æmuli, qui à Parente moribundo, ad patriam religionem defendendam excitati, etiam ſtrenue ſe geſſerunt. Interfectis vero binis fratribus, Iuda qui Macabæus appellatus eſt, & Ionathane, Simon tertius frater Pontifex maximus conſtitutus eſt. Hoc imperante *jugum Gentium ablatum fuit ab Iſraelitis anno Græcorum*, ſive Seleucidarum 170. quod juxta 1. lib. Machabæorum, inivit à Niſan anni P. I. 4571. ut Petavio demonſtratum eſt. *Et tum filii Iſrael cœperunt numerare in contractibus ab anno primo Simeonis Pontificis, & Archiſtrategi, & principis Iudæorum.* 1. *Machab.* XIII. v. 41. Atque heîc incipit regnum Haſmonæorum, quod Talmudici Cod. Roshaſana cap. 1. vocant מלכות חסמוני *Regnum principum*, & cod. Sanhedrin cap. כל ישראל vocant illud *Regnum primum*. Tria enim regna, poſt captivitatē Babylonicam numerant, Haſmonæorum, Herodis & Chozibæ. Vere autem Simonem, hoc anno, cœpiſſe, exinde manifeſtum, quod menſe Elul anni 4573. Græc. 172 numeretur tertius Simeonis 1. Maccab. cap. XIV. v. 26. Anno vero Græcorum 177. exeunte menſe Scebath, P. I. 4579 ineunte, Principatus VIII, Simon à Ptolomæo in arce Dog captus eſt, & poſtea interfectus 1. Macc. XVI. Ioſep. Orig. XIII. cap. XIV. Huic ſucceſſit Iohannes Hyrcanus regnans annos XXXI. In libris ἁλώσεως perperam legitur XXXIII. Hujus initium confertur à Ioſepho in annum Olympiad. CLXII. Sed vitium omnino illic eſt. Incipit namque Olympias CLXII. an. P. Iul. 4482. Legendum itaque erit Olympiade CLXI. Atque ſic veriſſima dicet Ioſephus. Hyrcano vero ſucceſſit Ariſtobulus, qui unum annum regnavit. Poſt hunc Alexander hujus filius imperat annos 27, & poſt illum Alexandra annis IX. Atque cum hac Hyrcanus filiorum natu maximus IX annis Pontificatum geſſit, ſicut ex Origin. & Captiv. libris Ioſephi manifeſtum eſt. Et juxta hanc quidem rationem Hyrcanus defuncta matre Pontificatum per ſe adminiſtrare cœpit anno P. I. 4647 ineunte, ſi omnes anni pleni intelligantur. Sed Ioſephus initio lib. XIV. Orig. expreſſis verbis indicat cœpiſſe illū Q. Hortenſio & Q. Metello Cretico Coſſ. Olymp. CLXXVII. an. III. Atq; prædicti quidem Coſſ. conveniunt an. P. I. 4645, cujus æſtate III. annus Olymp. CLXXVII finitus fuit. Manifeſtum ergo eſt, ante æſtatem anni Per. Iul. 4645. Hyrcanum cœpiſſe. Atq; hæc optime cum iis conveniunt, quæ

lib.

lib. XV. cap. IX. postmodum refert Hyrcanum nempe, primò IX annos cum matre regnasse, inde tenuisse principatum annis XL. Interfectus est Hyrcanus, aut finiente 4683. aut ineunte 4684. post Actiacam Cæsaris victoriam, & tamen ante occupatam Ægyptum. Ergo ineunte 4645 omnino solus imperare cœpit. Sed Hyrcanus, post tres menses à fratre pulsus & in ordinem redactus, consilio Antipatri Patris Herodis, ad Aretam Arabum Regem perfugit. A quo copiis adjutus fratrem Hierosolymis obsedit. Sed Scauro Pompeji legato adventante obsidio soluta fuit. Liberatus ergo obsidione Aristobulus, prælio Arabas, fratremque vicit. Inde causa fratrum apud Pompejum disceptata, atque ambo quiescere jussi. Sed Aristobulus, sine venia domum profectus, Pompejum ita offendit, ut statim contra ipsum duceret. Huic occurrens Aristobulus pollicitus est se Hierosolyma una cum pecuniis traditurum. Ad quæ recipienda missus Gabinius, sed ab Aristobuli militibus exclusus infecta re rediit. Tum vero Pompejus, Aristobulo in custodiam dato, contra Urbem propere duxit, eaque tradita arcem oppugnavit, quam demum vi expugnavit. Contigit vero hæc clades M. Tullio Cicerone & M. Antonio Coss. Olymp. CLXXIX. περὶ τρίτον μῆνα, τῆς νηστείας ἡμέρᾳ. Disputant de hoc tempore Scaliger, Petavius & alii, quæruntq; quid sit *tertio mense, die jejunii*. Scaliger heic Tamuz mensem intelligit, ejusque mensis jejunium. Huic Petavius expressa Iosephi verba opponit, qui non quarto, sed tertio mense captam dicit. Sed Iosephus heic non tertium mensem anni, sed tertium obsidionis intelligit, sicut illud expressis verbis indicat lib. I. ἁλώσ. cap. V. ubi hæc eadem historia his verbis describitur: τρίτῳ γὰρ μηνὶ τῆς πολιορκίας μόλις ἕνα τῶν πύργων καταῤῥίψαντες εἰσέπεσον εἰς τὸ ἱερὸν, &c. Frustra ergo de mense anni ex his disputatur. De jejunio vero meliori jure quærendum esset. Describit illud his verbis Iosephus: τῇ νηστείας ἡμέρᾳ, & lib. 14. cap. 28. τῇ ἑορτῇ τῆς νηστείας. Quibus sane verbis, accuratus scriptor aliud jejunium non indicat, quam illud ipsum lege Mosis mandatum, & in suis libris præscriptum. Diem namque hunc apposuit Iosephus, ut cuivis de tempore capti templi certo constaret. At si plura jejunia fuissent, character hic vanus fuisset. Manifestum ergo est Iosephum de unico illo jejunio loqui, quod decimo die mensis Tisri, juxta legem à Iudæis observabatur. Equidem non ignoro plura in Iudæorum Calendariis jejunia præscribi: tum & in specie quatuor jenuniorum mentionem fieri, mensis nempe IV. sive Tamuz, mensis V. sive Ab, mensis VII. sive Tisri, & mensis X. sive Thebeth, de quibus Zachariam locutum fuisse, Iosephus qui-

dam in Hypomnestico his verbis indicat, ubi de jejuniis Iudæorum ita disputat. Νόμιμον μὲν οὖν νηστείαν τὴν ἐν τῷ ἑβδόμῳ μηνὶ δεκάτῃ τοῦ μηνὸς νηστεύειν παρειλήφασιν. Εἰσὶ δὲ καὶ ἄλλαι δ' αὐτοῖς παρειλημμέναι νηστεῖαι καὶ παρὰ τῷ Προφήτῃ Ζαχαρίᾳ μνημονευόμεναι, περὶ ὧν φησι νηστεία ἡ τετάρτη, καὶ νηστεία ἡ πέμπτη, καὶ νηστεία ἡ ἑβδόμη, καὶ νηστεία ἡ δεκάτη ἔσται τῷ οἴκῳ Ἰούδα εἰς χαρὰν καὶ εὐφροσύνην καὶ εἰς ἑορτὰς ἀγαθάς· καὶ ἡ μὲν τοῦ τετάρτου μηνὸς νηστεία ἐστὶν ἐν ᾧ μηνὶ ἡ πόλις ὑπὸ τοῦ Ναβουχοδόνοσορ ἑάλω· ἡ δὲ τοῦ πέμπτου ἐν ᾧ ἐνεπρήσθη ὁ ναός· ἑβδόμη δὲ ἐν ᾧ Γοδολίας ἀνῃρέθη ὑπὸ Ἰσμαήλ. καὶ δεκάτη καθ' ὃν μῆνα τοῖς οὖσιν ἐν Βαβυλῶνι ἀπηγγέλη τὰ γενόμενα ἐν Ἱερουσαλὴμ ἅπαντα κακά Sed ex his quatuor jejuniũ illud non est, cujus Iosephus meminit Hic enim libro VII. belli cap. X. ubi templi eodem die à Tito combusti meminit, quo antea à Nabuchodonosoro incensum fuerat, diem illum minime jejunium appellat. Sed omnem dubitationem eximit apposita vox ἑορτῆς. Neque enim in anno, nisi unum solemne jejunium erat, lege præscriptum. Captum ergo fuit templum à Pompejo, anno P. J. 4651. mensis Tisri X. Septembris XXI. feria secunda. Dion vero, qui Sabbatho captam audiverat, de Sabbatho septimanarum id explicuit, cum dies magnus expiationis, non minus juxta scripturas Sabbathum sit, & vocetur, quam hebdomadum. Atque ex his ea emendanda erunt, quæ priori lib. cap. *de anno Iudaico*, de hac materia disputata sunt. Capta vero urbe Pompejus Pontificem constituit Hyrcanum: Aristobulum vero Romam secum captivum duxit, qui brevi postea clam è custodia elapsus in Iudæam venit novas turbas excitans. Sed à Gabinio captus, Romam rursum transmissus est. Cæterum Hyrcanus principatui administrando ineptus, per Antipatrum, cujus suasu illud assumpserat, omnia gessit. Hic ducta Cypro uxore, illustri, apud Arabas, loco, nata, quatuor ex ea filios suscepit, Phasaelum, Herodem, Iosephum & Pheroram, & unam filiam Salomen. Cæsar vero orto civili bello Aristobulum vinculis solutum in Judæam misit. Sed is veneno à Pompejanis necatus, vivus illuc non pervenit, mortuus vero, ac melle conditus illuc ab Antonio missus est, ut Regum sepulchris inferretur. Bellum vero in Ægypto gerenti Cæsari Antipater multis in rebus usui fuit, pro quibus ille & dynastiam, quam eligere vellet, obtulit, & Iudææ procuratorem constituit. Hic vero partita inter filios administratione, Phasaelum quidem Hierosolymis ac circum jacenti regioni præfecit, Herodem vero Galilææ, admodum juvenem, nec excedentem XXV annum. In Iosepho pessime pro κε'. legitur ιε', ut aliis monstratum est. Post hæc interfecto Cæsare, Cassius interfectorum unus Syriam invasit, magnamque illi pecuniæ summam extorsit. Atque hoc

hoc in Syria agente, Antipater à Malicho, quem magnis beneficiis adfecerat, veneno ſublatus eſt. Sed hoc ſcelus vita poſtmodum luit Malichus juſſu Caſſii interfectus. Devictis vero ad Philippos Caſſio & Bruto, Cæſar in Italiam, Antonius in Aſiam trajecit. In Bithynia vero Iudæorum legati, huic obviam venerunt, de Antipatri, & filiorũ ipſius dominatione querentes. Sed hi ſtatim rejecti ſunt. Poſtea in Cilicia hærenti alii à Iudæis legati adveniunt. Sed illi non tantum nihil pro ſe effecerunt, ſed etiam importuna interpellatione id conſequuti ſunt, ut Herodes tetrarcha conſtitueretur. Δευτέρῳ δ' ἔτει Συρίαν κατέσχον Πακορός τε ὁ βασιλέως παῖς, καὶ Βαρζαφάρνης Σατράπης τῶν Πάρθων. Antiq. 14. cap. 23. Cum his pactus Antigonus, ut ſe in regnũ reducerent, pollicitus eſt mille talenta, & quingentas fœminas. Miſſa ergo à Parthis in Iudæam ala equitum, tam ut omnia illic exploraret, quam ut Antigono operam daret. Interea Antigono plurimi adjuncti ſunt, quibus ille fretus Hieroſolymas perrexit, & regiam oppugnavit. Sed commiſſo in foro prælio Herodes cum ſociis ſuperior fuit, hoſtemq; in templum compulit. Inde vicinis templo ædibus milites impoſuit, qui hoſtem cuſtodirent. Sed hi cum domibus à popluo incenſi perierunt: quam populi injuriam Herodes poſtea ultus eſt, multis interfectis. Cumque quotidianæ inter eos velitationes fierent, hoſtes expectabant conventuras è tota regione turbas ad Pentecoſten. Quæ dies poſtquam illuxit, multa hominum millia templum & urbem occuparunt. Herodes vero in regia obſeſſus, facta in hoſtem irruptione multa millia in fugam egit. Poſtea rogante Antigono Pacorus præfectus alæ equitum, in civitatem, cum quibusdam, intromiſſus eſt: quo ſuadente Hyrcanus, & Phaſaelus pro legatis ad Barzaphernem profecti ſunt, nequicquam diſſuadente Herode, & fidem Barbarorum elevante. Sed hi in vincula conjecti, & Antigono dediti ſunt, quorum unus Phaſaelus hoſtis crudelitatem prævenit, fracto ad ſaxum cranio: alter eandem expertus eſt, mutilatis auribus, ut ſacerdotio ineptus eſſet. Quibus auditis Herodes noctu Hieroſolymis aufugit, ſuoſque in Maſada caſtello depoſuit, diu multumque cum Parthis, Iudæiſque in via conflictatus. Inde in Arabiam iter inſtituit. Sed quum ad fines illius regionis perveniſſet, legatos Arabum obvios habuit, qui finibus ipſum arcebant. Ægre igitur, inde decedens, in Ægyptum perrexit. Inde Romam, nequicquam retinente Cleopatra, & tempus anni (erat enim hyems) & motus Italiæ objiciente. Sed tempeſtate maxima vexatus ægre Rhodum pervenit. Quam civitatem, Caſſii bello afflictam, etiam ſupra vires adjuvit, inſtructaque triremi

& cum amicis conscensa, Romam pervenit, atque illic annitente Antonio, Rex Iudææ à Senatu declaratus est, C. Domitio Albino iterum & C. Asinio Pollione Coss. Sed hoc tempus accuratius ordinandum erit, propter varias controversias. Brutus & Cassius circa Philippos victi sunt anno Juliano IV. P. Jul. 4672. ut omnes scriptores consentiunt. Neque aliter esse poterat. Extremo enim anno Juliano tertio, Triumviri primum cœperunt, ac illius anni residuum, ut & sequentis initium, proscriptionibus & Italiæ rebus constituendis, impenderunt. Inde in Macedoniam duxerunt, devictisque Bruto & Cassio, Antonius statim in Asiam contendit. Atque tum illa gesta sunt, quæ nunc ex Iosepho retulimus. Hunc ergo annum Antonius legationibus in Cilicia audiendis, aliisque rebus impendit; & demum ineunte Juliano V. in Ægyptum perrexit. Interea, inter Cæsarem & L. Antonium Fulviamque bellum in Italia concitatur, in quo L. Antonius Perusiæ obsidetur. Nocte vero quæ antecedit Kal. Ianuarias, L. Antonius ex urbe erumpere conatus, rursum repellitur. Kalendæ hæ Ianuariæ sunt anni Iuliani VI. quo Coss. fuere C. Domitius, & C. Asinius Pollio, quo etiam L. Antonius captus est, testibus Appiano & Dione. Dum hæc in Italia geruntur, Parthi duce Labieno Syriam Ciliciamque invadunt anno secundo, post Brutum & Cassium devictos, adeoque Iuliano 5. exeunte P. Iul. 4673. Antonius vero hisce temporibus in Ægypto hæsit, amoribus Cleopatræ implicitus, nec civili in Italia bello, nec sociorum in Asia cladibus, remedium adhibuit. Ineunte autem vere ex Ægypto in Asiam trajecit, Tyrumque pervenit. Nec tamen ibi quidquam effecit, sed recta in Italiam perrexit, audita prius clade Perusiæ & fratris deditione. Cum vero ita Parthi cæteraq; Asiæ quieti tenerent, aggressus illos Antigonus μετὰ δύο ἔτη *duobus post prælium Philippicum elapsis annis*, (Iosep. ἀλώσ. I. cap. XI.) mille talenta, & quingentas fœminas pollicitus est. Hoc ergo necessatio contigerit anno P. I. 4674. Iuliano 6. paucis hebdomadibus ante Pascha: tum enim primum II annus à prælio Philippico terminari potuerat. Pentecoste ergo, cujus ex Iosepho antea mentionem fecimus, omnino erit anni P. I. 4674. Iuliani 6. Quod & inde confirmatur. Herodes post festum hoc ad regem Arabiæ primum perrexit, & cum illic non reciperetur in Ægyptum tetendit, ut inde Romam pergeret ad Antonium. Antonius vero non ante vêr anni Juliani VI. P. I. 4674. ex Ægypto decessit, ut Dio expressis verbis docet. Si ergo pentecoste cujus Iosephus meminit, fuisset anni Iuliani V, utique Herodes in Ægypto invenisset Antonium, nec opus habuisset

buiſſet Romam ad illum contendere. Id ergo primo omnium manifeſtum eſt, Pentecoſten hanc eſſe anni Juliani VI. Poſt hanc Parthi Phaſaelo perſuadent, ut legatus cum Hyrcano ad Bazaphernem proficiſcatur. Inde de eorum captivitate nuncio accepto, Herodes cum ſuis verſus Maſadam tendit, atque illis ibi depoſitis, in Arabiam. Sed excluſus à Rege in Ægyptum pergit. Quantum temporis poſt Pentecoſten tum effluxerat, expreſſis verbis non indicat. Id ſaltem dicit, Cleopatram Herodem detinere cupientem, hyemem ipſi objeciſſe. Verba ejus ſunt: πεῖσαι μέν τι μένειν αὐτὸν οὐκ ἠδυνήθη εἰς Ῥώμην ἐπειγόμενον χειμῶνος τ' ὄντος, καὶ τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἐν ταραχῇ καὶ σάλῳ πολλῷ δηλουμένων. & lib. I. ἁλώσ. cap. XI. καὶ μήτε τὴν ἀκμὴν τοῦ χειμῶνος ὑποδείσας. Equidem ſcio quoſdam de tempeſtate ac procellis hæc explicare. Sed propter illud æſtate detineri non poterat. Neque enim venti præſertim circa Ægyptum, æſtate ita flant, neque continui ſunt, ut propter illud à navigando abſtineret. Hyems ergo heic intelligitur. Dividunt vero auctores annum in duas partes, æſtatem & hyemem, ſive θέρος καὶ χειμῶνα. θέρος continet ver & æſtatem in ſpecie dictam. χειμὼν autumnum & hyemem. Menſe ergo Marcheſvan, ac poſt jejunium, (poſt quod periculoſa admodum navigatio erat, Actor XXVII,) Herodes ex Ægypto ſolviſſe videtur, atque demum exeunte Marcheſvan Rhodum venit. Illic tamdiu manſit uſquedum triremem maximam ædificaſſet. Atque tum Romam cum amicis abiit, ineunte menſe Thebeth. Sed repugnare his videntur Ioſephi verba. Dicit enim Regem factum eſſe Herodem Olympiade CLXXXIV. Anno vero Juliano VI. æſtate Olympias 185 acta fuit. Ergo ante æſtatem anni illius Herodes rex declaratus eſt. Sed Pentecoſte incidit in VII menſis Sivan. Olympicus agon, vel XV Tamuz, vel XV Ab convenire debebat. Differentia XXXVIII. aut LXVII dierum. Quibus ea omnia quæ apud Ioſephum recenſentur, expediri minime poterant. Sed maximè me movet vox χειμῶνος. Locum ergo Ioſephi, quod attinet, dici poſſet illum corruptum eſſe. Et ſane plurima in Ioſepho vitioſa ſunt, quod illis notum eſt, qui aliquam huic ſcriptori operam impenderunt. Sed ſatis vera loquitur Ioſephus. Neque enim Olympias debito tempore acta fuit, quod ex ipſomet Ioſepho colligitur. Lib. namque ἁλώσ. I, ubi de Herodis magnificentia in exteros diſſerit, hęc inter alia habet: τὸ δὲ Ἠλείοις χαρισθὲν οὐ μόνον κοινὸν τῆς Ἑλλάδος, ἀλλ' ὅλης τῆς οἰκουμένης δῶρον, εἰς ἣν ἡ δόξα τῶν ἐν Ὀλυμπίασιν ἀγώνων διικνεῖται. τούτους γὰρ δὴ καταλυομένους ἀπορίᾳ τῶν χρημάτων ὁρῶν, οὐ μόνον ἀγωνοθέτης ἧς ἐπέτυχε πενταετηρίδος εἰς Ῥώμην παραπλέων ἐγένετο. &c. Cum ergo bello civili Macedonico

res Græciæ ita attritæ erant, ut Olympica celebrare non possent: ludicrum, quod æstate celebrari debebat, plane omissum fuit. Atque hoc est, quod dicit ἀγῶνας καταλυομένους ἀπορίᾳ τῶν χρημάτων. Neque enim de aliis ludicris hoc intelligi debet, nisi de hujus anni. Priorum enim annorum rite peracta fuerant. Cum ergo mense Marchesvan ineunte, Rhodum, uti diximus, Herodes venisset, atque eam civitatem pro sua facultate juvisset, eaque re insignem erga Græciam affectum declarasset; etiam ipsi indicatum fuit, solemne totius Græciæ ludicrum isto anno propter penuriam pecuniæ celebratum non fuisse. Is ergo mandavit, ut solemni aliis ludis ritu agonistas tum invitarent; se enim sumptus facturum. Interea, dum illi ad certamen invitant, Romam profectus, Regnum obtinuit. Adeoque Olympias CLXXXV. non prius acta fuit, quam Herodes Rex à Senatu declaratus esset. Exeunte ergo anno P. Julianæ VI, Domitio Calvino & Asinio Pollione Coss. P. Jul. 4674. Herodes à Senatu Rex Iudææ factus est, ac statim septimo die, postquam in Italiam venerat, rursum ab Antonio dimissus ad suos perrexit, quos castello Massada inclusos Antigonus oppugnavit. Sed his ex obsidione liberatis contra Hierusolymas duxit, illic tamen ob Silonis fraudem nihil efficere potuit. Dimissis ergo in hyberna militibus Romanis, ipse in Galilæam duxit, ac Sephorim occupavit. Inde quadragesimo die, latrones quosdam expugnavit, totamque Galilæam in suas partes perduxit. Interea Silo ad eum reversus fuerat, Antigono nolente post unum mensem eos alere. Atque his de commeatu Pheroras prospexit. Vere autem anni VII. Iuliani, Antonius Athenis venerat, unde Ventidio mandata, de Herode reducendo miserat, qui Siloni perscripsit, ut primo Herodē in Regnum restitueret, inde ad se veniret. Sed is ab Herode dimissus statim abiit. Interea contra latrones in speluncis degentes, Herodes duxit, atq;, his devictis, contra Antigonum; cum quo antequam confligeret, ad Galilæorum perfidiam vindicandam regressus est. Interea Pacoro interfecto Parthisque profligatis, Ventidius Machæram cum duabus legionibus & mille equitibus Herodi mittit; qui pecunia ab Antigono corruptus, ad res ipsius inspiciendas invito Herode perrexit. Sed exclusus, ac propter illud ira accensus, tam Antigonianos, quam Herodianos, quos in reditu ad Herodem obvios habuit, interfecit. Qua re Rex admodum offensus ad Antonium perrexit, Machæram accusaturus. Sed multis ipsius precibus victus, ac ipsi reconciliatus, ad Antonium quidem perrexit, fratri vero Iosepho bellum contra Antigonum cum Machæra gerendum commisit, admonito

nito ne rem totam in discrimen adduceret. Hic vero præceptorum fratris immemor circa Hiericuntem fruges demetere (vere anni VIII Iuliani) conatus, ab hostibus circumventus & cæsus est. Herodes vero, ubi ad Antonium venisset, ipsique in expugnandis Samosatis operam locasset, tandem extrema æstate in Iudæam revertitur, duas secum legiones adducens, sibi à Sosio traditas. Ubi vero ad Daphnem Antiochiæ venerat,& fratrem cecidisse,& multa in Iudæa novata esse audivit. Assumpta ergo una legione, quam maxime potuit, in Galilæam festinavit: castellumque quoddam adortus, vi repentinæ tempestatis coactus est exercitum in vicos proximos deducere. Adveniente vero altera legione: territi qui castellum tenebant fuga salutem quæsivere. Inde Hirichuntem properavit, Fratris mortem ulcisci volens. Victis demum ac porfligatis omnibus Antigoni exercitibus, contra Hierosolyma primariam belli sedem duxit, λήξαντος τοῦ χειμῶνος. hoc est ineunte vere, mense Nisan. Illic fixis ante templum tentoriis, tres aggeres ducere instituit. Demandata vero harum rerum cura amicis, ipse in Samariam ad nuptias perrexit. Quibus peractis Sosius per Phœnicem venit, adducens secum ingentem exercitum. Atq; sic Hierosolyma ab utroque obsessa sunt. Cives vero egregie se defendebant, tantoque exercitu circumsepti vix quinto demum mense capti sunt, lib. I. ἁλώσ. cap. XIII. Quadragesimo vero die obsidionis primus murus urbis occupatus est, quindecim vero dies postea, secundus. Atque ita bini menses transiverant. Inde templum obsessum fuit: quod tertio inde mense una cum superiore urbe capitur, quinto vero à prima Urbis obsidione, septimo vero mense anni, decimo nempe die Tisri, die Iejunii, eodem die quo antea à Pompejo capta fuerat. Anno Iulia. IX. quo Coss. fuerunt M. Agrippa,& Canidius Gallus, ut Iosepho Orig. XIV. cap. 28. traditum est. Aliorum heîc opiniones refutare, animus non est: nec si esset scripti angustia id pati posset. Duplex ergo Herodis initium est, unum ab illo tempore dependet, quo Rex à Romanis salutatus est, exeunte nempe anno Per. Jul. 4674. Juliano VI. alterum ab eo, quo devicto Antigono Hierosolymas occupavit. X. mensis Tisri anni Julian. IX. P.J. 4677. Utraque Epocha Iosephus utitur. Alibi enim templum conditum fuisse refert XVIII anno, alibi XV. ubi XVIII. numeratur à prima Epocha, XV. à secunda. Scio quosdam esse, qui Iosephum heîc falsi arguant, velintque annos XVIII. à posteriori Epocha numerari. Adducunt pro se scripturas. Quippe Iohan. II. v. 20. Iudæi dicunt templum ædificatum fuisse 46 annis. Dicebant vero hoc Iudæi primo

anno

anno ministerii Christi P.J. 4742. At ab hoc tempore 46 anni, retro numerati inciduntin 4696. XVIII Herodis. Verum anno 4695, mense Tisri, 18 Herodis terminatus fuerat: ideoque nec calculus convenit. Sed ex Iudæorum verbis nihil tale concluditur, quale volunt. Neque enim Iudæi dicunt 46 annos effluxisse, ex quo Herodes templum hoc ædificaverit, sed 46 annos ædificationi templi insumptos fuisse. Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς οὗτος. Quod, si de ultimo hoc templo ab Herode ædificato dixerit, splendide mentiti sunt. Iosephus enim Ant. XV. cap. ult. tradit, reliqua quidem ædificia, quæ extra templum erant, & ad templum pertinebant, ut porticus ac reliqua, annis VIII. ab Herode perfecta fuisse; ipsum vero templum, sesquianno. Sed Iudæi nonnisi duo templa cognita habent, primum à Salomone ædificatum, quod in captivitate Babylonica periit, alterum post captivitatem, quod à Tito combustum fuit. Et quamvis illud, quod à Zerubabele ædificatum erat, ab Herode destructum sit, ita ut novum illud ab Herode exstructum, jure tertium appellari posset: tamen utrumque pro eodem templo habent. Itaque non de templo hoc, quatenus ab Herode ædificatum fuerat, Iudæi loquuntur; sed quatenus interruptis sæpe operibus ab iis demum perfectum fuit, qui sub Persarum Regum imperio, Babylone Hierusolymas venerant. Sed dicunt Iudæorum verba ita explicanda esse, quasi in templi hujus ædificatione, solidos quadraginta sex annos laboratum fuisset, nec tamen opus ad finem perductum. At Iosephus dicit, non porticus modo omnes, omniaq;, quæ extra templum erant, verum ipsum quoque templum ab Herode perfectum fuisse. At inquiunt; Idem Iosephus libro XX. narrat, Neronis primum temporibus opus istud templi extremam manum habuisse. Verba ipsius cap. VIII. hæc sunt. ἤδη καὶ τότε τὸ ἱερὸν ἐτετέλεστο. Sed lib. XV. hic idem Iosephus indicat, quid Neronis tempore completum fuerit. Refert namque, templum à Salomone ædificatum viginti cubitis altius fuisse, illo quod post captivitatem ædificatum fuit. Viginti hos cubitos Herodes addidit. Sed subsidentibus fundamentis viginti illi cubitus, rursum latitudini decesserunt; quos Nerone imperante Iudæi addere decreverunt. Atque his XX cubitis temporibus Neronis additis, templum rursum perfectum fuit. vid. cap. ς'. lib. VI. ἁλώσ. Manet ergo in his Iosepho sua fides integra. Sic ergo alibi primam, alibi secundam Epocham sequitur. Vixit vero Herodes annos 70. Imperavit, ab eo quidem tempore, quo à Romanis Rex salutatus est, annos XXXVII. ex quo vero Hierusulyma occupavit annos XXXIV. Iosephus Antiq. XVII. cap. X. & ἁλώσ.

ἁλώσ. I.cap.ult.ad finem. Decessit vero paulo ante Pascha. Obitus ergo ipsius necessario incidit in annum Iulianum 44. P.J. 4712. Sed extrema illius tempora accuratius examinanda sunt, eo quod magna de his controversia sit. Antipater Herodis filius posteaquam fratres Mariamme genitos, Parentis quidem manibus, sed pessimis suis consiliis interfecerat, ipsi quoq; Parenti manus inferre cogitavit. Sed dū Romæ apud Cæsarem hæret, Patri omnia ejus consilia innotuerunt. Reversum ergo Herodes in vincula conjicit, ac postmodum coram Varo præside Syriæ accusat. Interea Herodes in maximum morbum incidit, qui indies partim dolore, partim senectute augebatur. Eo ægrotante Doctores quidam legis populum ad seditionem concitant, quorum suasu juvenes quidam aquilam auream imminentem portæ templi dejecerunt. Excitus ergo Herodes ac vehementer commotus, populo ingratitudinem objicit. His vero se excusantibus, & ut sontes plecteret rogantibus, duos illos legis Doctores igni cremavit. Eadem nocte luna obscurata fuit: ϗ ἡ σελήνη δὴ τῇ αὐτῇ νυκτὶ ἐξέλειπεν. Orig.XVII.Cap.VIII. His perfectis, Herodes, aucto morbo, apud Callirrhioën aquis calidis utebatur. Demissusque in solium plenum oleo calido ita corpore dissolutus est, ut oculos quasi mortuus torqueret. Clamore vero medicorum excitatus desperata salute Hierichunta profectus est. Ibi aucto indies malo se ipsum tollere decrevit: sed ab Achiabo præventus, necem Antipatro statim inferri jussit, eo quod is, audito in vinculis ululatu, ratus parentem decessisse, cum custode carceris de liberatione egisset. Quinto autem die, post interfectum Antipatrum, & ipse obiit: testamento antea mutato, & Archelao successore designato. Atque hic quam magnifice Patrem sepeliri curavit. Lectica namque elatus est aurea distincta variis gemmis, & instrata purpura. Corpus purpura amictum corona capiti imposita. Lecticam stipabant filii & cognati. Hos sequebantur milites per ordines distributi. Atque ea pompa processit Herodium usque ducentis illinc stadiis distans. Quovis autem die octo stadia perrexit, ut ex collatione lib.XVII. Orig. & I. Capt. patet. XXV. ergo dies hæc pompa duravit. Inde reversus Ierosolyma Archelaus, septem dies, juxta patriam legem, luctui parentis insumpsit: & in fine luctus, funebri epulo plebi exhibito, in templum ascendit. Ibi plebem quam benignissime allocutus, sacrificio peracto rursum decessit. Magnus interea tumultus oritur, propter interfectos ab Herode legis doctores: quos lenibus verbis sedare conatus Archelaus magis irritat. Ac demum aucto propter Paschatis festivitatem numero, tribu-

 nūm

num ad se missum repulerunt. Quo facto Archelaus concitatus tria millia ex iis interfecit. Ex quibus manifestum est, Herodem 40. aut ad minimum 33. diebus ante Pascha decessisse. Ideoque vel mense Scebath exeunte, vel Adar ineunte. Anno vero Iuliano 43 exeunte, finiebatur 37. annus ex quo Rex à Romanis salutatus erat. Mense vero Tisri annus 34. ex quo Hierosolyma occupavit. Si ergo anni pleni intelligantur, decesserit Herodes anno Juliano 44, dies 33 ad minimum ante Pascha: sin pleni non erunt, anno Juliano 43. Iuxta priorem rationem regnaverit annos 37. & menses duos, aut tres ad summum, juxta alteram annos saltem 36. & menses duos. Sed Iosephus de plenis annis loquitur. Decessit ergo anno Juliano 44. Sed opponit se huic sententiæ Petavius, & ante eum Keplerus: qui omnem movet lapidem, ut demonstrare possit, Herodem 42 Juliano ante Pascha decessisse. Primum argumentum ex Eclipsi desumitur, quæ brevi ante mortem Herodis ab Iosepho contigisse dicitur. Contigit autem illa anno Juliano 42. P. 4710. XII Martii, hora post med. noctem 2. Hierosolymis. Sed non ad Eclipsin quandam tempora vi applicanda sunt, sed potius ad tempora Eclipsis. At dicunt historiæ rationem illud poscere. Archelaus enim, qui Patri in imperio successit, in Galliam relegatus est, anno Juliano 51, Imperii X ineunte: testibus Iosepho & Dione. Etiam Philippus XX Tiberii anno mortuus est, 37 sui Principatus. XX annus Tiberii convenit anno Juliano 79. Si à 51 9. solidi cum parte 10. & à 78. 37 auferantur, remanet 42 Iulianus cujus initio Herodes decesserit. Verũ & alio argumento id ipsum patet. Philippus namque tetrarchiam adeptus in honorem Juliæ Augusti filiæ civitatem ædificavit. At illa relegata est anno 44 Juliano, cum summa Augusti indignatione. Ergo ante annum 44. Philippus tetrarchiam assumpsit. Ad Iosephi calculum respondent, ipsum non annorum, sed Consulatuum habere rationem, ac tot annos numerare, quot Consulatus. Sed ultimum hoc plane falsum est. Probari illud quidem debebat, si alias fidem mereri vellet: quod nequicquam conatur Keplerus, & ex eo Petavius. Præcipuum argumentum ex hoc loco deducitur, de quo controvertitur. Sed ista argumentatio est vitiosa. Adducit tamen unum Iosephi locum, in quo id factum arbitratur. Exstat is lib. XIV. cap. ult. καὶ γὰρ ὑπ' ἐκείνων τῇ αὐτῇ ἑάλωσαν ἡμέρᾳ μετὰ ἔτη κζ΄. Dicit Urbem captam fuisse eadem die, qua à Pompejo capta fuerat, ante annos 27. Sed ut recte Scaliger observat, Idiotismus est scriptoribus usurpatus, quo annus inchoatus, pro completo numeratur. Et sane eodem die Iejunii, 27 annus captæ urbis incepit: Ideoque Iosephus,

ſephus, qui eundem diem nominaverat, annum cui iſte dies convenerat nominare debebat. Non ergo *26*. heic ponere poterat, ſed omnino 27. Nihil ergo à Ioſepho peccatum: multo minus figmentum illud de Conſulibus heic locum habet. Id enim ex aliis Ioſephi locis manifeſte refellitur. Lib. xv. cap. XIII. ἤδη δ' αὐτοῦ τῆς βασιλείας ιζ' παρεληλυθότος ἔτους Καῖσαρ εἰς Συρίαν ἀφίκετο. Lib. vero I. belli cap. xv. refert, quomodo Cæſar ex Ægypto poſt devictos Antonium & Cleopatram in Syria reverſus, varias provincias Herodis imperio adjecerit, ac decimo poſt anno rurſus in Syriam reverſus, procuratoribus præceperit, ne quid inconſulto Herode in provincia facerent. Dio hanc Auguſti profectionem confert in annum Iulianum XXVI. Urb. 734. quo Coſſ. fuere M. Apuleius Nepos, P. Silius Nerva. Anno namque XXIV. refert Auguſtum in Siciliam profectum fuiſſe animo abeundi in Syriam, ibique hybernaſſe. Vere anni 25. in Samum profectus eſt, atque illic etiam hybernavit. Vere incunte anni 26. in Syriam perrexit, atque inde Romam reverſus eſt, ac eodem anno in Samum, ubi rurſum hybernavit. Et hoc quoque optime cum Ioſepho convenit. Extremo enim anno Juliano XVI. Auguſtus in Syriam reverſus eſt, devictis Antonio & Cleopatra. Decimus ergo annus poſt hoc tempus incipit exeunte XXV anno Juliano, & finitur exeunte XXVI. Optime ergo Ioſephus & Dion conveniunt, ſecus quam ſentit Keplerus, qui Dionem heic falſitatis arguere non dubitat, eo quod cum ipſius hypotheſi convenire non poſſit. Numerat vero Ioſephus annum hunc XVII Herodis, nimirum poſteriorem Epocham ſecutus. At heic ſane XVIII. Coſſ. paria ſunt, adeoq; ſic, juxta illos non XVII, ſed XVIII anni numerari debebant, ſiquidem Ioſephus non ipſos annos, ſed Conſulum paria numeraſſe, quod Keplerius contendit. Si enim à Kal. Ianuariis anni IX Juliani poſterior Epocha dependeret, eo quod captivitas Ieroſolymorum in iſtum annum incidit: utique hic annus non XVII eſſet, ſed XVIII. Manifeſtum ergo eſt, Ioſephum non à Kal. Ianuariis, ſed ab illo die, quo Urbs capta fuit, annos ſuos incipere. Ac juxta hanc rationem annus XVII Herodis terminatur autumno anni XXVI Juliani, adeoque labente XVII. Herodis, Auguſtus in Syria erat, omnibus modis, ut à Ioſepho & Dione traditum eſt. Iſta ergo de Coſſ. explicatio locum heic minime habet. Neque ullum ex Ioſepho exemplum adduci poteſt, quo hæc defendatur. Si ergo Anno Juliano 42 ante Paſcha Herodes deceſſit, imperavit annos, juxta priorem Epocham, 35, & menſes duos, aut 3. juxta poſteriorem vero annos 32. & menſ. 5. Imo ne Eclipſis quidem hæc, quæ adducitur,

 ullo

ullo modo convenire potest. Contigit enim illa plenilunio mensis Adar, adeoq; triginta dies ante Pascha. Hoc enim incidit in XI Aprilis, primum nempe Plenilunium post Æquinoctium vernum. At Herodes ad minimum 33 diebus mortuus erat ante Pascha, ut antea demonstravimus. Ergo juxta hanc rationem tres dies decesserat ante Eclipsin, & triduo, imo & ultra post obitum suum, ex inferno cum Polydoro Euripidis reversus, alios eo secum deportat, quos, ne vivi aut insepulti ἄδου πύλας subeant, comburi jubet, eadem opera & mortẽ illis, & sepulturam procurans. Sed jocamur. Manifestum est, neq; locum Iosephi explicationem istam admittere, neq; Eclipsin anni 42 Juliani huc pertinere. Priora ergo explicanda sunt. De Archelao non ipse sibi consentit Iosephus. Libro enim Antiq. XVII. cap. ult. decimo principatus anno ipsum relegatum ait. Idque ipsi prædixisse Simonem quendam Essæum, qui somnum ipsius explicuit, quo somniaverat vidisse se decem spicas tritico plenas à bobus comedi, quod ille de mutatione in deterius exposuit, per boves miseriam, per spicas annos indicari asserens. Libro secundo *de bello*, nono principatus anno, pulsum ait cum novem spicas vidisset. Conantur hæc ita explicare viri docti, quasi finiente nono, & ineunte decimo id contigisset. Sed ergone etiam decima spica incipiebat? At libro Antiq. refert Archelaum X spicas triticeas plenas vidisse: lib. vero II. belli, novem. Ridiculum est ista ita explicare velle. Nam si heic anni pars pro anno posita erit, & spicæ pars in somnio pro spica visa fuerit. Memoria lapsus est Iosephus. nam etiam de ipso valet; *Quandoquidẽ bonus interdũ dormitat Homerus*. Nos ἀκλόπως libros sequimur. Numerat vero Iosephus, sicut aliorum Regum annos, ita etiam Archelai, à prioris Regis obitu. Tum enim Rex, testamento Patris erat: nam à Cæsare solùm confirmatus est. Anno ergo Juliano 52. mense Scebath, IX Archelai annus incepit. Statim vero post Pascha à Cæsare accersitus, & relegatus est. Dionis testimonium quod attinet, dici posset, ipsum, sicut in nomine, ita & in anno errasse. Sed non illo opus est. Extremo anno 51 accusatus Romæ fuit, & tunc statim decretum ab Augusto illum relegandum esse. Ab hoc ergo tempore numerat Dion. Ita ergo hæc ordinanda erunt. Iudæi extremo anno Juliano 51 accusant Archelaum apud Cæsarem, qui procuratori illius ad se accersito Vade, inquit, & adduc illum. Dum ita ille in Iudæam iter meditatur, Cæsar de Præside illuc mittendo statim cogitat, qui pecuniam Archelai in publicum fiscum inferat, & censum agat. Satis enim ingenium Iudæorum ad tumultus & rapinas nimis pronum noverat.

Qui-

Quirinium ergo statim illuc mittit, cujus in eadem provincia fidem in simili negocio, sub persona procuratoris, antea expertus erat. Archelaus ergo, adveniente sub veris initium procuratore, ad iter se expedit: adeoque ineunte anno Juliano 52. principatus IX, Regnum reliquit; quo nunquam reversus est. Quirinius vero statim post Archelai abitum in Syriam, Iudæamque veniens, & bona Archelai in fiscum Romanorum intulit, & censum egit. Hæc exeunte an. XXXVII. à victoria Actiaca contigere (Antiq. XVIII. cap. III.) qui quidem annus terminatur 52 Juliano, Septembris II. Omnia ergo optime conveniunt. Locum de Philippi annis corruptum esse, observavit Scaliger. Nec antiquum mendum est; neque enim à Ruffino agnoscitur, qui cætera fere omnia æque vitiosa habet, uti nunc leguntur. Heic vero pro XX Tiberii legit XXII. quod & verum esse ex Iosepho ipso patet. Lib. namque Orig. XVIII. Cap. VI. narrat Vitellii in Syriam adventum, literasque à Tiberio ad eum missas, de pace cum Artabano Parthorum Rege facienda. Post ea scribit: τότε δὴ καὶ Φίλιππος (Ἡρώδου δ᾽ ἦν ἀδελφὸς) τελευτᾷ τὸν βίον. Vitellii Consulatus, quem cum Paulo Fabio Persico gessit, incidit in annum Julianum 79. Sequenti anno *C. Cestio M. Servilio Coss. nobiles Parthi in Vrbem venere, Phrahatem regis Phrahatis filium Roma poscentes. Cupitum id Tiberio: ornat Phrahaten accingitque paternum ad fastigium. Sed hic apud Syriam, dum omisso cultu Romano, cui per tot annos insueverat, instituta Parthorum sumit, patriis moribus impar, morte absumptus est. Sed non Tiberius omisit incepta, Tiridaten sanguinis ejusdem æmulum Artabano, recuperandæque Armeniæ Hiberum Mithridatem deligit: & cunctis quæ apud Orientem parabantur L. Vitellium præfecit.* Tacitus Annal. XI. Ita ergo Vitellius in Syriam venerit, exeunte anno Juliano 80. Anno vero 81. Paschate cum Hierosolymis esset, literas Tiberii de pace cum Artabano facienda accipit. Post hoc tempus decessit Philippus, ut ex Iosepho patet, Ideoque anno XXII. Tiberii, qui inceperat à XIV. Kal. Septembris anni 80. Philippi vero 37 annus expletus est ineunte anno 81. Adeoque solidos 37 regnavit & præterea menses quosdam. Iuliæ relegationem quod attinet, de ea ita se res habet. Juliæ turpia facta anno Juliano 44 exeunte, Cæsare Augusto, & Caninio Gallo, (qui Plantio Sylvano suffectus erat,) Coss., Augusto indicata, & ab ipso in senatu proposita. Exeunte ergo 44 accusata est, & ineunte 45. in exilium deportata. Breve ab hoc intercesserat spacium, cum C. Cæsar in Syriam missus, convento prius Tiberio, cum rege Parthorum coiit. Patercul. lib. 2. Anno ergo 45 ineunte Cajus in Syriam missus

 est,

est, atque ibi mansit usque ad annum 50. quo obiit XVIII menses post obitum Lucii fratris. Philippus ergo, qui statim post Pentecosten anni 44 in Iudæam reversus fuerat, unam in honorem Liviæ, alteram in honorem Iuliæ, (quæ adhuc florebat,) civitatem condidit; auditoque infortunio Juliæ anno 45. ineunte, nomen urbis mutare non ausus est, ne illius fortunæ insultare videretur, cujus filius in Syria potens esset. Atque ita omnibus ipsorum argumentis abunde satis factum est. Unde manifestum fit, Herodem anno 42 non decessisse. Scaliger 45 annum Iulianum ipsius morti tribuit, etiam Eclipsi Lunæ motus, quæ contigit IX Ianuarii, anno Iuliano 45. Hanc duplici de causa rejecit Keplerus: prima quod non longe satis ante Pascha incidat: altera quod plane non modo Iosephi, sed etiam aliorum scriptorum sententias evertat. Sed prior causa vanissima est. Unde enim probat Keplerus, proximo ante Pascha plenilunio illam Lunæ Eclipsin, cujus Iosephus meminit, contigisse? Nos demonstravimus, Herodem ad minimum 33 diebus ante Pascha obiisse. Quippe expressis verbis dicit Iosephus, pompam illam funebrem per 200. stadia fuisse observatam: ἁλώσεως lib. 1. ad finem, pompam funebrem his verbis concludit: ςαδίους δ' ἐκομίσθη τὸ σῶμα διακοσίους εἰς Ἡρώδιον ὅπου κατὰ τὰς ἐντολὰς ἐτάφη. At ducenta stadia uno die conficere non poterant, præsertim ubi pompæ solemnitas observanda erat. Imo Iosephus Orig. XVII. cap. X. satis indicat, quovis die nonnisi octo stadia progressos fuisse: ubi his verbis historiam pompæ funebris concludit: ἤεσαν δ' ἐπὶ Ἡρωδείου ςάδια ὀκτώ. Quamvis enim expressis verbis non dicat *quovis die*: tamen illud exinde sequitur, quod uno loco dicat pompam per ducenta stadia continuatam fuisse, altero per octo; quæ aliter explicari nequeunt, nisi ut dicatur uno in loco totam viam descripsisse, altero cujusvis diei. Nec commode plus uno die, quam octo stadia absolvere poterant, tantæ solemnitati intenti, diebus brevioribus & viis propter hyemem difficilibus. Pompa ergo per 200 stadia continuata fuit. Quovis vero die nonnisi octo stadia progressi sunt. Divide 200 per 8, habebis 25. quibus funebris pompa duravit. Adde septem dies, qui luctui Parentis, juxta legem dati sunt, habebis dies 33. Ergo proximo ante Pascha plenilunio, Eclipsis illa non contigit, cujus Iosephus meminit. Imo si omnia temporum momenta exacte consideres, longe majus spacium reperies. Quot enim dies tantæ pompæ præparationi impensos credis? An uno aut altero die id fieri potuisse arbitraris? Sed & dies unus aut alter itineri, ac reversioni Archelai à Castello Massada versus Hierosolyma,

tribu-

tribuendus erit. Dentur vero & præparationi, & reversioni dies octo, jam quadraginta dies habebis. Sed neque tum Pascha erat, cum populus primum contra Archelaum tumultuari cœpit. Exspectabant namque seditiosi affluentem ad Paschatis solemnitatem multitudinem. At sex aut octo dies ante Pascha, maxima multitudo Hierosolymis convenerat, sicut ex historia Evangelica & Iosepho demonstratur. Ergo & hoc tempus pluribus diebus Pascha antecesserit. Et quid si diebus decem aut 15? habebis quidem ita dies 50 aut 55. quot Herodes ante Pascha decessit. Adeoque nec priori plenilunio Eclipsis ea contigit, de qua Iosephus loquitur. Contigit ergo tertio ante Pascha plenilunio, adeoque satis bene, imo optime, cum 9 Ianuariii conveniret. Sed historica ratio obstat, quo minus Scaligeri sententia admitti possit. Namque si hoc admittendum erit, utique non 37 annos, sed solidos 38. cum parte 39. Herodes regnaverit. Archelaus vero, nonnisi septem cum mensibus quibusdam. Quæ omnia Iosepho contraria sunt. Sed non dicit Iosephus, Eclipsin ea nocte in Iudæa, aut Hierosolymis visam fuisse, (tum enim superstitiosa plebs etiam hinc argumentum impietatis Herodis duxisset) sed tantum, Eclipsin ea nocte contigisse. Ubi vero visa sit, illud non indicat. Quippe maximam eorum partem, quæ de Herode prodidit ex Nicolao Damasceno descripsit, à quo hunc characterem deprompsit. Is enim cum notasset, morbum Herodis, post Sophistarum mortem, aggravatum esse, ita, ut qui antea cum mœrore ac senio, indeque natis malis conflictaverat, tunc horrendis illis symptomatibus, quæ Iosephus describit, vexaretur, unaque subjunxisset, vulgus id pœnam Numinis, ipsi, ob interfectos Sophistas, inflictam credidisse: rejecta vana ipsorum opinione, aliam ex ipsa natura depromptam proposuit, Eclipsin nempe Lunæ eadem nocte factam, quæ quidem non illic solùm ubi visa est, sed etiam alibi, præsertim in vicinis locis, vires exserebat. Contigit vero Eclipsis Lunæ Anno 44 Juliano, Ianuarii xx. cujus finis Arbelis visus est, ac in locis orientalibus medium, sicuti ex calculo patet. Defecit vero Luna dig. 7. 33′. Incepit deficere Arbelis hora post merid. 4. 8′. finita est 5 8′. quadrante fere hora post Solis occasum. Ideoque commode illic propter refractionem 33′. scrup. visa fuit. Atque huic Eclipsi, quam eodem tempore contigisse Nicolaus ab Assyriis audiverat, effecta illa graviaq; symptomata, quæ Herodi contigerunt, tribuit. Ita ergo hæc ordinanda erunt. Combustis xx Ianuarii Sophistis Plenilunio Scebath, (annus enim hic est intercalaris) Herodes gravius laborare cœpit. Auctoque indies malo ad ca-

ad calidas apud Callirrhoen aquas deducitur. Sed cum nec illæ juvarent, Medicorum consilio in oleum calidum dimissus fuit. Et cum novissima sibi impendere animadverteret, regressus apud Hierichuntem consedit. Ibique sanguinarium illud decretum de captivis interficiendis dedit. Illic moranti nuncii Roma adveniunt, Acmes supplicium referentes, liberamque ipsi potestatem permittentes, de filio statuendi. His primo lætatus, brevi tamen rursum morbi malo victus, se ipsum tollere voluit. Atque tum statim Antipater interfectus est. Quinto vero die postea ipse moritur, exeunte, ut patet, mense Adar. Toto enim Adar secundo, pompa funebris duravit. Hæc ideo eo diductius explicanda erant, quod quæ nunc à nobis pertractanda sunt, hinc dependeant, nec sine his explicari aut demonstrari possint.

Excessit ergo Herodes anno Juliano XLIV. Per. Jul. 4712. circa plenilunium mensis Adar prioris, quod isto anno incidit in Februarii XIX.

LIBRI

LIBRI SECUNDI

PARS ALTERA.

Caput I.

Prooemium. De loco Matthaei 12.v.40. aliisque disputatio.

Hactenus ea pertractavimus, quæ ad antiquorum temporum rationem maxime spectant, quæque iis cognitu necessaria sunt, qui annorum Christi rationem certo cognitam ac demonstratam habere velint: nunc parte hac altera libri secundi, vel si mavis libro hoc tertio, conclusiones earum propositionum, quæ in prioribus demonstratæ sunt, colligemus; & quomodo inde dependeant, ac certo demonstrari debeant, exponemus. Duo vero imprimis sunt, quæ quærimus, verum Nativitatis, & verum tempus passionis Domini & Servatoris nostri Iesu Christi. Utrumque ex scripturis erui debet. Ea namque certissimas, & humana auctoritate longe majores demonstrationes suppeditat. Artis maximæ illud est eas eruere. Nec tam humana, illud, solertia, quam singulari quodam divini Numinis beneficio, ac munere, consequimur, sine quo omnis noster labor vanus est ac inutilis. Precibus ergo votisque, si alias unquam, nunc opus est. Tu, sanctissima veritas, quæ in luce habitas inaccessibili, mentem illustra, ac veritatis semitam monstra, nosque perpetim in ea duc, ut eandem semper cognoscamus, sequamurque. Commune jam multis ignorantiæ perfugium est, scripturam sacram in temporum ratione nihil accurati habere. Quod, si quis de profano quodam scriptore temere protulisset, omnium fere hominum iram ac odium incurrisset. Nunc cum de sanctissimis hisce ac plane divinis voluminibus hoc dicatur, neminem pene indignitas rei movet. Clamitant quidem Christiani, nolle se vel latum unguem à Scripturis decedere; quam vero sui immemores sint, praxis eorum manifeste docet. Nam ut Pontifices prætercam, quibus alii tanta contentione objiciunt, quod scripturas non

ſatis preſsè ſequantur, ipſimet illi, qui hæc reliquis toties ingerunt, eidem in quibuſdam vitio obnoxii ſunt, cujus Pontificios reos peragunt. Quis enim eſt, vel ex Auguſtanæ Confeſſionis, vel ex Reformatis ſcriptoribus, qui cum ad eum locum Matthæi veniat, ubi dicitur, filium hominis manſurum in corde terræ tres dies & tres noctes, non vulgarem illam opinionem ſequatur, quæ aſſerit, die quidem Veneris circa veſperam Servatorem fuiſſe ſepultum, die vero Solis mane ſurrexiſſe? At ſic Scripturæ aperte in os contradicitur. Neque enim omnibus ſuis explicationibus plus producere poſſunt, quam duas ad ſummum noctes, & duos dies, quibus Chriſtus in corde terræ fuerit. Tertii diei, aut tertiæ noctis, ne vel unicum minutum proferre poſſunt. At ergóne duæ noctes & duæ dies, ſunt tres noctes & tres dies? Quid eſt falſum dicere, ſi hoc non eſt? Sane duo & tres non ſunt idem. At quid illos, ut ita ſtatuant, cogit? Pontificii in articulo de purgatorio, ut & de primatu Petri, ſcripturas pro ſe adducere conantur, etiam Patres ſibi conſentientes ſe habere monſtrant. Et tamen maxima illud indignatione, tam ab Evangelicis, quam Reformatis rejicitur. At quid pro ineptiſſima hac, & Scripturis plane contraria expoſitione adducitur? Scriptura ſane ita ipſi adverſatur, ut aperto ore ac plenis quod dicitur faucibus eandem rejiciat, nec vel unicum verbum aut punctum habeat, quod iſti favere poſſet. At Patres forte ita ſenſerunt: Fateor, Beda hæc inter ea ponit, de quibus Catholico dubitare non licet. Sed idem ille Chriſtum paſſum dicit xxv Martii: quod quis, etiam inter Doctiores Pontificios, non rejicit? Concedam & alios ex Patribus cum illo conſenſiſſe. At omnium Patrum opinionem eam fuiſſe, id vero nego & pernego. Chryſoſtomus ſane non ita ſentit, nec antiquus Pater Theophilus Cæſarienſis. At ſi totus ille venerabilis Patrum cœtus aliquid ſtatueret Scripturis adverſum; non tamen ideo Patrum major quam Scripturæ auctoritas eſſet. Firmum ſemper illud eſt manetque. *Verbum tuum veritas eſt, & omnis homo mendax.* Sed non ita eſt. Neque enim, vel Scripturis vel conſentiente Patrum auctoritate, dogma hoc Scripturis plane adverſum firmatur. Sed cum alius alium ἀβασανίστως ſequatur, & plus alienis, quam propriis oculis videat, ignorantiæ ac vanis opinionibus præſidium paratur. Quod ſicut in hoc loco, ita & in pluribus aliis contigit. Nam quamvis omnibus verè Chriſtianis certiſſime perſuaſum ſit, Scripturis nihil certius eſſe: tamen in ipſa praxi, ne illam quidem ipſi certitudinem multi concedunt, quam profano Hiſtorico ſanus nemo derogat. Et quod magis mireris, non hoc ulla neceſſi-

necessitate coacti faciunt, sed partim studio novitatis, partim dubitandi libidine, utrinque ambitione pessima virtutum omnium corruptela occæcati. Equidem de omnibus non loquor. Neque enim dubito, quin plurimi aliter sentiant. Imo multos ipsemet cognitos habeo aliter animatos. Ego quidem, quantum in me est, per Dei gratiam operam dabo, ne falsa ac sola consuetudine firmata, veri locum apud me obtineant. Neque enim errantium multitudo, aut erroris antiquitas, ullum errori parit patrocinium. Quod si in humanis verum est, quanto magis in divinis? Nobis ergo prima hæc cura erit, ut sententia nostra verbis Scripturæ simpliciter, hoc est juxta verba ipsa, & alias Scripturas explicatis conveniat. Inde historicæ veritatis rationem habebimus. Neque enim una veritas alteri contraria est. Manet Veritas una, ac semper sibi similis, semperque consonans, quamdiu Veritas est. Quæ ergo in Historiis continentur, ac omnium consensu, aut saltem eorum quibus sal in pectore est, pro veris habentur, quæque nemo negare potest, nisi insipiens, indoctus, aut malevolus, ex iis quoque sententiam nostram demonstrabimus ac confirmabimus, ut sic certi aliquid de nobilissimo, & si quod aliud, vere aureo tempore, concludi possit. Interest enim Christianæ veritatis, hæc quam maxime ac certissime demonstrata habere. Ipsa enim Scriptura dicit, Deum ter maximum tam accuratam temporis rationem in hoc admirando, ac ineffabili mysterio habuisse, ut non antea, quam in plenitudine temporis filium suum miserit, Gal. IV. Ideoque firmissimum argumentum ex temporum ratione contra Iudæos desumitur, ut initio libri II. à nobis dictum fuit.

Cap. II.

De die nativitatis & baptismi. Probatur Christum XIII *Kal. Ianuarias natum, &* VI *Idus baptizatum. Scaliger, Lanspergius, & alii notati.*

Antequam ad natalis demonstrationem pergamus, aliquid de ipso die, tam nativitatis, quam baptismi dicemus. Ac primum de hoc. Antiqua & consentiens Patrum opinio est Christum VI Ianuarii baptizatum fuisse. Creditum illud ac concessum fuit, tam ab Græcis, quam à Latinis. Nec nisi unus alterve in diversum abiit. Quod ergo tanto omnium consensu approbatum, tanta antiquitate nititur, id sine omni dubio longe verissimum erit, præsertim si non modo à

Scripturarum veritate nihil plane dissentiat, sed etiam apprimè cum illa conveniat. Quod etiam hinc patet. Iohannes, ut postea dicemus, ante xv. Tiberii baptizare non incepit. Inivit vero xv Tiberii à xix Augusti anni Iuliani 73. Per. Jul. 4741. Sed eodem die, quo decimusquintus incepit, Iohannem quoque cœpisse, verisimile non est. Satis probabilis eorum opinio est, qui festo tubæ, aut magno expiationis diei, illud tribuunt. Quod quidem festum incidit, anno Tiberii xv. ineunte, in 17 Septembris. Iam menses ad minimum bini aut tres, illi, ad auctoritatem conciliandam, necessarii erant, qui nullis miraculis verbum confirmavit. Ideoque minus probabilis Epiphanii sententia, qui VI Idus Novembris, sive ut alibi dicit XII mensis Athyr Actiaci, baptizatum Christum perhibet. Neque enim sat temporis tanto negocio tribuitur. Verisimilior sane reliquorum omnium consentiens opinio, quæ vel ideo recipienda esset, quod tot ac tantis viris tradita sit. Præterea si ea, quæ à Christo, post Baptismum, usque ad primum Pascha, gesta sunt, accuratius considerentur, manifestum erit, VI Ianuarii magis isti tempori convenire, quam VIII Novembris. Primo enim statim post baptisma, abiit in desertum illud magnum, quod iter nonnisi 10 diebus absolvere potuit: in deserto mansit 40 dies: postea ad Iordanem ad Iohannem reversus est. Dies collecti, faciunt menses duos, sive dies 60. Apud Iohannem duos dies mansit. Postea in Galilæam abiit, in quo quidem itinere plures dies consumpsit. Nam plures discipulos assumpsit, nempe Petrum, Philippum & Nathanaelem. Nec tamen plures dies huic itineri tribui possunt, quam decem. Tertio die postquam in Galilæam venerat, Nuptiæ in Cana factæ sunt, quibus interfuit. Habemus menses duos, & dies XVI. Nuptiæ durarunt dies septem, aut tanto saltem tempore Christus Canæ manserit. Prodeunt ergo dies 23. Cana profectus est cum amicis Capernaum, ubi *non multos dies* mansit, Iohan. II. cap. Sint illi dies decem, (quot in *Actis* eadem phrasis denotat,) habebis tres menses, & dies tres, sive dies 92. Quos si ad VI Ianuarii adjeceris, habebis VIII Aprilis. Pascha vero sive XIV Nisan incidit isto anno in XVII Aprilis, adeoque X dies ante Pascha Christus versus Hierosolyma proficisci cœpit. Quod si aliquot dies itineri in Galilæam, & aliquot festivitati nuptiali detrahas, Christus initio Nisan versus Hierosolyma perrexerit. Vide Chemnitii Harmoniam statim initio. Sane quocunque modo rem ordines, egregie tempus hoc cum Scripturis conveniet, secus quam Epiphanii sententia, quæ multum superflui temporis habebit. Scripturis ergo optime

optime hæc sententia convenit, ac melius quam ulla alia. Quia ergo in hac omnes fere Patres, tam Orientales quam Occidentales conveniunt: ipsaque Scripturis apprimè consentiat: nos eandem sequemur. Id ergo primo loco definitum esto, Christum nempe VI Ianuarii fuisse baptizatum. Quoniam vero, die hoc nobilissimo, baptizato Servatori cœli aperti sunt, ac Deus ter benedictus in incomprehensibili sua Trinitate se visibili quasi modo manifestavit, dies ille ab antiquissimis Θεοφάνεια & ἐπιφάνεια appellatus fuit, ut ex Ambr. de die S. Epiphan. hom. XXI. Isidoro lib. I. de off. Eccl. cap. XXIII. Pontio Paulino de natali Felicis IX. liquet. Id Græci posteriores de eo tempore dictum arbitrati, quo Deus manifestatus est in carne, diem baptismi & nativitatis confuderunt. Atq; ea quidem opinio per totum fere Orientem obtinuit. Romani vero, & eos secuti, qui Occidentem incolerent, XIII diebus antea, XXV nempe Ianuarii, Christum natum crediderunt. Atque horum sententiæ magis scriptura favet. Hæc enim tradit, Christum non præcise triginta annorũ fuisse cum baptizaretur, sed ὡς ἐτῶν τριάκοντα. At si eodem, quo natus est die, etiam baptismatis lavacro tinctus esset, scriptura non opus habuisset dicere ὡς ἐτῶν τριάκοντα, sed absolute ἐτῶν τριάκοντα. Sed de hac phrasi postea dicetur. Id satis manifestum est, non præcise XXX annorum fuisse cum baptizaretur. Unde nec eodem, quo natus est die, baptisma suscepit. Magis ergo verisimilis Romanorum opinio est, qui XXV. Decembris natum Servatorem prodidere. Imo non verisimilis est, sed vera. Ex antiquis enim tabulis Censoriis deprompta est, quas Romæ suis quoque temporibus fuisse Chrysostomus testis est. Sermone de Natali: ὅθεν δῆλον ὅτι κατὰ τὴν πρώτην ἀπογραφὴν ἐτέχθη, καὶ τοῖς ἀρχαίοις τοῖς δημοσίᾳ κειμένοις κώδιξιν ἔτι ἔξεστιν ἐντυχόντα καὶ τὸν καιρὸν τῆς γραφῆς μαθόντα ἀκριβῶς εἰδέναι τὸν βουλόμενον. Quomodo ex tabulis censoriis, & publicis Romani Imperii codicibus tempus nativitatis eruerent, nisi nomen Servatoris in illis scriptum fuisset? Nimirum Quirinius, qui ab Augusto, breviarium Imperii conficere volente, mandatum acceperat, omnes mares notare, eorumque qui infra pubertatem erant, ætatem adscribere, ut cognitum haberet, quo illi tempore imperio utiles esse possent, si viverent; cum censu acto, Iesum non annum integrum, sed tot saltem dies natum, etiam ita nomen & ætatem ipsius in tabula consignavit. Iustinus in Apologia: Κώμη δέ τις ἐστὶν ἐν τῇ χώρᾳ Ἰουδαίων σταδίους λέ Ἱεροσολύμων, ἐν ᾗ ἐγεννήθη Ἰησοῦς Χριστὸς, ὡς καὶ μαθεῖν δύνασθε ἐκ τῶν ἀπογραφῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου τοῦ ὑμετέρου ἐν Ἰουδαίᾳ πρώτου γενομένου ἐπιτρόπου. At si locus, in quo editus est, annotatus fuit, multo magis nomen & ætas. Hæc namque

præcipuè in censu cognosci debebant. Has ergo tabulas cum Romani haberent, quas multi Senatorii generis homines, qui aut Christiani erant, aut postmodum facti sunt, inspexerant: verissima ergo illi Christiani de Natali prodere poterant, qui Romæ erant. Propter quod ita de hac opinione scribit Chrysostomus: Παρὰ τῶν ἀκριβῶς ταῦτα εἰδότων καὶ τὴν πόλιν ἐκείνην (Ῥώμην) οἰκούντων παρειλήφαμεν τὴν ἡμέραν. Dicit, opinionem hanc de natali in XXV die constituendo, ante decem annos Roma Constantinopolim venisse, ab illisque traditam, qui exacte hæc norant. Nimirum antiqui Senatores Romani, quibus Censorias tabulas inspicere permissum erat, postquam Christianismum receperant, verum natalem aliis prodiderunt. Atque ita dies ille Romæ celebratus fuit, cujus rei notitiam demum temporibus Chrysostomi Constantinopolim transmiserunt, diemque, quem ipsi ex antiqua & infallibili traditione celebrabant, etiam alios observare docuerunt. Cum ergo Romanorum opinio talibus, ac tam certis argumentis subnitatur: non ultra verisimilis dicenda erit, sed plane vera. Sed opponit se huic sententiæ Scaliger, ac primo dicit novam eam esse, inde falso principio subnixam, denique scripturarum veritati adversam. Sed nihil ex his probat. Primo dicit, antiquos nihil certi de natali habere: alios enim mense Majo, alios VI. Kal Ianuariis natum tradidisse. Sed quod XIX Maji attinet, fuit illa singularis paucorum quorundam opinio, ex falsis hypothesibus non minus nata, quam ipsius Scaligeri de mense Septembri. VI autem Kal. Ianuarias natum totus Oriens credidit, quod unde factum fuit, jam diximus. Confuderunt enim illi Sanctissimæ Trinitatis manifestationem, quæ baptismi die contigit, (unde dies ille Θεοφάνεια dicta fuit) cum eo, quo Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί. Harum vero opinionum neutra Scripturis convenit. Ideoq; ambæ ab ipso Scaligero rejiciuntur. Novam vero hanc opinionem esse inde probat, quod Chrysostomus tantũ decem annos ante habitam de die natali orationem Constantinopolim venisse dicat. Sed istud quidem argumentum ridiculum est. Ipse namq; Chrysostomus dicit, Constantinopolitanis quidem novam fuisse, Romanis vero antiquam, atque ita demum concludit, ὅθεν οὐκ ἄν τις ἁμάρτοι καὶ νέαν αὐτὴν ὁμοῦ καὶ ἀρχαίαν εἰπὼν διὰ τὸ προσφάτως ἡμῖν γνωρισθῆναι, παλαιὰν δὲ καὶ ἀρχαίαν διὰ τὸ ταῖς πρεσβυτέραις ταχέως ὁμήλικα γενέσθαι, &c. Quid clarius contra Scaligerum dici poterat? & tamen hoc pro se adducit. Elevare deinde hanc sententiam conatur, eo quod Chrysostomus, & Maximus Monachus, inepto argumento, ex summo Zachariæ sacerdotio petito, eandem confirmare tentent. Sed causæ bonitati actoris

ris imperitia non officit. Adhuc enim lis pendet. Distinguendum ergo est inter sententiã ipsam, quę antiqua est, &ex iis principiis dependet, quæ antea proposui ac plane ἀναντίῤῥητα sunt: & inter argumenta, quæ alii ex Scripturis, pro uberiori sententiæ illustratione &cõfirmatione eruerunt. Si horum labor vanus fuerit: nihil ideo sententiæ firmitati decedit. Et longè ante, quã vel Chrysostomus, vel Maximus Monachus hoc argumentum tractaret, dies hic ab Ecclesia Occidentali pro vero Natali habitus fuit. Clemens Romanus Canon. VIII. lib. V. τὴν γενέθλιον ἡμέραν ὑμῖν, ἐπιτελεῖσθω εἰκάδι πέμπτη τοῦ ἐννάτου μηνός. Nonum mensem vocat Decembrem, juxta rationem Paschatis, qua Aprilis primus est. Idem quoque ex Ambrosio patet. Sed ex ratione ordinis Hieratici probare conatur, Christum circa festum Scenopegiæ natum fuisse. Quippe Zacharias cum juxta ordinem suum (qui erat Abiæ, sive octavus) ministraret coram Deo, εὐαγγελισμὸν de Iohanne filio accepit. Elizabeth igitur statim post finitum ministerium Abiæ concepit. Iam vero 24 erant Ephemeriæ, quæ semper ordine quodam ministrabant, atque ita Orbem quendam Hieraticum conficiebant, qui 168 diebus absolvebatur, annis vero 224. Orbis hic incipit XXII. Novembris anni P. Jul. 4549. quando Encænia Machabæi celebrata fuerunt. Quæ si vera sunt, Abiæ Ephemeria incepit ministrare Deo anno Per. Jul. 4710. (quo exeunte ὁ εὐαγγελισμὸς contigit) 21. Iulii. Adeoque statim post 28 Iulii Iohannes conceptus est. VI autem mense ineunte Gabriel ad Mariam missus est. Unde exeunte Decembri Christus conceptus est, & post novem menses natus, mense Septembri. Hæc summa est demonstrationis. Qui hæc diductius explicata volet legat notas ipsius in Fragmenta, ad calcem operis de emend. temp. Sed primo illud ex ipso scire vellem, unde probet Encæniis Machabæi ministrasse Ephemeriam Iojaribi. Perpetuam hanc Ephemeriarum rationem ex Iosepho, aliisque Iudæorum scriptis demonstrat. Neque enim in Scripturis idem ordo semper servatur, ut ex Esdra & Nehemia liquet. At hoc de Ephemeria Iojaribi commentum ipsis Iudæorum scriptis adversatur. Tradit Seder Olam Rabba, die illo quo templum à Tito combustum est, (qui fuit IX Ab exiens ac X. iniens) ministrasse Ephemeriam Iojaribi. Scaliger ipse tradit templum combustum fuisse X Augusti. Nos illud contigisse dicimus 4 Augusti, die Sabbathi. X. mensis Ab, quo die mane Ephemeria Iojarib juxta Iudæos inceperat Anno P. J. 4783. Differentia anni P. J. 4549. & 4783. est 234 annorum, quibus si auferas 224, (quibus Ephemeriarum restitutio fit) remanent 10. Annis vero decem

cem Ephemeriæ retrocedunt dies 124. ut ex calculo patet. Aufer ergo à 22 Novembris dies 124. habebis 21 Iulii, quo, illo anno, Iojaribi Ephemeria, juxta Scaligerum, inire debebat. At incipit 4 Augusti, 14 diebus post. Iuxta rationem Scaligeri inciperet 10 Augusti, siquidem isto templum conflagrasset. Si priori anno id factum dicas, (quod Seder Olam vult) conveniet IX Ab, sive initium Iojaribi 21. Iul. At juxta Scaligeri calculum XIX Augusti. Ipsum ergo fundamentum Scaligeri penitus corruit. Sed adhuc magis vitiosum Philippi Lanspergii fundamentum est, qui ex anno Davidis ultimo, & festivitate Scenopegiorum, quod in Sabbathum incidit, originem Ephemeriarum deducit, adeoque ex pluribus falsis ac plane incertis, certa ac firma concludere conatur, ut heic quidem exclamare liceat:

Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?

Tota ergo illa ratio vana est ac incerta. Imo ne illud quidem firmum, quod tamen pro certissimo assumitur, Mariam IX. solidis ac plenis mensibus uterum portasse. Diversum ex historia nativitatis patet. Quippe Maria, si nonus mensis post conceptionem aut transiisset, aut ad finem terendisset, domi quidem mansisset, neque partui proxima peregre profecta fuisset. Sane quidam, antiquam traditionem secuti, septimo eam mense Servatorem edidisse, asseverarunt. Epiphanius Hær. LI: ὅτι καὶ οἱ εἰπόντες τὴν ἡμέραν τῆς συλλήψεως, καὶ ὡς εὐηγγελίσατο ὁ Γαβριὴλ τὴν παρθένον, εἶπον τὴν ὑπόνοιαν τῶν τινων λεγόντων ἐν παραδόσει ὡς ὅτι διὰ ἑπτὰ μηνῶν ἐγεννήθη. Sed istis minime opus. Nam si concedatur IX mensem plenum non fuisse, quod nemo negare potest, Iudaica illa Ephemeriarum ratio certissima erit. Iuxta eam namque rationem, qua, nono mensis Ab, anni P. Iul. 4782, sive XV Iulii, Sabbatho, Ephemeria Iojarib incipit, inibit Ephemeria Abiæ 11 Septembris. Atque Ephemeria Abiæ anno P. Iul. 4710 incipiet 1 Decembris, qui fuit mensis Caslev. Intra XVI. ergo & XXII, mensis Caslev εὐαγγελισμὸς Zachariæ contigit: & statim post, eodem mense, Iohannes conceptus est. Ineunte vero sexto mense, hoc est Ijar, qui incipit XIII Aprilis anni P. Iul. 4711, CHRISTUS conceptus est, & nono mense post, hoc est Thebeth, natus est, 18 die mensis. Adeoque & Iudaica ratio & tabulæ censoriæ cum Scripturis egregie & ad amussim conveniunt. Ultimum quod objicit Scaliger de hyberno tempore, quo Pastores sub dio cum gregibus pernoctare non poterant, ne hili quidem est. Refutant illud propria experientia Casaubonus & Vossius, qui circa Natalem Christi greges ovium in agris pascentes in Anglia viderunt. Sane in Dania mea oves toto hyeme in agris degunt, nisi

terra

terra ita penitus nive tecta sit, ut nihil pabuli extra villas habere possint. At quid Iudæa ad meam patriam gelidis trionibus subjectam? Certum igitur est, ac demonstratum, verum Christi natalem incidere in xxv Decembris. Baptismi vero diem in vi Ianuarii.

Cap. III.

De vero anno tam nativitatis, quam passionis. Loca quædam ex cap. III. *Lucæ explicantur. Vsus particulæ* ὡσεί. *Locus Matthæi* II. *v.* 16. *& historia Magorum illustrantur. Antiquorum de natali opinio. Tertullianus emendatus, & contra Montacutium defensus. Scaliger notatur. Epocha natalis Christi, &c.*

His ita demonstratis, jam tempus, tam nativitatis, quam baptismi, certissime cognitum est. Lucas namque cap. II. manifeste indicat Christum Augusto imperitante natum esse. Matthæus cap. II. dicit Christum natum Herode in Iudæa regnante, & ne quis de alio Herode explicaret, quam Antipatri filio, addit, eum Herodem fuisse, qui filium habebat Archelaum, qui post ipsum regnavit. Decessit vero Herodes anno Juliano 44. Per. Jul. 4712. ante Pascha. Ergo Christus necessario ante Pascha anni 44. natus erit, & juxta illa quæ priori capite demonstrata sunt, vel xxv Decembris anni Juliani 43. Per. Jul. 4711. vel annum integrum antea. Sane post illud tempus impossibile est fuisse natum. Rursus Christus à Iohanne baptizatus est eo tempore, quo reliqua multitudo baptizabatur, Luc. III. v. 21. ἐγένετο δὲ ἐν τῷ βαπτισθῆναι ἅπαντα τὸν λαὸν, καὶ Ἰησοῦ βαπτισθέντος &c. Ergo Christus non baptizatus est antequam Iohannes incepit publice baptizare. Cœpit vero xv anno Tiberii. Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ τῆς ἡγεμονίας Τιβερίου Καίσαρος, ἡγεμονεύοντος Ποντίου Πιλάτου τῆς Ἰουδαίας, καὶ τετραρχοῦντος τῆς Γαλιλαίας Ἡρώδου, Φιλίππου δὲ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τετραρχοῦντος τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας, καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος· Ἐπ' ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπὶ Ἰωάννην τὸν τοῦ Ζαχαρίου υἱὸν ἐν τῇ ἐρήμῳ. Καὶ ἦλθεν εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Luc. III. Tanta enim diligentia Epocham hanc Lucas descripsit, ut major à nemine unquam Historico exspectari aut exigi possit. Mirari igitur illos non satis possum, qui nihil hinc certi concludi posse dicunt, atque ideo in omnibus dubitant, quasi spiri-

tus Dei nunquam, ne quidem quum maxime vellet, accurate loqui posset. At illi ipsimet contendunt, in omnibus Scripturæ locis literam semper sequendam esse, nisi manifesto incommodo ad Allegoriam, aut ἀναγωγὴν confugere cogamur. Sed si litera sequenda est, ergo necessarium est, ut accuratissime Spiritus Dei loquutus sit. Objiciunt, in rebus quidem fidei id obtinere, in historicis vero non item. At quid vetat, Scripturam etiam in his vera dicere? quid vetat illam in historicis ac temporum ratione accurate loqui? Dico ego, neminem Historicum accuratius unquam scripsisse, aut loquutum esse, quam spiritum Dei in Scripturis. Si ergo Historicorum profanorum verba accurate sequimur, nec temere ab iis recedimus, quanto magis in Sanctissimis hisce oraculis illud facere tenemur, quæ non voluntate hominis lata sunt, sed quæ ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν ἅγιοι Θεοῦ ἄνθρωποι *à Spiritu sancto acti Sancti Dei homines locuti sunt*. Dubitent ergo illi, quorum, ignorantiæ Magistra, vana nempe illa dubitandi libido, animos occupavit. Nobis certa sequi certum est. Epocham vero hanc ideo tam accuratè signavit Lucas, quod gratiosum illud novi testamenti tempus inde dependeret. *Lex enim & Prophetæ usque ad Iohannem*. Hæc ergo accuratius examinanda erit. Videtur Lucas eodem verbo, & Tiberii, & Pilati Magistratum expressisse. Adeoque parum accuratè loquutus fuerit. Sed non ita est. Ἡγεμονία enim apud Græcos pro regno, Monarchia & Tyrannide usurpatur, & sic apud Phavorinum exponitur, Ἡγεμονία, Προστασία, Βασιλεία, Δεσποτεία Δυναστεία, Μοναρχία, Τυραννίς. Verbum vero ἡγεμονεύω, & inde natum participium, nihil tale denotat. Hesychius illud exponit per ἄρχειν, quod in liberrima Atheniensium Republica de Prætoris magistratu usurpabatur. Phavorinus per διοικῶ, quod verbum ipse alibi explicat per πολιτεύομαι, νέμω, διέπω, διαχειρίζω, ἐξετάζω, quæ verba Magistratui inferiori proprie conveniunt. Bene ergo Syrus Interpres hæc exposuit: בשנת חמשעסרא דין דמלכותה דטבריוס קסר בהגמונותא דפנטיוס פילטוס *Anno decimoquinto regni Tiberii*, &c. Accuratius tamen & magis juxta Romanum morem Lucas Euangelista locutus est, quam vel heic Syrus, vel alibi ullus unquam Græcorum. Hi enim, ubi de Romanorum imperatoribus loquuntur Βασιλεῖς eos vocant, contra morem Romanorum. Quippe exosum erat Romæ nomen Regis, regnique affectati suspicio, non solum ipsi Cæsari, sed etiam antiquitus Marco Manlio Capitolino optimo civi, quique solus in causa fuit, ne capti Romani caperentur, exitium attulit. Merito ergo Cæsar Octavius ab exosa hac voce, præsertim in cruda servitute, abstinuit, remque publi-

publicam sub nomine Principis administravit. vide Tacitum Annal. I. & Sueton in Octav. & Tiber. Decimoquinto ergo anno ἡγεμονίας & Principatus Tiberii, verbum Domini factum est ad Iohannem. Incipit vero XV. Tiberii, juxta ea quæ antea disputavimus, anno Jul. 73. die XIX Augusti, Anno P. J. 4741. Iohannes ergo omnino incepit baptizare post XIX Augusti, anni P. J. 4741. Adeoq; & ipse Servator, post hoc tempus baptizatus est. Et cũ juxta ea, quæ ex communi Ecclesiæ opinione antea constituta sunt, Christus baptizatus sit VI Ianuarii: baptismus ergo incidit in VI Ianuarii, anni Juliani 74. aut saltem post hoc tempus. Refert vero Lucas, Christum, cum baptizaretur, annos natum fuisse XXX. cap. III. v. 23. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, &c. Quæ ita expono: *Et ipse Iesus erat circiter annorum triginta incipiens, qui, cum putaretur filius Iosephi, erat filius Eli.* Sed de loci hujus explicatione magna est controversia. Scaliger dicit, plenos annos triginta heic intelligi, & partem trigesimi primi. Verba ipsius apponam. *Quis dubitat, hominem triginta annorum dici, qui tricesimum annum absolvit. Cedo mihi dialectum veterem, quæ aliter loquatur? Iurisconsulti anniculum vocant, cui jam incipit exire annus absolutus. Sic enim l. Anniculus De verb. Signif. Anniculus amittitur, qui extremo anni die moritur. Item anniculus non statim, ut natus est, sed trecentesimo sexagesimo quinto die dicitur.* Et hæc quidem satis bona sunt. Quæ vero de particula ὡσεὶ postea subjungit, quam heic explicat per Kaph Ebræorum, (quod duplex est, ἀπαρτιστικὸν, sive στοχαστικὸν, & ἀληθινὸν) ea tanti non sunt. Vox ὡσεὶ, quam Syrus Interpres per איך exponit, variis in locis in Scripturis exstat. Usurpatur vero vel definite vel indefinite. Definite quidem dupliciter, comparative nempe & causaliter. Equidem ὡσεὶ in Scripturis nunquam, quod ego sciam, ita usurpatur, ut causam rei indicet. Apud Homerum tamen in hoc sensu exstat, Olyssea XIV.

> Ἐπλέομεν βορέῃ ἀνέμῳ ἀκραέϊ καλῷ
> Ῥηϊδίως, ὡσεί τε κατὰ ῥόον.

Vox vero איך qua Syrus utitur, etiam causam alicubi indicat, Math. VI. v. 18 *Tu vero cum jejunas, unge caput tuum,* איך דלא תתחזא *ut ne videaris hominibus jejunare.* Comparative frequenter adhibetur. Math. IX. v. 26. Iesus misertus est turbæ, quod dissipati essent ὡσεὶ πρόβατα. Et ita quidem definite usurpatur. Indefinite in pluribus locis exstat, atque ad numerum & mensuram adhibetur; quæ ita tum describit, ut quam proxime ad illud accedat, quod ponitur. De numero quidem hæc loca apud Lucam sunt. IX. 14. ἄνδρες ὡσεὶ πεντακισχίλιοι. cap.

XXII. 59, καὶ διαστάσης ὡσεὶ ὥρας μιᾶς. cap. XXIII. v. 42, ὡσεὶ ὥρα ἕκτη. Actor. II. v. 41, ψυχαὶ ὡσεὶ τρισχίλιαι & cap. v. v. 36. ἀνδρῶν ὡσεὶ τετρακοσίων. In quibus omnibus exemplis indicatur, non quidem tot præcise fuisse, quot dicitur: sed tamen quam proxime ad hunc numerum accessisse. Confer. v. 58. & 59. cap. XXI. De mensura usurpatur Luc. XXIII. 41. ὡσεὶ λίθου βολήν. Ubi indicatur, non præcise tantum decessisse, quantum lapide quis jacere potest; sed fere tantum. Atque ex his sine dubio vox ὡσεὶ explicanda erit. Denotabit ergo Iesum, cum baptizaretur, annorum fuisse triginta, non quidem præcise, sed ut in diebus quibusdam differentia esset. An vero dies illi, vel supra triginta numerandi sint, vel infra, id non dicit. Id satis patet, eorum explicationem Scripturis adversari, qui, triginta unum aut duos annos, imo tres natum fuisse servatorem, perhibent, cum ad baptisma accederet. Nec minus his falsi sunt, qui ineuntem XXX. heic explicant, moti voce ἀρχόμενος. At quis unquam talem Græcismum audivit, Ἄρχομαι ἐτῶν τριάκοντα, pro ἔτους τριακοστοῦ. Illud ergo ἐτῶν τριάκοντα construitur cum ἦν, & non cum ἀρχόμενος. Neque idem est ἄρχομαι εἶναι ἐτῶν τριάκοντα, & εἰμὶ ἀρχόμενος ἐτῶν τριάκοντα. Illud Græcum est; hoc minime. Quippe ἦν ἀρχόμενος idem est, quod ἤρχετο. Iam vero ineptum esset dicere ἄρχεσθαι ἐτῶν τριάκοντα, pro ἄρχεσθαι ἔτους τριακοστοῦ. Absurda etiam est ea vocis ἀρχόμενος explicatio, quam Scaliger profert. Quæ enim illa Phrasis? αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἦν ἀρχόμενος ὢν ἐτῶν τριάκοντα, ὢν ὡς ἐνομίζετο. Tautologia potius quam vera explicatio. Melior Iustini, Origenis & Euthymii, qui vocem hanc ad initium ministerii Christi referunt. Sane ipse Lucas alibi hanc explicationem proponere videtur: ubi de Christo ita disserit: ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου, Act. I. v. 22. & capite X. v. 37. Ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας μετὰ βαπτισμόν. Utrobique absolute vox ἀρξάμενος posita est, & utrobique subintelligenda est vox διακονίας, ut sit ἀρξάμενος τὴν διακονίαν. Ita ergo ab eodem Luca & cap. III. Evangelii posita sit, explendaque Elliptica illa oratio ita est: Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡς ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος τὴν διακονίαν, ὤν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσήφ, τοῦ Ἡλί. Id sane manifestum est, ac sine omni controversia, vocem ἀρχόμενος ad τριάκοντα ἐτῶν pertinere non posse. Neque enim ulla veritate dici potest, Christum, cum baptizaretur, trigesimum annum tantùm inchoasse. Christus namque necessario natus est exeunte anno Juliano 43. Siquidem vivo Herode Ascalonita natus sit, quod scriptura disertis verbis indicat. At Herodes decessit ad minimum 33 dies ante Pascha anni Juliani 44. ut antea demonstravimus. Imo si accurate omnia examinentur, decessit plusquam quin-

quinquaginta dies ante Pascha. Christus vero ad minimum sex hebdomadibus ante Herodem natus erat. Quippe post ipsius fugam in Ægyptum, quæ post purificationem contigit, Herodes infantes Bethlehemiticos trucidavit. Ergo xiv, ante Pascha anni Jul. 44, hebdomadibus Servator necessario natus erat, & quidem viii. Kal. Ianuarias, ut antea demonstravimus. Baptizatus vero est xv Tiberii, qui incepit xix Augusti, post quod tempus Iohannes necessario incepit baptizare. Adeoque impossibile plane est, servatorem & Dominum nostrum post Decembrem anni Jul. 43 fuisse natum, & ante Octobrem anni Juliani 45 fuisse baptizatum: nisi Scriptura falsa sit, quæ vivo Herode natum, & post initium decimiquinti anni Tiberii baptizatum perhibet. Christus ergo x. ad minimum menses de trigesimo anno expleverat antequam baptizaretur. At nulla is ratione annum quendam inchoare dicitur, qui decimum in eo mensem explevit. Contra, constitutis & nativitate & baptismo in debitis diebus, tota ratio certissima erit. Sic enim Salvator natus est anno Juliano 43 exeunte xxv Decembris: baptizatus vero Juliano 74 ineunte vi Ianuarii. Ac tum natus erat annos solidos xxx. & dies xiii. Hoc plane est, ἦν ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα. Quod si 43 anno ineunte in lucem editus dicatur, (quod Lanspergius vult) natus esset annos xxxi solidos, aut si in Novembrem baptismus reducatur, solidos xxx. & menses x. At hoc non est ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα. Sed ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἑνός. Propius enim ad triginta unum, quam ad triginta, numerus accedit. Contra si Petavii rationem sequamur: Christus, cum baptizaretur, fuerit solidos xxxii annos natus, juxta Keplerum autem xxxiii. quod plane Scripturis contrarium est. Si vero baptismus Christi in consequentia protrudatur, idem vitium orietur. Si enim in exeuntem 74, aut ineuntem 75 conferatur, Christus xxxi annos natus fuerit. Id ergo per Dei gratiam ex certis ac ἀναντιλέκτοις principiis demonstravimus, natalem Christi in extrema Herodis tempora, & quidem in exeuntem annum P. Jul. 4711, Julianum 43 incidere: baptismum vero in xv Tiberii, annumque Julianum 74. sive Per. Jul. 4742 ineuntem. Unicum illud nostræ sententiæ adversari videtur, quod nimis exiguum spatium inter Christi nativitatem & Herodis mortem constituatur. Quippe in Scripturis ea inter hos terminos gesta ponuntur, quæ tam angusto spacio comprehendi nequeunt. Nato enim servatore Magi ex Oriente venerunt, de novo Rege quærentes. Post horum abitum Herodes, eo quod se delusum videret, omnes infantes Bethleemiticos occidit, ἀπὸ διετοῦς καὶ κα-

πωτέρω, κτ͂ τ͂ χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν μάγων Ex quibus nonnulli concludere conati sunt, Christum cum moreretur Herodes, bimulum fuisse. Perperam sane. Ipsi enim Magi aliud indicant, qui de Christo ita loquuntur: Ποῦ ἐστιν ὁ τεχθεὶς βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. Quibus verbis celeritas adventus indicatur. *Sic aliud fuerit, Ἰωάννης τρωθεὶς τ⋯ ἦλθεν ὁ ἰατρὸς, aliud τιτρωμένῳ. cum priori celeritas adventus magis quam altero significetur.* Casaub. Exerc. II. sect 9. Scio Epiphanium, quarto anno ante exitum Herodis, sive XXXIV Imperii ipsius, hoc tribuere. Sed tota ipsius disputatio falsa annorum Herodis Epocha nititur. Ipse enim tradit, Christum natum ineunte anno Juliano 44. Augusto XIII. & Plantio Sylvano Coss. VI Ianuarii. In die, Græcorum opinionem sequitur: quod si Latinorum sequutus fuisset, dixisset 43 annum Lentulo & Messalino Coss. adeoque in anno ipso natali nihil plane aberrat. At Herodes omnino mortuus est anno Juliano XLIV. Coss. Augusto XIII. & Plautio Silvano, ante Pascha, ut antea demonstravimus. Falsum ergo est Christum quatuor annos ante ipsius mortem natum fuisse. Magos eorumque iter quod attinet, in Scripturis non dicitur unde venerint, aut quantum iter confecerint. Equidem dici posset ante natum Servatorem stellam apparuisse, & Magos principio rei novitate motos, inter se hac de re contulisse: postmodum comperta veritate, ad adorandum Regem profectos esse. Equidem quomodo illud investigaverint ac invenerint, ego non dixerim. Sunt qui singularem Dei revelationem ipsis factam dicunt. Chalcidius in Timæum Platonis stellæ illud tribuit. Cujus sententiæ illud favere videtur, quod Magi solius stellæ mentionem faciant. *Vidimus ipsius stellam in Oriente, & venimus adoratum eum.* Quicquid sit, certum illud est brevi post nativitatem Magos Hierosolymas venisse, Mariamque Bethlehemi invenisse, quo minime post Purificationem reversa fuit, Luc. II. v. 39. Venerunt ergo Magi XIII. die post partum, sicut antiqui fere omnes existimant, VI die Ianuarii, ex Arabia, (nam & illa Magos habebat, teste Plinio lib. XXV. cap. III. Et hoc ipsum Epiphanius in expositione fidei Catholicæ sequitur) cujus pars quædam, Iudææ, ad Orientem, sita erat, (sicut Tacitus Histor. V. ait.) attuleruntque secum dona Arabica, aurum, thus & myrrham. Hos Herodes primum existimabat, pudore suffusos, eo quod nihil reperissent, reverti noluisse. Postea vero, ubi jam in templo infans oblatus esset, tantoque Elogio à Symeone & Anna, hominibus maximæ in populo auctoritatis, honoratus fuisset: statim intellexit se à Magis deceptum fuisse. Erat vero tum cum infans in templo offerretur, circa Callirhoen

lirrhoen, aut Hierichunta, ut ex collatione Iosephi liquet: ideoque facilior ac tutior Iosepho fuga erat. Herodes igitur, his auditis, certos fidosque homines misit, qui de hoc negocio inquirerent. Sed cum omnia in obscuro essent, propter parentum ac testium obscuritatem: crudele illud facinus animo concepit, quod tandem exitio proximus exsequutus est. Ne vero is elaberetur, cui, tot innocentium morte, exitium parabatur, constituit omnes eos mactare, qui vel bimatum attigerant, vel infra eundem essent. Cum enim variis modis satellitibus imponi posset, pueris quibusdam menstruis aut bimestribus anniculorum staturam æquantibus: terminum quendam, non ætatis tantum, sed etiam staturæ statuit, extra quem, eum, qui quærebatur, esse non posse, certo sciebat. Unde si ex Magorum verbis concludere potuisset, bimum Regem illum fuisse: non reliquos, qui infra bimatum erant, interfecisset. Christus ergo natus est xxv Decembris: vi Ianuarii post, Magi venerunt. 11 Februarii puer in templo oblatus est, & peracta ita purificatione Nazaretham Iosephus cum Maria rediit, Luc. 11. v. 39. Inde, accepto statim de fuga mandato, in Ægyptum tetendit. Interea, allato ad Herodem nuncio de puero, Bethlehemi is inquiri curat. Sed ubi nihil certi habere poterat, tandem quatuor aut quinque ante obitum diebus, pueros Bethlehemiticos mactandos curavit. Sane eodem tempore, quo Antipatrum filium interfecit, hoc contigisse, Macrobius indicat, ubi lib. 11. Satur. inter alia ab Augusto scite dicta, hæc etiam recenset. *Cum audivisset*, inquit, *inter pueros, quos in Syria Herodes Rex Iudæorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum: ait, Melius est Herodis porcum esse, quam filium.* Equidem falsus esset Macrobius, si existimaret, Antipatrum aliumve Herodis filium bimulum à Parente interfectum fuisse. Id enim minime verum est. Sed neque id dicit Macrobius. Aliud enim est bimum interfici, aliud inter bimos. Extremis autem Herodis temporibus, nemo filiorum ipsius ab ipso interfectus est, præter Antipatrum. De hoc ergo Cæsar jocatus fuerit. Occisus vero est Antipater quinque dies, antequam Herodes decessit. Hic vero mortuus est Februario exeunte. Circa hoc ergo tempus & pueri interfecti sunt. Post reversum vero Roma Archelaum, adeoque post Pentecosten anni XLIV Iuliani, Christus ex Ægypto reversus est. Atque ita per Dei gratiam diem illum admirabilem, quo Deus in carne revelatus est, eruimus, eundemque ex certissimis principiis demonstravimus. Equidem antiquissimi Patres huic nostræ sententiæ consentire videntur. Ignatius namque, in Epistola ad Trallianos, triginta

solidos

ſolidos annos natum Chriſtum perhibet cum baptizaretur. Ideoque cum VI Ianuarii anni Jul. 74 baptizatus ſit, natus erit, vel exeunte anno Juliano 43, vel ineunte 44. Tertullianus ita de his diſſerit, lib. adv. Iudæos cap. VIII. *Cleopatra corregnavit Auguſto annis XIII. Poſt Cleopatram Auguſtus aliis annis XLIII. Nam omnes anni Imperii Auguſti fuerunt anni LVI. Videmus autem quoniam quadrageſimo, & primo anno Imperii Auguſti, quo poſt mortem Cleopatræ imperavit, naſcitur Chriſtus. Et ſupervixit idem Auguſtus, ex quo naſcitur Chriſtus, annos XV.* Anno Juliano III. Auguſtus Conſul cum Qu. Pedio factus eſt X. Kal. Octobris, ſicut ex Paterculo manifeſtum eſt. Statim poſt Triumviratum incepit V. Kal. Decembris. Deceſſit Auguſtus anno LIX Juliano, XIV Kal. Septembris. Regnavit ergo, ſi à primo ipſius Conſulatu incipias, annos ſolidos LVI, minus 34 diebus, à Triumviratu vero minus diebus ſeptuaginta. Corregnavit vero Auguſto Cleopatra in Ægypto annos XIII. nempe ad annum uſque XVI Julianum, quo periit. Natus vero eſt Chriſtus XLI anno Auguſti, à primo nempe Conſulatu, vel Triumviratu numerando. Illa enim verba, *quo poſt mortem Cleopatræ imperavit*, ab ſemidocto homine ad oram notata erant, quæ poſtea ab imperito librario in textum recepta ſunt, neque huc pertinent; quod cuivis manifeſtum. Cœpit vero annus Auguſti XLI, anno Juliano XLIII, X. Kal. Octobris, à Conſulatu numerando, V. vero Kal. Decembris à Triumviratu. Si ergo Tertullianus communem illam & longe veriſſimam Romanorum opinionem ſequutus fuerit, quæ Chriſtum VIII Kal. Ianuarii natum perhibet, etiam Chriſtus, juxta Tertullianum, anno XLIII. natus erit. Atque ſic eandem plane nobiſcum ſententiam habebit. Si Græcorum opinionem ſequutus fuerit, XIII ſaltem diebus tardior erit. Sin denique XIX Maji, (quod quidam ex antiquis ſecuti ſunt teſte Clemente) menſibus aliquot. Et tamen ineunte 44. juxta Tertullianum natus eſſet. Equidem ultimam opinionem illud confirmare videtur: quod dicat, XV annos Auguſtum poſt regnaſſe, qui ſedecim potius eſſent, ſiquidem exeunte 43, aut 44 ineunte natus fuiſſet. Sed ea ſatis commode explicari poſſunt. De baptiſmi tempore hæc tradit Tertullianus, XV ipſum anno Tiberii fuiſſe baptizatum. Lib. I. cont. Marcionem cap. XIX. *Anno XV. Tiberii Chriſtus Ieſus: de cœlo manare dignatus eſt ſpiritus ſalutaris.* & lib. IV. cap. VII. *Anno quinto decimo principatus Tiberiani proponit, Deum deſcendiſſe in civitatem Galilææ Capharnaum.* Et quamvis ex Marcionis ſententia hæc dicantur, non tamen iſta à Tertulliano improbantur. Emendandus ſane hic locus eſt in I. lib. cap. XVI. Verba ſunt: *At nunc*

quale

quale est, ut Dominus à X I I. *Tiberii Cæsaris revelatus est*,&c. lege, XV. Tiberii Cæsaris. Imperite ergo Montacutius Orig. Ecclesiastici part. II. peculiarem quendam errorem hoc ex loco Tertullianum errasse concludit. Neq; enim error hic Tertulliani est: sicut ex binis aliis locis patet, sed librariorum. Quomodocunq; vero hæc ordinentur, Christus omnino ex mente Tertulliani ineunte XLIV Juliano natus est. Epiphanius vero expressis verbis suam opinionem indicat, qui Cristum natum tradit VI Ianuarii, sive VIII Idus Ianuarias, Augusto XIII. & Plautio Sylvano Coss. Hær. LI. Ibidem, ut & Hæresi XX, Annum nativitatis numerat Augusti XLII. Adeoque à morte ulii, Augusti initium petere videtur. Eundem annum numerat XXXIV Herodis: sed mirè, in Iudaicis illis rebus, ineptit. Clementem pæne Alexandrinũ, doctum & antiquum Patrem, prætericram, qui XXVIII anno Christum natum perhibet. Annus hic est Actiacus, sive à morte Antonii, de quo antea. XXVIII vero Actiacus incipit XXIX Augusti anni Juliani XLIII: terminatur anno XLIV Adeoque, vel exeunte XLIII Juliano, vel ineunte XLIV, Christus, juxta ipsius opinionem, natus fuerit prout natalem, vel in VIII. Kal. vel VIII. Idus Ianuarias, constituerit. Sed peculiarem in die opinionem sequi videtur. Numerat namque à natali ad mortem Commodi annos CXCIV, mensem unum, dies XIII. Decessit Commodus Prid. Kal. Ianuarias anno Juliano CCXXXVII. Ablati inde XIII. dies cum mense uno, & annis solidis CXCIV, dant diem XVII, aut XVIII Novembris, anni XLIII Juliani, verum natalem. Sed à Cæsare Julio ad mortem Commodi annos numerat CXCVI menses VI. quos si à XXXI Decembris anni CCXXXVII, abstuleris, remanebit, IV Julii, Anni Juliani, I. quod ego non intelligo. Id solum de Clemente dici potest, quod, vel exeunti XLIII, vel ineunti XLIV Juliano, natalem tribuerit. Eandem cum Clemente opinionem, de natali anno, habet Eusebius. Ita enim Hist. Ecclesiast. lib. I. cap. VI. scribit, ἦν δ' οὖν τοῦτο δεύτερον καὶ τεσσαρακοστὸν ἔτος τῆς Αὐγούστου βασιλείας, Αἰγύπτου δ' ὑποταγῆς, καὶ τῆς τελευτῆς Ἀντωνίου καὶ Κλεοπάτρας, ... ὄγδοον καὶ εἰκοστὸν ὁπηνίκα ὁ Σωτὴρ καὶ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς Βηθλεὲμ ἐγεννήθη. Idem habet in Chronico ad annũ XLII Augusti. quo Consules juxta Euseb. fuerunt Augustus XIII. & Plautius. Hieronymus, in Chronico Eusebiano, anno XLII. Augusti Christum natum asserit, & hac quidem in parte Eusebium sequitur. In commentario autem in I. cap. Ezechielis statuit, Christum, expletis triginta annis, à Iohanne baptizatũ V Ianuarii: alio vero die fuisse natum, & sicut videtur VIII Kal. Ianuarias, adeoq; XIII dies ante, quam Eusebius, diceret. Hæc ergo antiquorum Pa-

trum de anno natali opinio eſt, quæ optime cum noſtra convenit. Sed tamen nihil ex iis certi haberi poteſt. Euſebius namque, Epiphanius,& Hieronymus in Chronico Euſebii craſſiſſime in annis Herodis errarunt. Clemens vero ſe ipſum in annis Julii & Commodi implicat. Tertullianus denique & Ignatius nihil certi definiunt. Ideoque neque ex horum ſcriptis demonſtratio annorum Chriſti peti poteſt. Ac propter hoc Sulpicius Severus, qui poſt hos vixit, XLII Juliano; Dionyſius vero Exiguus XLV exeunte, Chriſtum natum tradidit. quem ſecutus eſt Beda,& eum omnes Chriſtiani Occidentales, vide cap. I lib. I. ubi de his accuratius egimus. Atque hæc vera annorum Chriſti Epocha eſt, in qua & Scaliger nobiſcum conſentit. Patrum enim auctoritatem ſequitur, quæ tamen heic nimis incerta eſt. Sed mirum eſt, quod in præfatione Theſauri temporum ad Iacobum Auguſtum Thuanum conetur, ſine loco illo Lucæ de annis XXX, natalem Chriſti demonſtrare. Ubi tamen hoc pro conceſſo ponit, Chriſtum biennio ante exceſſum Herodis natum fuiſſe, quod exinde probare conatur, quia Herodes interfici curavit omnes pueros ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω. Quod lepidum argumentum, & ab eo ipſo libr. VI. de emendat. temporum, & à nobis antea refutatum eſt. Vanum præterea illud eſt, quod de Herodis obitu tradit, XLV nempe anno Juliano eum contigiſſe. Id enim antea quoque à nobis rejectum eſt. Nos vero ex tribus certiſſimis characteribus Epocham hanc demonſtravimus, exceſſu nempe Herodis, XV anno Tiberii, & XXX anno Chriſti. Certum namque ex Scripturis eſt, Chriſtum, cum baptizaretur, XXX anno propiorem fuiſſe, quam vel XXIX, vel XXXI. Ac proinde errant illi, qui vel ſolidos ipſi triginta, & menſes præterea VIII. aut IX, vel ſolidos XXXI tribuunt, multo magis illi, qui XXXII, imo XXXIII. inter quos Petavius & Keplerus. Nos, ipſi triginta annos, & XIII dies tribuimus. Sequimur enim Eccleſiæ opinionem de ſexto Ianuarii. Quod ſi Epiphanii opinio, de VI Novembris, quo Servator baptizatus eſt, potior habenda eſſet, XXIX annos, & menſes decem natus fuiſſet, quod neque Scripturis adverſaretur. Sed potior eſt privata unius opinione totius Eccleſiæ conſentientis auctoritas, præſertim ubi Scriptura huic magis favet. De natali vero die certiſſima habemus.

Natus ergo eſt IESUS CHRISTUS æternus Dei filius ex Maria Virgine in Civitate Bethlehem, Anno Per. Jul. 4711. Cycl. Romano Sol. VII. Lunæ XVIII. Per. Conſt. 5506. Cyclo Solis XVIII. Lunæ XV. Indictione I. Anno Juliano XLIII. Urbis Cond. DCCXLIX. Coſſ.

Cn. Cor-

Cn. Cornelio Lentulo,& M.Valerio Messalino. viii Kal.Ianuarias, feria iv. sive die Mercurii. Anno Orbis Conditi 4040. reparati post Diluvium 2382; Anno ab exitu ex Ægypto 1502. Anno Iudaico 3759. xviii. mensis Thebeth. Olymp. cxciv. anno ii. Nabonnazaru dccxlvi. vi. die Tybi. Anno Philippi cccxxii. Seleucid. sive Dhilcarnain cccx. Πεσεπτὶ δευτέρᾳ ἱσαμένε. Anno Actiaco xxviii. Choiach xxviii. Octavo die post, circumcisione suscepta, legis se servum demonstravit: & decimotertio die gentibus manifestatus est. Anno vero 4742. vi Ianuarii, Cyclo Solis x. Lunæ xi. Per. Const. 5537. Cyclo Solis xxi. Lunæ viii. Indict ii. Anno Mundi 4070. Urbis Conditæ dcclxxx. Juliano lxxiv. Olymp. cci anno iv. Nabonnazaru dcclxxvi. Attiaco lviii. Tiberii Imperatoris xv. Christus baptizatus est. Coss. Rubellio & Fusio Geminis.

Cap. IV.

De variis modis investigandi annum Passionis. Antiquorum, de uno ministerii anno, opinio falsa. Ex Paschatum ratione nihil certi demonstrari potest. Characteres passionis ex Scripturis demonstrantur. Christus, die Iovis, sive feria quinta, non die Veneris, aut feria sexta, passus est. Historia resurrectionis, ejusque dubia explicantur, &c.

Demonstrato tempore, tam nativitatis quam ministerii inchoati, ad salutaris Iesu Christi passionem veniendum est. Pendet hinc totum ministerii tempus. Quippe cognito ministerii initio & fine, certissime demonstratum erit, quanto tempore totum duraverit. Etiam omnes Servatoris anni certo cogniti erunt. Siquidem xxx solidos annos, & xiii dies tum expleverat, cum ministerium inchoaret. Sed variis modis ac viis, hoc tempus quæsitum fuit. Ideoque & variæ variorū de eodem opiniones. Valentiniani, vel si mavis, Gnostici, unum post baptismum annum Christum vixisse asserebant, quorum hac in re opinionem Doctissimi Patrum, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, & post eos Augustinus sequuti sunt. Præcipuum iis, imò unicum argumentum ex illo Esaiæ loco desumitur, quo Christus se missum dicit, ad prædicandum annum acceptabilem Domini. Hos vero omnes refutat Irenæus, & ex Scripturis demonstrat, plures quam unum annum Christum prædicasse. Enimvero

 Iohan-

Iohannes Evangeliſta plurium Paſchatum meminit, quibus Chriſtus Hieroſolyma poſt baptiſmum aſcendit. At Paſcha ſemel in anno apud Iudæos celebrabatur. Tot ergo ad minimum annos poſt baptiſmum vixit, quot Iohannes Paſchatum meminit. Iam verò duo ad minimum Paſchata ſunt, quorum ſolemnitati Chriſtus Hieroſolymis interfuit. Ergo duos ad minimum annos poſt baptiſmum vixit. Hoc argumentum antiquiſſimi Patris poſteriorum multi ita ad ſuum uſum applicarunt: ut non ſolum affirmative, ſed etiam negative illud valere vellent Etenim quia quatuor ſibi paſchata ex Iohanne eruere poſſe videbantur, etiam demonſtrative concluſerunt,nec pauciores, tribus &dimidio,nec plures,Chriſtum,annos poſt baptiſmum vixiſſe. Quod argumentum longe vitioſiſſimum eſt. Sicut enim illud certum eſt, Chriſtum tot annos vixiſſe, eo quod tot Paſchatum mentio apud Evangeliſtam exſtet: ita illud plane falſum eſt, tot ſolũ annos vixiſſe, quot Paſchatum Evangeliſta meminit. Neque enim omnia Chriſti dicta & facta notavit, quæ ſi ſcriberentur, mundus libros capere non poſſet, Iohan. xxi. Ea ergo ex omnibus ſelecta propoſuit, quæ fidei in hominibus generandæ ac conſervandæ ſufficerent. Sicut vero plurima ex Chriſti factis, dictiſque præteriit: ita etiam tempora, quibus ea conveniunt, omiſit. Sic ergo in omnibus annis miniſterii nunquam meminit Pentecoſtes: ſemel tantum Scenopegiorum: ſemel Encæniorum. Imo ne Paſchata quidem habet,niſi tria: ex quibus unum,non præſens,ſed prope fuiſſe dicitur. Nam quamvis ſatis probabiliter dici poſſet,Feſtum illud, cujus cap. v. meminit, Paſcha fuiſſe, illud tamen certo demonſtrari minime poteſt. Ingenioſum quidem Chemnitii argumentum eſt,quod nequicquam ſolvere conatur Maldonatus: nec tamen ideo ἀυτόπιστον. Dicit Chemnitius,feſtum hoc vel Paſcha fuiſſe,vel unum ex iis feſtis, quod Paſcha ſecundi anni ſequutum fuit. Etenim Chriſtus,in oratione ſua ad Diſcipulos, Iohannis IV, indicat, quatuor ante meſſem ſive Paſcha menſes per Samariam in Galilæam profectum fuiſſe: unde ad feſtum illud, cujus Iohannes meminit,reverſus fuit. At quatuor menſibus ante meſſem,& Paſcha & Pentecoſte, & Scenopegia ſuperioris anni tranſacta erant. Ad nullum ergo aliud feſtum Hieroſolyma proficiſci poterat, niſi vel Paſcha,vel Pentecoſten,vel denique Scenopegia anni ſequentis. Reſpondet Maldonatus, illa verba: ὅτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται, proverbium eſſe Iudaicum. Sed unde hoc probat? Proverbia ſane communi uſu jactata vera erunt. At verum hoc eſſe non poteſt, niſi quatuor ante Paſcha menſibus. Et quid iſto proverbio aliud indica-

rent,

tent, quam tempus messis tam prope esse? Sed ipse Christus satis indicat, non vanum aliquod, sine ulla ratione, à vulgo prolatum verbum esse, sed illud quod tum verè erat. *Nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses ad messem sunt? Ecce, extollite oculos vestros, & aspicite campos albescentes ad messem.* Quasi diceret: vos ad messem numeratis adhuc quatuor menses (nimirum ad messem naturalem:) at videte campos albescentes frugibus ad messem spiritualem. Manifestum est, hæc eo tempore dicta esse, quo adhuc quatuor ad messem menses residui erant. Contigit vero messis in Iudæa statim post Pascha, sive XVI Nisan. Hæc ergo dicta sunt mense Caslev, quo Pentecoste & Scénopegia acta erant. Sed si initio mensis Caslev hæc dicta sunt, festum illud, cujus Iohannes meminit, potest esse festum Encæniorum, quod XXV mensis Caslev celebratur, cujus solemnitati ipsemet Christus Iohannis X interfuisse dicitur. Adeoque non nisi ex Iohanne tria Paschata certo demonstrantur. Unde nec illud certum est, quod tantopere urgent, quatuor Paschata ex Iohanne colligi; ideoque & tres annos solidos cum parte quarti Christum vixisse. Sed si quatuor Paschata ex Iohanne colligerentur, idq; longe certissimum esset: nil tamen aliud concluderet, quam tres annos solidos cum parte quarti ad minimum vixisse. Minimè vero exinde sequeretur, plures non vixisse. Nam quod Alexander secundo anno Imperii Thebas everterit, tertio ad Granicum pugnaverit, quarto ad Issum, & quinto ad Gaugamela, id quidem demonstrat tot ipsum annos Imperatorem fuisse: nec tamen ideo reliquos annos Imperii excludit. Vidit hoc doctissimus Pater Irenæus: ideoque, quamvis ex Evangelica ratione Valentini sectatores refutaret: minime tamen ipsemet eandem Paschatum rationem ita sequutus fuit, ut annos inde ministerii aut vitæ colligeret. Imo antiquam quandam tradionem sequutus, quadragesimum annum excessisse, & quinquagesimum fere attigisse Christum tradidit. Ex Paschatum ergo ratione nihil certi affirmative concludi potest. Alii ergo ex consensu Patrum annos ministerii eruendos volunt, ac tot constituendos, quot illi proposuerunt. At primo Patres inter se non conveniunt. Ignatius Epistola ad Trallianos tres annos Christum prædicasse dicit. Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Iulius Africanus, Lactantius, Augustinus & alii uno anno. Hos refutat Irenæus, qui quinquagesimum ætatis annum Christum attigisse dicit. Hieronymus duos annos cum parte tertii, sive tria Paschata ministerio Christi tribuit. Quinam heîc igitur sequendi sunt? solusne Ignatius antiquissimus Pater? an Hieronymus? an illi potius

qui Hieronymum antiquitate, Ignatium plurium consensu vincunt? At certum est, hos crassissimè errasse. Etenim Christus, ut antea demonstravimus, baptizatus est XV anno Tiberii. Incepit hic annus XIX Augusti anni Iuliani 73. finitus vero est eodem tempore anni 74. Si ergo XV Tiberii passus est: omnino XIV Nisan, sive vespera Paschatis anni 74, est dies passionis. Quo etiam Coss. fuerunt Rubellius & Fusius Gemini. Baptizatus est Christus post XIX Augusti anni 73 Iuliani. Unde primum Pascha post baptismum est anni 74. At eo passum non esse, Iohannes expressis verbis indicat. Vide vers. 13. & 23. capitis 11. Christus ergo XV anno Tiberii passus non est. Falsumque adeo est, quod tot ac tanti Patres de die passionis prodiderunt. Ipsum quoque Hieronymum & Ignatium falsa, & Scripturis adversa prodere, postea manifestum faciemus. Nihil ergo certius est, quam ex datis certis & infallibilibus characteribus, diem annumq; mortis investigare. Eo enim cognito certo concludere licet, quot annos & paschata post baptismum egerit. Proponit vero Beda lib. de temporum ratione, cap. XLV, duos characteres, quos ipsemet pro certissimis habet, & ab aliis haberi vult. *Nam quod Dominus*, inquit, *XV Luna, feria sexta, crucem ascenderit: & una Sabbathorum, id est die Dominica, resurrexerit à mortuis, nulli licet dubitare Catholico.* Tertium statim addit, sed minus certum. *Quod autem VIII Kal. Aprilis crucifixus, VI Kalendarum earundem die resurrexerit, multorum late Doctorum Ecclesiasticorum constat sententia vulgatum.* Ex his characteribus priores duos Scaliger sequitur, Petavius unicum, medium nempe, sive secundum. Nos primum admittimus, quia cum veritate convenit: reliquos vero duos, ut Scripturis & veritati adversos, rejicimus. Ex illis enim constat Christum Parasceve Paschatis passum. Probabimus illud postea accuratius, ubi alio tempore Christum, alio Pharisæos Pascha comedisse demonstrabimus. Nunc ergo dixisse suffecerit. Incidit vero Parasceve Paschatis semper in XIV Nisan. sive XIV mensis I. Per deductam vero illam disputationem, quam de anno Iudaico libro I habuimus, illud demonstravimus, XV diem mensis Nisan semper convenire Plenilunio civili, quod Æquinoctium vernum proxime excipit. Ibidem totam rationem Neomeniarum Iudaicarum exposuimus, quæ stante templo secundo, adeoque ipsius Christi temporibus in usu fuit. Inde ergo ea petantur, ubi accurate demonstrata sunt. Primus ergo infallibilis, ac plane ἀναντίλεκτος passionis character, est quod incidat in XIV Nisan. Solo enim hoc tempore Pascha celebrari poterat. Quæ de die, quo Servator Pascha comederit, dici possunt,

ſunt, poſtea certiſſimis rationibus explicata habes. Hic ergo primus eſt Secundus æquè infallibilis ac ἀναντίλεκτος paſſionis Character eſt, quod incidat in feriam quintam, ſive diem Iovis, non feriam ſextam, ſive diem Veneris, ſicuti hactenus perperam creditum fuit. Id ex Scripturis fallere neſciis, & ipſius Chriſti certiſſimo, ac omni exceptione majori teſtimonio conſtat. Verba dulciſſimi Servatoris hæc ſunt: Matth. XII v. 40. ὥσπερ γὰρ ἦν Ἰωνᾶς ἐν τῇ κοιλίᾳ τοῦ κήτους τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, οὕτως ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας. *Sicut enim Ionas fuit in ventre ceti tres dies & tres noctes, ſic erit filius hominis in corde terræ tres dies & tres noctes.* Inter omnes conſtat Chriſtum feria prima, ſive die Solis ſurrexiſſe. Propter hoc enim primis ſtatim Eccleſiæ temporibus ab ipſis Apoſtolis in occidente conſtitutum fuit, ut Paſcha Chriſtianorum, quod in memoriam Reſurrectionis Domini & Servatoris noſtri Ieſu Chriſti celebratur, Solis ſemper die ageretur. Sed ex Scripturis hoc ipſum manifeſte demonſtratur. Quippe Evangeliſtæ unanimi conſenſu dicunt, Chriſtum ſurrexiſſe prima Sabbathi vel Sabbathorum. Sabbathum ſeptimus dies hebdomadis apud Iudæos vocatus fuit, eo quod tum Deus quievit ab omni opere ſuo, legemque populo ſuo dedit, hunc diem in quiete tranſigendi. Et hic primus & proprius hujus verbi uſus eſt. Poſtea reliquæ Iudæorum feſtivitates Sabbatha vocata ſunt, ut ex Levit. XXIII patet. Etiam tam late hujus vocis uſus ſe extendit, ut tota hebdomas à parte principaliori denominationem ſumeret, & Sabbathum appellaretur. Hinc illud Lucæ XIIX. νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου. *Iejuno bis in hebdomade.* Neque enim bis eodem die jejunare poterat. Atque juxta hanc rationem totius appellatio ad omnes partes ſe diffudit, ut quivis hebdomadis dies Sabbathum diceretur. Hinc illud apud Horatium: -- --

Hodie triceſima Sabbata. vin'tu
Curtis Iudæis oppedere?

Et apud Iuvenalem:

Obſervant ubi feſta mero pede Sabbatha Reges.

Ille omnes menſis dies Sabbata appellat, hic inter feſta Sabbata, & profeſta, hoc eſt inter dies feſtos & communes diſtinguit: adeoque pro conceſſo ponit dies communes Sabbata appellari. Omnes ergo dies hebdomadis Sabbata dicta fuere: & ad differentiam numerus dierum additus fuit, dieſque ſolis primus dies Sabbati, aut primus Sabbathorum appellatus, dies Lunæ ſecundus Sabbathorum, dies Martis, tertius, & ſic conſequenter, eadem ratione, qua hi ipſi dies Com-

Computiſtis appellantur feria prima, feria ſecunda, feria tertia. Nunc ad Evangeliſtas hæc applicentur. Dicit Marcus cap. XVI, Ἀναςὰς δὲ πρωῒ πρώτῃ σαββάτου. Elliptica eſt oratio, & ſubintelligenda ἡμέρᾳ, quaſi diceret, πρώτῃ ἡμέρᾳ σαββάτου. Neque enim dici poteſt primam horam heic innui. Chriſtus enim XI fere noctis hora, ac incipiente XIII, integra hora ante lucem ſurrexit. At quid eſt primo die Sabbati? Sane non poteſt eſſe primus dies ſolemnitatis Paſchatis. Quippe Paraſceve Paſchatis Chriſtus paſſus eſt: & veſpera ejuſdem diei ſepultus. Sequens dies eſt primus Azymorum. At unum ad minimum diem in ſepulchro manſit, ſiquidem verum eſt, quod veritas ipſa Chriſtus dicit, tres ſe dies & tres noctes in ſepulchro manſurum. Dies ergo quo ſurrexit, non poteſt eſſe primus feſtivitatis Paſchalis. Quid ergo reſtat, niſi ut dicamus eum fuiſſe primum hebdomadis, quæ ab ipſo Chriſto Sabbatum appellatur, Lucæ XIIX. Reliqui Evangeliſtæ vocant hunc diem μίαν τῶν σαββάτων, Hebraiſmum ſecuti. Illic enim primus dies hebdomadis vocatur יום אחד *dies unus*, non יום ראשון *dies primus*. Surrexit ergo Chriſtus mane die ſolis, & quidem antequam dies ipſe inciperet. Id, ut rectius percipiatur, & tota reſurrectionis hiſtoria, alias ſatis intricata, explicetur, accuratius hæc perſequemur. Maria Magdalena illa, ex qua Chriſtus ſeptem Diabolos ejecerat, venit mane, σκοτίας ἔτι οὔσης, ad ſepulchrum; ubi, cum animadvertiſſet lapidem à ſepulchri oſtio revolutum, currit ad Simonem & Iohannem, atque hoc iis indicat. Illi, cum ipſa ſtatim ad monumentum pergunt, ingreſſique, lintea vident, & ſudarium ſingulari loco poſitum. Egreſſique rurſum, domum abeunt. Illa vero remanſit apud ſepulchrum flens, & identidem introſpiciens. Sed cum ſemel introſpiceret, videt duos angelos, unum ad caput, alterum ad pedes in ſepulchro conſidentes, qui dicunt illi, Mulier, quid fles? Illa reſpondet, quia tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum. Hoc dicto, retroſpexit, viditque Ieſum ſibi aſſiſtentem, quem rata hortulanum eſſe, rogat, ut ſi Dominum abſtulerit, dicat ubi eum poſuerit. Ieſus vero, nominato ipſius nomine, ab ea cognitus eſt. Iubet vero ne ſe tangat, quia nondum aſcenderat ad Patrem: Sed abeat & indicet hoc diſcipulis. Quod etiam fecit, Iohann. XX. Atque ſic Ieſus primum ſe revelavit Mariæ Magdalenæ, Mar. XVI. v. 9. 10. Hæc omnia vix unius horæ ſpacio geri poterant. Et tamen multo antea quam Maria ad ſepulchrum venerat, Chriſtus ſurrexerat. Quippe primum Chriſtus ſurrexit: & ſtatim magnus terræ motus factus fuit: ac tum angelus Domini deſcendit, & revolvit lapidem ab oſtio

ab ostio monumenti,&consedit super illũ.Custodes vero maximo terrore affecti sunt,&facti instar mortuorũ.Hæc omnia gesta erant,antequam Maria Magdalena adveniret.Quippe illa nihil aliud vidit aut audivit,quam lapidem revolutum,Ioh.xx. Postquã vero Maria Magdalena in urbẽ perrexerat,ut ea discipulis annunciaret,quæ sibi mandata erant: reliquæ fœminæ(inter quas Maria Magdalena diversa ab altera illa,ex qua septem dæmones ejecti erant)ad monumentũ cum aromatibus venere,ὄρθρου βαθέως,Luc.24.quod Marcus exponit per λίαν πρωῒ, & ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου.Matthæus tempus hoc ita describit,cap.27. ὀψὲ δὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. In quo loco docti,mirum, quantum se torqueant,cum simplicissima ratio sit. Ita enim vertendũ est. *Fine vero Sabbathorum sive hebdomadis, die illa quæ illucebat in primam Sabbathorum, sive illucescente prima Sabbatorum, venit Maria Magdalena & altera Maria.* Vox ὀψὲ & serò denotat,& finem alicujus temporis.Posterior significatio heic locum habet. Ὀψὲ ergo σαββάτων heic idem est, quod Marco διαγενομένου τοῦ σαββάτου. Finita enim, una cum occasu Solis, vespera Saturni,hebdomade priore,liberatæ Sabbathi (tam Paschatis quam hebdomadis) relligione fœminæ aromata coëmerunt, ac nocte præpararunt, ut ungerent Iesum. Omnibusque præparatis,tandem, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων illucescente prima Sabbathi, hoc est, ut Marcus ait,oriente Sole die prima Sabbathorum, venerunt ad sepulchrum. Antea vero quam venirent,eà contigerant,quæ de terræmotu & descensu Angeli,(qui lapidem ab ostio devolverat, & super ipsum considerat, maximoque terrore vigiles perculerat) Matthæus refert. Fœminæ vero advenientes ad sepulchrum, atque ingressæ vident angelum eum (qui vigiles antea terruerat super lapidem, extra monumentum,considens) in monumento ad latus sedentem, qui territas alloquutus, jubet ne timeant, sed abeant & annuncient discipulis & Petro,quod Iesus,quem illæ quærebant,resurrexerat. Illæ ergo è sepulchro egressæ, cum gaudio ad suos tendebant. Sed in via Iesum obviam habentes novum ab ipso mandatum,de hac eadem re, accipiunt. Ad Apostolos vero reversæ,idem narrant, quod Maria Magdalena. Nec tamen fides ipsis habita fuit. Petrus vero, ratus se etiam aliquid circa sepulchrum visurum, rursus revertitur. Et iterum ingressus sepulchrum, lintea eodem modo,quo antea viderat, posita offendit. Admirabundus igitur denuo regressus est Cætera omnia in hac historia plana sunt. Statim enim post hanc revelationem Iesus apparuit duobus euntibus Emmaus:&postea vesperi decem discipulis, absente Thoma: & iterum post xiii dies præsente Thoma. Et ali-

quo tempore post, ad lacum Tiberiadis, manifestavit se Petro, Thomæ, Nathanaeli, Iacobo & Iohanni, filiis Zebedæi, &c. Ex his apparet, plusquam sesquihora ante Solis ortum, die primo hebdomadis, Christum surrexisse. Iam vero ex iis constat, quæ capite III. lib. I. accuratius pertractata sunt, νυχθήμερον, apud omnes in universum gentes in duas generales partes tribui, diem nempe & noctem. Omnes quoque gentes in eo convenire, quod partem illam, quæ dies appellatur ab ortu Solis incipiant, noctem vero ab occasu ejusdem. Quamvis enim varia variis νυχθημέρου initia fuerint, utpote, Iudæis à vespera, Romanis à media nocte, Chaldæis ab ortu Solis, Umbris à meridie: omnibus tamen eadem diei (quatenus ab integro νυχθημέρῳ, sicut pars à toto distinguitur) & noctis initia erant. Et hujus quidem ab occasu, illius vero ab ortu, ut fusius illic à nobis explicatum est. Nec aliter esse poterat, quandoquidem dies, quatenus nocti opponitur, est, juxta omnium gentium consensum, ipsamque naturam, spacium illud temporis, quo Sol supra horizontem est: & contra nox, spacium illud, quo subter. Unde perpetuam noctem illi habere dicuntur, quibus certo tempore anni Sol non videtur. In his vero Christi verbis dies sive ἡμέρα non νυχθήμερον denotat: sed illam partem, quæ nocti opponitur. Dicit enim, Christus erit tres dies & tres noctes in corde terræ. Certum vero illud est, Christum nocte, quæ antecedit diem Solis surrexisse. Quippe Maria σκοτίας ἔτι οὔσης, cum tenebræ adhuc essent, venit ad monumentum: & antequam ea illuc veniret: & Christus surrexerat, & ea omnia contigerant, quæ à Matthæo cap. XXVIII. de terræ motu & vigilibus referuntur. Dies vero tum primum cœpit, cum reliquæ fœminæ ad sepulchrum venirent ἀνατείλαντος ἡλίου. Una ergo nox ea est, quæ est inter Saturni diem & Solis, & una dies est Saturni: tum nox quæ præcedit diem Saturni, est altera nox, dies Veneris est dies secundus. Passus vero Christus est hora sexta diei, sive meridie, & sepultus est vespera ejusdem diei. Vespera vero Sabbathi incepit hora IX diei, quæ nobis est tertia post meridiem. Circa horam ergo quartam post meridiem, diei vero decimam, Christus sepultus est: adeoque die illo duas adhuc horas durante. At si Veneris hic dies erit, utique binis tantum diebus, & totidem noctibus in sepulchro fuerit. Tertiæ noctis, & tertii diei, ne vel unicum momentum adest. Volve enim & revolve, quantum voles: nunquam inde plures dies conficies quam duos, & noctes duas. Dies enim Veneris, cujus hora X. juxta eos sepultus esset, unus dies est. Nox inter Veneris & Saturni una nox. Dies Saturni secundus

dies.

dies. Nox insequens altera nox, qua Christum surrexisse, antea manifestum fecimus, antequam Solis dies adveniret. At dicunt, dies Solis juxta Romanos à XII noctis hora sive media nocte incipit, quod etiam Evangelistæ sequuti sunt. Sed illud quidem longe falsissimum est. Romani diem, quatenus vox illa pro νυχθήμερον usurpata fuit, à media nocte incipiunt. Quatenus vero nocti opponitur, semper ab ortu Solis. vid. cap III. lib. I. ubi isti nonnullorum sive inscitiæ, sive pertinaciæ satis occursum est. Sed si hoc ipsis maxime concederetur, ne sic quidem commentum procederet. Si enim dies à media nocte, ergo nox à meridie inchoanda esset: nisi forte dicere velint, pro singulis noctibus duos semper dies agi, quod egregium inventum est, ac cætera eruditione dignum. Erit ergo unus ille Saturni dies, non ultra unus, sed geminus. A media namque nocte ad meridiem unus dies Saturni erit, à meridie ad vesperam alter dies Saturni. Adeoque unus ille dies erit duo dies, hoc est, unum erit duo, duo tres. Sed neminem adeo stolidum fore arbitror, qui hæc admittat. Id ergo dico, si à media nocte dies incipit, utique etiam nox à meridie inibit. Si ergo dies Solis pro die ideo numerandus erit, quod à media nocte incipiat: ergo Christus non die Veneris, sed nocte, quæ illum diem sequitur, sepultus erit: siquidem, eadem ratione, qua dies à media nocte, etiam nox à medio die inchoanda erit. Adeoq; ne sic quidẽ, nisi duas noctes & duos dies habebunt. Hieronymus in caput secundum Ionæ ita hunc locum explicare conatur. *Nos, inquit, συνεκδοχικῶς totum intelligamus à parte, ut ex eo, quod ἐν Παρασκευῇ mortuus est, unum diem supputemus & noctem, & Sabbathi alteram, tertiam vero noctem, quæ diei Dominicæ mancipatur, referamus ad exordium diei alterius.* Sed non in Matthæo tantùm scriptum est *tres dies*: sed etiam adduntur *tres noctes*. Sane sicut συνεκδοχὴ illic locum habet, ubi pars pro toto sumitur: ita illic minime habere potest, ubi nec totum, nec ulla totius pars comparet. Proponit Christus in sua oratione sex tota sive integra, tres nimirum dies, & tres noctes. Ubi ergo tres hi dies & tres noctes numerari debent, ibi necessario tertiæ noctis & tertii diei pars aliqua erit. At si dies Veneris, dies passionis constituatur: nec tertiæ noctis, nec tertii diei, vel unicum minutum comparebit. Quomodo ergo ea pars pro toto accipi debet, quæ nulla est? Sane si de diebus, quatenus integrum νυχθήμερον comprehendunt, Christus locutus fuisset: satis plausibilis Hieronymi explicatio fuisset. At nunc singillatim de diebus, & singillatim de noctibus loquitur. Talis ergo explicatio heic nullum plane locum habere potest. Neque enim pars ea, quæ non

quo tempore post,ad lacum Tiberiadis, manifestavit se Petro, Thomæ, Nathanaeli, Iacobo & Iohanni, filiis Zebedæi,&c. Ex his apparet,plusquam sesquihora ante Solis ortum,die primo hebdomadis, Christum surrexisse. Iam vero ex iis constat, quæ capite III. lib. I. accuratius pertractata sunt,νυχθήμερον,apud omnes in universum gentes in duas generales partes tribui,diem nempe & noctem. Omnes quoque gentes in eo convenire, quod partem illam, quæ dies appellatur ab ortu Solis incipiant, noctem vero ab occasu ejusdem. Quamvis enim varia variis νυχθημέρου initia fuerint,utpote, Iudæis à vespera, Romanis à media nocte, Chaldæis ab ortu Solis, Umbris à meridie: omnibus tamen eadem diei (quatenus ab integro νυχθημέρῳ, sicut pars à toto distinguitur) & noctis initia erant. Et hujus quidem ab occasu, illius vero ab ortu, ut fusius illic à nobis explicatum est. Nec aliter esse poterat, quandoquidem dies, quatenus nocti opponitur, est, juxta omnium gentium consensum, ipsamque naturam, spacium illud temporis,quo Sol supra horizontem est: & contra nox, spacium illud,quo subter. Unde perpetuam noctem illi habere dicuntur, quibus certo tempore anni Sol non videtur. In his vero Christi verbis dies sive ἡμέρα non νυχθήμερον denotat:sed illam partem, quæ nocti opponitur. Dicit enim, Christus erit tres dies & tres noctes in corde terræ. Certum vero illud est, Christum nocte, quæ antecedit diem Solis surrexisse. Quippe Maria σκοτίας ἔτι οὔσης,cum tenebræ adhuc essent,venit ad monumentum: & antequam ea illuc veniret: & Christus surrexerat,& ea omnia contigerant,quæ à Matthæo cap. XXVIII. de terræ motu & vigilibus referuntur. Dies vero tum primum cœpit,cum reliquæ fœminæ ad sepulchrum venirent ἀνατείλαντος ἡλίου. Una ergo nox ea est,quæ est inter Saturni diem & Solis, & una dies est Saturni: tum nox quæ præcedit diem Saturni, est altera nox, dies Veneris est dies secundus. Passus vero Christus est hora sexta diei, sive meridie, & sepultus est vespera ejusdem diei. Vespera vero Sabbathi incepit hora IX diei, quæ nobis est tertia post meridiem. Circa horam ergo quartam post meridiem, diei vero decimam, Christus sepultus est: adeoque die illo duas adhuc horas durante. At si Veneris hic dies erit, utique binis tantum diebus, & totidem noctibus in sepulchro fuerit. Tertiæ noctis, & tertii diei,ne vel unicum momentum adest. Volve enim & revolve,quantum voles: nunquam inde plures dies conficies quam duos, & noctes duas. Dies enim Veneris, cujus hora X. juxta eos sepultus esset, unus dies est. Nox inter Veneris & Saturni una nox. Dies Saturni secundus

dies.

dies. Nox insequens altera nox, qua Christum surrexisse, antea manifestum fecimus, antequam Solis dies adveniret. At dicunt, dies Solis juxta Romanos à XII noctis hora sive media nocte incipit, quod etiam Evangelistæ sequuti sunt. Sed illud quidem longe falsissimum est. Romani diem, quatenus vox illa pro νυχθημέρῳ usurpata fuit, à media nocte incipiunt. Quatenus vero nocti opponitur, semper ab ortu Solis. vid. cap III. lib. I. ubi isti nonnullorum sive inscitiæ, sive pertinaciæ satis occursum est. Sed si hoc ipsis maxime concederetur, ne sic quidem commentum procederet. Si enim dies à media nocte, ergo nox à meridie inchoanda esset: nisi forte dicere velint, pro singulis noctibus duos semper dies agi, quod egregium inventum est, ac cætera eruditione dignum. Erit ergo unus ille Saturni dies, non ultra unus, sed geminus. A media namque nocte ad meridiem unus dies Saturni erit, à meridie ad vesperam alter dies Saturni. Adeoque unus ille dies erit duo dies, hoc est, unum erit duo, duo tres. Sed neminem adeo stolidum fore arbitror, qui hæc admittat. Id ergo dico, si à media nocte dies incipit, utique etiam nox à meridie inibit. Si ergo dies Solis pro die ideo numerandus erit, quod à media nocte incipiat: ergo Christus non die Veneris, sed nocte, quæ illum diem sequitur, sepultus erit: siquidem, eadem ratione, qua dies à media nocte, etiam nox à medio die inchoanda erit. Adeoq; ne sic quidẽ, nisi duas noctes & duos dies habebunt. Hieronymus in caput secundum Ionæ ita hunc locum explicare conatur. *Nos, inquit,* συνεκδοχικῶς *totum intelligamus à parte, ut ex eo, quod ἐν Παρασκευῇ mortuus est, unum diem supputemus & noctem, & Sabbathi alteram, tertiam vero noctem, quæ diei Dominicæ mancipatur, referamus ad exordium diei alterius.* Sed non in Matthæo tantùm scriptum est *tres dies*: sed etiam adduntur *tres noctes*. Sane sicut συνεκδοχὴ illic locum habet, ubi pars pro toto sumitur: ita illic minime habere potest, ubi nec totum, nec ulla totius pars comparet. Proponit Christus in sua oratione sex tota sive integra, tres nimirum dies, & tres noctes. Ubi ergo tres hi dies & tres noctes numerari debent, ibi necessario tertiæ noctis & tertii diei pars aliqua erit. At si dies Veneris, dies passionis constituatur: nec tertiæ noctis, nec tertii diei, vel unicum minutum comparebit. Quomodo ergo ea pars pro toto accipi debet, quæ nulla est? Sane si de diebus, quatenus integrum νυχθήμερον comprehendunt, Christus locutus fuisset: satis plausibilis Hieronymi explicatio fuisset. At nunc singillatim de diebus, & singillatim de noctibus loquitur. Talis ergo explicatio heic nullum plane locum habere potest. Neque enim pars ea, quæ non

Computiſtis appellantur feria prima, feria ſecunda, feria tertia. Nunc ad Evangeliſtas hæc applicentur. Dicit Marcus cap. xvi, ἀναϛὰς ἢ πρωὶ πρώτῃ σαββάτȣ. Elliptica eſt oratio, & ſubintelligenda ἡμέρα, quaſi diceret, πρώτῃ ἡμέρᾳ σαββάτȣ. Neque enim dici poteſt primam horam heic innui. Chriſtus enim xi fere noctis hora, ac incipiente xiii, integra hora ante lucem ſurrexit. At quid eſt primo die Sabbati? Sane non poteſt eſſe primus dies ſolemnitatis Paſchatis. Quippe Paraſceve Paſchatis Chriſtus paſſus eſt: & veſpera ejuſdem diei ſepultus. Sequens dies eſt primus Azymorum. At unum ad minimum diem in ſepulchro manſit, ſiquidem verum eſt, quod veritas ipſa Chriſtus dicit, tres ſe dies & tres noctes in ſepulchro manſurum. Dies ergo quo ſurrexit, non poteſt eſſe primus feſtivitatis Paſchalis. Quid ergo reſtat, niſi ut dicamus eum fuiſſe primum hebdomadis, quæ ab ipſo Chriſto Sabbatum appellatur, Lucæ xiix. Reliqui Evangeliſtæ vocant hunc diem μίαν τῶν σαββάτων, Hebraiſmum ſecuti. Illic enim primus dies hebdomadis vocatur יום אחד *dies unus*, non יום ראשון *dies primus*. Surrexit ergo Chriſtus mane die ſolis, & quidem antequam dies ipſe inciperet. Id, ut rectius percipiatur, & tota reſurrectionis hiſtoria, alias ſatis intricata, explicetur, accuratius hæc perſequemur. Maria Magdalena illa, ex qua Chriſtus ſeptem Diabolos ejecerat, venit mane, σκοτίας ἔτι οὔσης, ad ſepulchrum; ubi, cum animadvertiſſet lapidem à ſepulchri oſtio revolutum, currit ad Simonem & Iohannem, atque hoc iis indicat. Illi, cum ipſa ſtatim ad monumentum pergunt, ingreſſique, lintea vident, & ſudarium ſingulari loco poſitum. Egreſſique rurſum, domum abeunt. Illa vero remanſit apud ſepulchrum flens, & identidem introſpiciens. Sed cum ſemel introſpiceret, videt duos angelos, unum ad caput, alterum ad pedes in ſepulchro conſidentes, qui dicunt illi, Mulier, quid fles? Illa reſpondet, quia tulerunt Dominum meum, & neſcio ubi poſuerunt eum. Hoc dicto, retroſpexit, viditque Ieſum ſibi aſſiſtentem, quem rata hortulanum eſſe, rogat, ut ſi Dominum abſtulerit, dicat ubi eum poſuerit. Ieſus vero, nominato ipſius nomine, ab ea cognitus eſt. Iubet vero ne ſe tangat, quia nondum aſcenderat ad Patrem: Sed abeat & indicet hoc diſcipulis. Quod etiam fecit, Iohann. xx. Atque ſic Ieſus primum ſe revelavit Mariæ Magdalenæ, Mar. xvi. v. 9. 10. Hæc omnia vix unius horæ ſpacio geri poterant. Et tamen multo antea quam Maria ad ſepulchrum venerat, Chriſtus ſurrexerat. Quippe primum Chriſtus ſurrexit: & ſtatim magnus terræ motus factus fuit: ac tum angelus Domini deſcendit, & revolvit lapidem ab oſtio

ab ostio monumenti,&consedit super illũ. Custodes vero maximo terrore affecti sunt,&facti instar mortuorũ. Hæc omnia gesta erant,antequam Maria Magdalena adveniret. Quippe illa nihil aliud vidit aut audivit,quam lapidem revolutum,Ioh.xx. Postquã vero Maria Magdalena in urbẽ perrexerat,ut ea discipulis annunciaret,quæ sibi mandata erant: reliquæ fœminæ(inter quas Maria Magdalena diversa ab altera illa,ex qua septem dæmones ejecti erant)ad monumentũ cum aromatibus venere,ὄρθρου βαθέως,Luc.24.quod Marcus exponit per λίαν πρωὶ, & ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου. Matthæus tempus hoc ita describit,cap.27. ὀψὲ δὲ σαββάτων, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων. In quo loco docti,mirum, quantum se torqueant,cum simplicissima ratio sit. Ita enim vertendũ est. *Fine vero Sabbathorum sive hebdomadis ; die illa quæ illucebat in primam Sabbathorum, sive illucescente prima Sabbatorum, venit Maria Magdalena & altera Maria.* Vox ὀψὲ & serò denotat,& finem alicujus temporis. Posterior significatio heic locum habet. Ὀψὲ ergo σαββάτων heic idem est, quod Marco διαγενομένου τοῦ σαββάτου. Finita enim, una cum occasu Solis, vespera Saturni,hebdomade priore,liberatæ Sabbathi (tam Paschatis quam hebdomadis) relligione fœminæ aromata coëmerunt, ac nocte præpararunt, ut ungerent Iesum. Omnibusque præparatis,tandem, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων illucescente prima Sabbathi, hoc est, ut Marcus ait,oriente Sole die prima Sabbathorum, venerunt ad sepulchrum. Antea vero quam venirent,ea contigerant,quæ de terræmotu & descensu Angeli,(qui lapidem ab ostio devolverat, & super ipsum considerat, maximoque terrore vigiles perculerat) Matthæus refert. Fœminæ vero advenientes ad sepulchrum, atque ingressæ vident angelum eum (qui vigiles antea terruerat super lapidem, extra monumentum,considens) in monumento ad latus sedentem, qui territas alloquutus, jubet ne timeant, sed abeant & annuncient discipulis & Petro,quod Iesus,quem illæ quærebant,resurrexerat. Illæ ergo è sepulchro egressæ, cum gaudio ad suos tendebant. Sed in via Iesum obviam habentes novum ab ipso mandatum,de hac eadem re, accipiunt. Ad Apostolos vero reversæ, idem narrant, quod Maria Magdalena. Nec tamen fides ipsis habita fuit. Petrus vero, ratus se etiam aliquid circa sepulchrum visurum, rursus revertitur. Et iterum ingressus sepulchrum, lintea eodem modo,quo antea viderat, posita offendit. Admirabundus igitur denuo regressus est Cætera omnia in hac historia plana sunt. Statim enim post hanc revelationem Iesus apparuit duobus euntibus Emmaus: & postea vesperi decem discipulis, absente Thoma: & iterum post XIII dies præsente Thoma. Et ali-

dies. Nox insequens altera nox, qua Christum surrexisse, antea manifestum fecimus, antequam Solis dies adveniret. At dicunt, dies Solis juxta Romanos à XII noctis hora sive media nocte incipit, quod etiam Evangelistæ sequuti sunt. Sed illud quidem longe falsissimum est. Romani diem, quatenus vox illa pro νυχθημέρῳ usurpata fuit, à media nocte incipiunt. Quatenus vero nocti opponitur, semper ab ortu Solis. vid. cap III. lib. I. ubi isti nonnullorum sive inscitiæ, sive pertinaciæ satis occursum est. Sed si hoc ipsis maxime concederetur, ne sic quidem commentum procederet. Si enim dies à media nocte, ergo nox à meridie inchoanda esset: nisi forte dicere velint, pro singulis noctibus duos semper dies agi, quod egregium inventum est, ac cætera eruditione dignum. Erit ergo unus ille Saturni dies, non ultra unus, sed geminus. A media namque nocte ad meridiem unus dies Saturni erit, à meridie ad vesperam alter dies Saturni. Adeoque unus ille dies erit duo dies, hoc est, unum erit duo, duo tres. Sed neminem adeo stolidum fore arbitror, qui hæc admittat. Id ergo dico, si à media nocte dies incipit, utique etiam nox à meridie inibit. Si ergo dies Solis pro die ideo numerandus erit, quod à media nocte incipiat: ergo Christus non die Veneris, sed nocte, quæ illum diem sequitur, sepultus erit: siquidem, eadem ratione, qua dies à media nocte, etiam nox à medio die inchoanda erit. Adeoq; ne sic quidẽ, nisi duas noctes & duos dies habebunt. Hieronymus in caput secundum Ionæ ita hunc locum explicare conatur. *Nos, inquit, συνεκδοχικῶς totum intelligamus à parte, ut ex eo, quod ἐν Παρασκευῇ mortuus est, unum diem supputemus & noctem, & Sabbathi alteram, tertiam vero noctem, quæ diei Dominicæ mancipatur, referamus ad exordium diei alterius.* Sed non in Matthæo tantùm scriptum est *tres dies*: sed etiam adduntur *tres noctes*. Sane sicut συνεκδοχὴ illic locum habet, ubi pars pro toto sumitur: ita illic minime habere potest, ubi nec totum, nec ulla totius pars comparet. Proponit Christus in sua oratione sex tota sive integra, tres nimirum dies, & tres noctes. Ubi ergo tres hi dies & tres noctes numerari debent, ibi necessario tertiæ noctis & tertii diei pars aliqua erit. At si dies Veneris, dies passionis constituatur: nec tertiæ noctis, nec tertii diei, vel unicum minutum comparebit. Quomodo ergo ea pars pro toto accipi debet, quæ nulla est? Sane si de diebus, quatenus integrum νυχθήμερον comprehendunt, Christus locutus fuisset: satis plausibilis Hieronymi explicatio fuisset. At nunc singillatim de diebus, & singillatim de noctibus loquitur. Talis ergo explicatio heic nullum plane locum habere potest. Neque enim pars ea, quæ non

est, pro toto aliquo numerari potest. Videt id Doctissimus Pater. Ideoque statim modestissime subjungit. *Certe mihi hæc videtur interpretatio. Si quis autem istam non receperit, & meliori sensu potest loci hujus exponere sacramentum, illius magis sequenda est sententia.* Fuere quidam qui dicerent tres illos dies & tres noctes, non à sepultura numerandos esse, sed à prima captivitate. Sed eos amice rogatos habeo, ut saltem verba Christi inspicere velint. *Sicut Ionas fuit tres dies & tres noctes in ventre ceti* (ita ut ab eo undiquaque tectus esset, nec à quoquam mortalium conspici posset) *ita etiam erit filius hominis tres dies & tres noctes in corde terræ*, (ita ut neque is à quoquam conspiciatur.) At verò fuitne is in corde terræ, qui in judicio coram sacerdotibus, ac postea Pilato stetit? qui omnibus in cruce pendens, conspicuus erat? Pulchre Chrysostomus ad hunc locũ. οὐ γὰρ εἶπεν ἐν τῇ γῇ, ἀλλ' ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς, ἵνα καὶ τὸν τάφον δηλώσῃ καὶ μηδεὶς δόκησιν ὑποπτεύσῃ. καὶ τρεῖς δὲ ἡμέρας διὰ τοῦτο συνεχώρησεν ἵνα πιστευθῇ ὅτι ἀπέθανεν. οὐ γὰρ τῷ σταυρῷ αὐτῷ μόνον βεβαιοῦται καὶ τῇ πάντων ὄψει, ἀλλὰ καὶ τῷ χρόνῳ τῶν ἡμερῶν. Imo quamvis falsissima hæc explicatio admitteretur, nihil tamen proficerent. Neque enim tum plures quam tres noctes, & duo dies colligi poterant. Tertii diei ne vel unicum quidem minutum esset. Etenim Christus captus non fuit ante noctis tertiam vel quartam. Quippe Iohannes refert, tum cum Iudas egrederetur, noctem fuisse. Λαβὼν οὖν τὸ ψωμίον ἐκεῖνος, εὐθέως ἐξῆλθεν· ἦν δὲ νύξ. Ioh. XIII. v. 30. Post hoc vero tempus Christus longissimam illam orationem valedictoriam habuit, quæ perscripta est cap. XIII. XIV. XV. XVI. & XVII. Iohannis: qua finita, egressus est ad montem olivarum, ingressusque hortum Gethsemanem, cum morte pro nobis conflictari incipit. Atque hæc sane lucta non quadrantis horæ aut semihoræ erat; sed plusquam unius horæ. Id satis manifestum est totum diem illum, qui captivitatem Servatoris antecedit, transactum fuisse, & noctis horas aliquot, antequam caperetur. Ergo non plures dies sunt quam bini, dies nempe Veneris & Saturni. Noctes vero tres. At Christus expressis verbis dicit, tribus diebus & tribus noctibus. Demonstravimus ergo Christum die Veneris, sive feria sexta passum non esse. Iovis ergo, aut Mercurii omnino passus fuerit. Sed non Mercurii. Quippe tum solidas quatuor noctes, & partem quarti diei in sepulchro mansisset, hoc est, tria solida νυχθήμερα, cum parte dimidia quarti: quod Scripturis adversum est. Marci enim X. v. 34. expressis verbis dicit Christus se à mortuis resurrecturum τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. At non is tertio die dici potest aliquid facere, qui expletis solidis tribus diebus cum quarti dimidio, demum opus aggreditur.

Multo

Multo minus illis diebus, qui Mercurii diem antecedunt, passio convenire potest. Reliquum ergo nihil aliud est, nisi ut dicamus die Iovis ipsum passum fuisse: ac vesperi, circa horam diei x. (nobis i v. post meridiem) sepultum. Vide quæ de vesperis Iudæorum lib. i. cap. iii. à nobis dicta sunt. Atque ita omnia se recte habent. Duæ enim horæ cum parte tertiæ, diei Iovis (recte, ac familiari Scripturæ, imo & historicorum more) pro die numerantur. Hic ergo unus dies est; nox sequens, prima nox: dies Veneris secundus dies: nox insequens altera nox. Dies demum Saturni tertius dies: & nox insequens tertia nox, cujus x aut xi hora, circa quartam matutinam nostram, Christus surrexit. Atque hanc antiquæ Ecclesiæ opinionem fuisse, exinde patet, quod Theophilus Cæsariensis antiquus vicinusque Apostolorum temporibus Doctor, cum tota Synodo Cæsariensi, disertis verbis, quarto post passionem die, Christum resurrexisse, tradat. Nam cum tradidisset Christum xi. Kal. Aprilis passum fuisse, subjungit viii. Kal. surrexisse. Verba ipsius ex epistola Synodica (quam adversus eos, qui decimaquarta Luna cum Iudæis Pascha celebrabant, una cum cæteris Palæstinæ Episcopis scripsit) apud Bedam lib. de temp. rat. cap. xlv. hæc sunt. *Passus namque Dominus ab xi Kalendas Aprilis qua nocte ab Iudæis est traditus, & ab viii Kal. Aprilis resurrexit. Quomodo tres dies foras terminum excludentur?* xxv dies Martii sive viii Kalendas Aprilis, in prima Ecclesia, extremus Paschatis terminus erat, ante quem Pascha celebrari non debebat. Ibi namq;, primis Ecclesiæ temporibus, Æquinoctium civile hæsit. Theophilus vero xi. Kal. Aprilis, sive Martii xxiii, ideo terminum esse vult: quod isto die Christus passus sit. *Quomodo enim*, inquit, *tres dies foras terminum excludentur?* Manifestum ergo est Theophilum cum universa Synodo existimasse, Christum, quarto die ante Dominicum, passum fuisse. Sed respondet Petavius, Theophilum dicere Christum passum fuisse ab xi Kalendas. Adeoq; indicatur spacium illud temporis, quo passus est, cujus initium dependet ab xi Kal. Aprilis. Sed ergone etiam eadem phrasi, postea spacium aliquod resurrectionis denotatur? Eadem utrobique phrasis est *ab* xi *Kal. April. passus est, & ab* viii *Kal. Aprilis surrexit.* Idiotismus est Scriptoris, quem temere alius, nisi ex ipsius verbis, explicuerit. Bridefertus vero Ramesensis antiquus Bedæ Scholiastes (qui epistolam se illam habuisse dicit, & ideo melius de toto hoc argumento judicare poterat) refert se eam non apposuisse, quod diceret Christum xi Kal. passum, & viii. resurrexisse: ex quo colligeretur Christum quatuor dies in sepulchro

 fuisse.

fuisse. Verba ipsius sunt: *Epistolam hic ponere nolui, quia magis irrisionem præstat insipientibus, quam ædificationem sapientibus, eò quod Dominum nostrum Iesum Christum XI Kal. Aprilis fuisse passum, & VIII Kal. eum resurrexisse pronunciat, quod nimis absurdum est.* Et statim post: *Theophilus dicit, Dominum XI Kal. Aprilis fuisse passum, & VIII Kal. resurrexisse, sed non est verum, quia non jacuit quatuor dies in sepulchro* Ideo se dicit Epistolam adponere noluisse, quod absurdum quoddam dogma proponeret, juxta quod Christus quatuor dies jacuisset in sepulchro. Vides Bridefertum disertis verbis indicare, hanc Theophili & Synodi Cæsariensis opinionem fuisse, quod Christus non solum XI Kal. passus sit, verum etiam eodem sepultus sit. Atque sic XI Kal. numeratur pro uno die, X. pro altero, IX. pro tertio, & VIII. pro quarto, quo resurrexit. Sed perperam existimat idem Ramesensis, Theophilum in his errasse. Quin potius illi omnes errarunt, qui pauciores dies morti Christi tribuerunt, ut ex Scripturis demonstratum est. Antiquissimæ ergo Palæstinæ Ecclesiæ hanc opinionem tenuerunt, qua Christus die Iovis sepultus, insequenti Solis resurrexit. Tres quoque dies in sepulchro mansisse Chrysostomus asserit, sicut ex iis verbis, quæ antea citavimus, liquet. Sed mirus error est Epiphanii, qui cum communem aliis errorem sequutus fuisset, proprium postea addidit, erroremque errore cumulavit. Christum namque passum dicit feria VI, captum vero feria III. (Vid. Hær. LI. & Exposit. fidei Catholicæ Num XXII.) quod longe falsissimum est. Ubi enim duos, imo tres illos dies detentus fuit. Ex Evangelistis enim manifestum est, Christum ea nocte, quam passionis insequuta est dies, comprehensum fuisse. Nocte enim, ea omnia contigerunt, quæ preces & luctam in horto, captivitatem ipsam, examen Pontificum, irrisionem ac illusionem servorum concernunt: quæ omnia ita demum concludit Lucas cap. XXII. v. 66. Καὶ ὡς ἐγένετο ἡμέρα, συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ ἀρχιερεῖς τε καὶ γραμματεῖς. Atque hi cum quæsivissent à Christo an filius Dei esset, isque id affirmasset, condemnarunt eum, statimque ad Pilatum duxerunt. Erat vero mane cum Pilatum convenirent, atque ibi usque ad XI. & fere XII. horam manserunt. Ac tum crucifixus est Christus, & post tertiam horam mortuus est. Id ergo demonstratum nobis est, Christum passum esse XIV. mensis Nisan, feria quinta, sive die Iovis. Adeoque falsum esse, quod Beda, & eum ἀβασανίστως secuti, de feria sexta asserunt.

CAP.

CAP. V.

Christus alio tempore quam Iudæi Pascha comedit. Vox Paschatis, Azymorum, aliaque quæ illuc spectant explicantur. Quid sit Chagiga XIV *diei. Locus Deut.* XVI. v. 4. *contra Cloppenburgium explicatur. Majemon notatur, &c.*

PRæter duos hosce certos ac infallibiles characteres, etiam tertium Scriptura monstrare videtur. Ex Scripturis namque manifestum est, alio tempore Iudæos, alio Christum Pascha comedisse. Cujus rei causam cum Docti quærant, nec certi quidquam inveniant, variis modis veros characteres conturbant. Nos, ut certi ac veri characteres, priori capite à nobis propositi, suam certitudinem obtineant: & novus his character ex hac observatione accedat: rem accuratius consideremus. Duplex heic quæstio est: prior, εἰ ἔστι; altera, διὰ τί. Non enim ilud solum in controversiam venit, cur Christus alio tempore Pascha, quam Iudæi comederit: sed etiam an diverso à Iudæis tēpore id ipsum fecerit. Quippe Alphonsus Tostatus, & eum secutus Cardinalis Baronius, ex Catholicis: ex Reformatis H. Brughtonus & Cloppenburgius acriter contendunt, eodem die Iudæos Pascha comedisse, quo Christus. Duæ vero præcipuæ causæ sunt, quibus moti à communi opinione recesserunt. Prima est quod exstiment, nullam sufficientem causam dari posse, cur Iudæi diverso à Christo tempore Pascha celebrarent. Altera quod Pascha alibi immolari non posset quam in templo: nec ante comedi, quam adeps igne absumptus, & sanguis ad altare delatus esset. Sed ideo rem manifestam negare; quod causas ejus ignoremus, longe stultissimum est. Sed tamen causa hujus rei postea dabitur, omnibusque iis, quæ contra hæc objici possunt, satis fiet. Quod vero de agnis Paschalibus dicunt in templo immolandis, id unico Majemonidis loco firmāt, ex quo probare conantur, nō licuisse Pascha comedere, nisi in atrio templi immolatum. Sed istud quidem ex Philone Iudæo refutatur, qui expressis verbis indicat, Paschatis festivitate omnes Iudæos Sacerdotum munere ita fungi, ut quivis suæ domui agnum immolare posset. ἐν ᾗ ἑορτῇ, verba Philonis sunt, θύουσι πανδημεὶ αὐτῶν ἕκαστος, τοὺς ἱερεῖς αὐτῶν οὐκ ἀναμένοντες, ἱερωσύνην τοῦ νόμου χαρισαμένου παντὶ τῷ ἔθνει ἡμέραν μίαν ἐξαίρετον ἀνὰ πᾶν ἔτος. Cui ex his duobus fides habenda erit? Philonine? qui ipsis Christi temporibus vixit, eaque, quæ quovis anno & præ oculis habebat, & ipse

ipſe agebat, refert? an Majemonidi, poſt tot ſecula nato, & qui nullam unquam Paſchatis celebrationem vidit? Non enim poſt vaſtatum à Tito templum Iudæi unquam Paſchalem agnum immolarunt. Neque enim extra Hieroſolyma illud facere poſſunt. Sed ut hæc omnia rectius percipiantur ac intelligantur, ea omnia, quæ ad Paſchatis rationem ſpectant, paulo accuratius pertractanda ſunt. Deus ter maximus cum populum ſuum ex captivitate Ægyptiaca educere vellet, præcepit Iſraelitis, ut menſem illum, cujus quintadecima poſtmodum egreſſi ſunt, primum menſium conſtituerent, ac decimo die illius menſis, quivis pro ſe ex grege ſuo agnum anniculum maſculum eligeret, eumque domi ſuæ conſervaret, uſque ad quartum decimum illius menſis. Die vero quartodecimo, quivis agnum illum immolare debebat בין ערבים inter duas veſperas (hoc eſt, poſt horam tertiam à meridie, & ante horam ſextam, ut lib.1.cap.III. à nobis explicatum eſt) ſanguinemque agni poſtibus & ſuperliminari illinere; agnum vero ipſum igni toſtum noctu comedere, ita ut nihil plane exinde relinqueretur ad matutinum tempus diei ſequentis. Et hoc ſacrificium פסח vocatum fuit, eo quod Dominus Ægyptios perdens, viſo ſuper poſtes agni ſanguine, nullum Iudæis detrimentum adferret, ſed eorum domos tranſiret. *Videbo*, inquit, *ſanguinem* ופסחתי *& tranſibo.* Prima ergo ſignificatione פסח, ſive פסחא Chaldaice, ſacrificium illud denotat, quod in Paraſceve Paſchatis inter duas veſperas à Iudæis immolatum fuit. Exod.XII.v.21. & paſſim alibi. Cum verò unus agnus toti familiæ non ſufficeret, aliæ epulæ adjunctæ fuerunt, quas poſteriores Chagiga dixerunt: de quibus tamen epulis Rabbini omnes conſentiunt, non præcepti eas fuiſſe, ſed permiſſionis. Unus Majemonid. inſtar omnium erit, qui in Korban Péſah, ita ſcribit cap.x. parag. 12. חגיגה ארבעה עשר רשות ואינה חובה ונאכלת לשני ימים ולילה אחד ככל זבחי שלמים *Hagiga XIV. diei eſt permiſſionis non præcepti, & comeditur dies duos, & noctem unam, ſicut omnia ſacrificia pacifica.* Atque hæ Chagigæ ex bobus aliisve animalibus erant: Paſcha vero tantùm ex agnis aut hædis. Utrumq; liquet ex Chronic.XXXV. ubi Ioſias dicitur obtuliſſe pro filiis populi, צון כבשים ובני עזים הכל לפסחים *pecora ovium & hædorum, ad Peſachim ſive ſacrificia Paſchalia, ter mille, & boves III. M.* Immolabat vero hoc ſacrificium quivis Pater familias in ſua domo aut tentorio. Poſt ingreſſum vero terræ Canaan, omnes illuc convenire debebant, ubi tabernaculum Domini erat. Deuter. XVI. v. 5. *Non potes immolare Paſcha in ulla alia civitate, quam Dominus Deus tuus dederit tibi, niſi in illa quam Dominus elegerit, ut conſtituat nomen*

ſuum

suum ibi. Pascha ergo alibi nec immolari, nec comedi poterat, quam in eo loco, ubi templum esset, hoc est, post tempora Davidis, Hierosolymis. Et hæc causa est, cur Iudæi nunc in dispersione Pascha non comedant. Omnes ergo sexus virilis conveniebant Hierosolymis: ibique, quivis pro se paterfamilias, Pascha sibi & suis immolavit. Sed posterioribus seculis cum religio in oblivionem venisset, multique ex Patribusfamiliarum, verum modum immolandi Pascha ignorarent: Levitæ pro ipsis agnos mactarunt, ac Pascha præpararunt, ut ex II. Chron. XXX. capite liquet. Cum enim multi ex Israelitis, ex tribu Asser, Manasse & Sebulon, Hierosolyma, Ezechiæ rogatu, ad Pascha celebrandum venissent, modumque celebrandi ignorarent, Levitæ pro iis administrabant. v. 7. *Erant namque multi in cœtu illo qui se non sanctificaverant, ideo mactabant Levitæ Pascha pro iis qui mundi non erant, ut hos sanctificarent coram Domino. Plurimi enim ex Ephraim & Manasse, Isaschar & Sebulon erant immundi, nec comederunt Pascha, sicut scriptum est: sed Ezechias oravit pro iis, dixitque: Dominus, qui bonus est, faciet reconciliationem pro illis.* Idem postea quoque observatum fuit, cum Iudæi ex captivitate Babylonica reversi, paternorum rituum ignari essent. Tum enim Sacerdotes & Levitæ, non solum pro semet ipsis Pascha immolarunt: verum etiam pro omnibus filiis exilii, etiam pro Sacerdotibus quibusdam, qui in longa illa captivitate legem dedicerant. Esdræ VI. v. 20. Atque id ipsum postea observatum fuit, cum jam per universum orbem Iudæi dispersi essent, ut si quis ignarus modi offerendi Paschatis Hierosolyma veniret, is Levitam pro se haberet, qui immolaret. Præterea, cum plurimi, qui ex longinquis oris venerant, commodum satis hospitium Hierosolymis habere non possent, ubi agnum præpararent ac immolarent: locus quidam publicus circa templum ordinatus fuit, ubi multa agnorum & hædorum millia in certis fornacibus præparabantur, unde advenæ omnes, agnos Paschales, habebant. De his loquitur Talmud, ubi de causis intercalationis in anno agit. Vid. lib. I. cap. de anno Iudaico. Et si de his hominibus, Majemonides, loco antea laudato, locutus fuisse dicatur: verba ipsius vera esse possunt. Nam si absolute hæc accipienda sunt, contrarium Philoni Iudæo, doctissimo homini, & suorum temporum testi optimo, dicet. Qui ergo vel modum immolandi ignorarent, vel agnos Paschales aliunde non haberent: agnis, circa templum, à Sacerdotibus, immolatis, utebantur. Reliqui vero Patres familiarum pro se immolabant. Comedebant verò agnum vespera, ac noctu, quæ præcedit XV Nisan, omniaque quæ ex agno residua

 erant,

erant, ante lucem die ſequentis comburebant. Ubi inſignis Iudæorum ſycophantia eſt, qui ne religionem primi diei violarent, hæc uſque in diem XVI Niſan reſervarunt. Ita enim codice Peſachim cap. 7. legitur. העצמות והגידין והנותר ישרפו בי״ו חל ששה עשר להיות שבת ישרפו בי״ז *Oſſa & nervi & reliqua comburebantur XVI Niſan, & ſi is incidat in Sabbatum, XVII.* At expreſſis verbis mandatum fuit, ut omnia ante lucem ſequentis diei conſumpta eſſent. Deut. XVI. v. 4. Exod. XII. v. 10. & cap. XXXIV. v. 25. Errarunt ergo, ſicut in aliis multis, ita etiam heîc Phariſæi, Deique præceptum ſpeciale, propter ſuas doctrinas humanas violarunt. Atque hæc prior vocis *Paſcha* ſignificatio eſt, in qua pro ſacrificio illo ſumitur, quod XIV Niſan inter duas veſperas immolabatur. Ex hoc autem ſacrificio ipſum quoque tempus, quo ſacrificium peragebatur, Paſcha vocatum fuit. Qua appellatione à reliquis diebus, quibus Azyma comedebantur, diſtinguebatur. Levit. XXIII. v. 4. 5. 6. *Hæ ſunt feſtivitates Domini, quas vos vocabitis ſanctas congregationes temporibus debitis. Primo menſe, XIV. die menſis, inter duas veſperas Paſcha eſt Domino. Decimoquinto die ejusdem menſis, feſtum Azymorum Domino.* Atque ita loquitur Ioſephus lib. III. ἀρχαιολογίας, cap. X. καὶ τὴν θυσίαν ἣν τότε ἐξιόντας Αἰγύπτου θῦσαι συνέβη ἡμᾶς, Πάσχα λεγομένην, δι' ἔτους ἑκάστου θύειν ἐνόμισε, καὶ δὴ τελοῦμεν αὐτὴν κατὰ φρατρίας, μηδενὸς τῶν τεθυμένων εἰς τὴν ἐπιοῦσαν τηρουμένου. πέμπτῃ δὲ καὶ δεκάτῃ διαδέχεται τὴν τοῦ Πάσχα ἡ τῶν Ἀζύμων ἑορτὴ ἑπτὰ ἡμέρας οὖσα, &c. Quia vero poſt medium illius noctis, quæ XIV diem Niſan ſequitur, adeoque XV die Niſan, quæ à veſpera præcedente cœperat, filii Iſrael ex Ægypto egreſſi ſunt: etiam XV dies Niſan חג פסח ſive *feſtum tranſitus* appellatum fuit. Sicut enim XIV diei Niſan Paſchæ ſolemnitas tribuitur, eo quod ſacrificium Peſach (cujus ſanguine quondam viſo interfector primogenitorum in Ægypto Iſraelitarum ædes tranſilierat) eo tempore immolatur: ita etiam dies XV. Peſach, ſive tranſitus appellatus fuit, quo & Angelus domus Iudæorum prætererat, & ipſi Iſraelitæ ex captivitate in libertatem tranſiliverant. Unde etiam feſtum hoc Græcis τὰ διαβατήρια appellatum fuit. Feſtivitas vero Azymorum ſeptem ſolidos dies duravit. Omne enim fermentum ex domibus exſtirpare debebant, antequam agnum Paſchalem immolarent. Exod. XXXIV. v. 25. Statim enim poſt prandium diei XIV Niſan fermentum eliminabant, circa horam V. diei hoc eſt XI noſtram, ut Majemonides aſſerit, tractatu חמץ ומצה cap. 1. Sic ergo dies XIV. Niſan eſt primus Azymorum, quandoquidem illo eliminatur fermentum, ac veſpera ejus Azyma comedi incipiunt. Exod. XII. v. 15. Deut. XVI. v. 4. Alibi tamen & XV

Niſan

Niſan primus dies Azymorum dicitur, Levit. XXIII. v. 6. 7. eo quod is primus integer dies ſit, quo Azyma comeduntur. Vid. Aben Ezram ad Deut. XVI. 4. & Sal. Iarchi ad Exod. XII. v. 15. Feſtivitas ergo illa, qua filii Iſrael in memoriam miſeriarum, quas in Ægypto perpeſſi erant, per ſeptem dies panem miſeriæ & tribulationis comederunt, (Deut. XVI. 3.) vocabatur Ebræis חג המצות, Græcis ἑορτὴ τῶν Ἀζύμων. Paſchatis vero nomen dupliciter uſurpatur: vel enim ſacrificium illud denotat, quod in memoriam tranſitus Domini celebrabatur, quo Iſraelitarum domos tranſilivit primogenitos Ægypti interficiens: vel etiam pro ipſo tempore, quod Iudæis ſolemni feſtivitate agebatur; eo quod illo ipſo die ex Ægypto egreſſi fuerant. In ultima hac ſignificatione ſpacium 24 horarum continet, tempus nimirum illud, quod eſt ab initio veſperæ ſive noctis, quæ præcedit diem XV, uſque ad finem diei XV Niſan, & noctem diei XVI. Nunc ex his Evangeliſtæ explicandi ſunt. Matthæi verba hæc ſunt cap. XXVI. verſ. 17. Τῇ δὲ πρώτῃ τῶν Ἀζύμων προσῆλθον οἱ μαθηταὶ τῷ Ἰησοῦ, λέγοντες αὐτῷ· ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ Πάσχα. ὁ δὲ εἶπεν· ὑπάγετε εἰς τὴν πόλιν πρὸς τὸν δεῖνα....... Καὶ ἐποίησαν οἱ μαθηταὶ ὡς συνέταξεν αὐτοῖς ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἡτοίμασαν τὸ Πάσχα. Idem habes apud Marcum cap. XIV. v. 12. Καὶ τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν Ἀζύμων, ὅτε τὸ Πάσχα ἔθυον, λέγουσιν αὐτῷ μαθηταὶ αὐτοῦ, &c. Initio vero capitis, ubi de conſilio Phariſæorum agit, ita ſcribit: ἦν δὲ τὸ Πάσχα, καὶ τὰ ἄζυμα μετὰ δύο ἡμέρας. Lucas autem cap. XXII. v. 1. ἤγγιζε δὲ ἡ ἑορτὴ τῶν Ἀζύμων ἡ λεγομένη Πάσχα. & poſtea verſ. 7. ἦλθε δὲ ἡ ἡμέρα τῶν Ἀζύμων ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ Πάσχα. Ex quibus verbis inter ſe collatis, id primum manifeſtè conſtat, Chriſtum XIV Niſan Paſcha comediſſe: is enim erat primus dies Azymorum, quo debebat immolari Paſcha, & quo etiam die alii præter Chriſtum ἔθυον τὸ Πάσχα. Hac vero ipſa nocte, poſt inſtitutum Sacramentum Cœnæ, Chriſtus à Iudæis captus fuit: Ut ex conſentiente Matthæi, Marci & Lucæ Evangelio patet. Mane vero diei ſequentis ad Pilatum ductus eſt: ac demum circa ſextam horam condemnatus & crucifixus. Si ergo dies ille, cujus ſequenti veſpera Chriſtus Paſcha comedit, eſt XIV Niſan; Ergo dies ipſe, quo paſſus & crucifixus eſt, erit omnino XV Niſan: adeoque in magno feſtivitatis die Chriſtus crucifixus erit. At Iohannes diſertis verbis indicat, pedum lotionem ipſam Paſchalem cœnam præcedere, πρὸ τῆς ἑορτῆς τοῦ Πάσχα. cap. XIII. v. 1. Et poſtea, eo ipſo die, quo paſſus eſt, (qui ut diximus juxta Chriſti rationem erat XV Niſan) Sacerdotes ſibi cavebant, ne ingreſſu Prætorii immundi fierent. Καὶ αὐτοὶ οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ᾽ ἵνα φάγωσι τὸ Πάσχα. At ſi nondum

 dum

dum Pascha comederant: ergo neque XV Nisan advenerat. Vox enim Pascha geminam tantum significationem habet: vel enim tempus denotat, vel sacrificium. Manifestum vero est, phrasin hanc φαγεῖν τὸ Πάσχα de sacrificio, non de tempore explicandam esse. At vox Pascha nunquam aliud sacrificium denotat, nisi agnum illum aut hædum anniculum, qui XIV Nisan inter duas vesperas mactabatur, & eadem nocte cum intybis aliisque acetariis comedebatur. Regerit Barronius, quovis die ex septem Azymorum, sacrificium aliquod oblátum fuisse, quod Pascha appellatum fuit. At unde hoc exsculpsit? Vanissima hæc conjectura est, quę manifestis Scripturę verbis refutatur: quæ, illud tantùm sacrificium, Pascha vocat, quod XIV Nisan inter duas vesperas mactatur. Sed Cloppenburgius regerit, Chagigam XIV diei heic intelligi. At quis ipsum docuit, Chagigam Pesach appellari? Adducit locum ex Deut. XVI. v. 8. *Et immolabis* פסח ליהוה צאן ובקר *Pascha Domino oves & boves.* Ex quo concludit, etiam Chagigam, quæ ex bobus erat, Pesach dici. Auctorem hac in re sequitur Majemonidem, qui in Korban Pesach verba hæc ad Chagigam refert. Sed turpissime erravit Majemon, qui in hoc eodem tractatu dicit, Chagigam non esse præcepti, sed permissionis. Siquidem in hoc loco legis ejus mentio fiat: adeoque non permissionis sit, sed præcepti. Antiqui commentatores locum hunc exponunt, ut solam vocem צאן ad פסח referant, בקר vero ad victimas pacificas. Et sic Onkelus in sua Paraphrasi, quem sequitur Aben Ezra. Eundem sensum ipse Majemonides sequitur. Neque enim dicit, Chagiga alicubi Pesach appellari, sed tantum mentionem Chagiga in loco hoc Deuter. fieri. Sed optime locum hunc exponit Ionathan Uzielis, qui ita hæc Chaldaice transtulit: ותכסון פסחא קדם יי אלהכון בני שמשתאר ועון ותורי בכרן יומי *Et immolabis Pascha coram Domino Deo tuo inter vesperas, ac oves & boves in crastino die.* Verba Scripturæ hæc sunt: *Observa mensem Abib ut celebres Pascha coram Deo, quia mense Abib eduxit te Dominus Deus ex Ægypto, nocte: & immolabis Pascha Domino Deo tuo, oves & boves in loco quem Deus elegerit.* Nimirum vox Pascha denotat primo loco festum illud, quod Israelitæ in memoriam transitus ex Ægypto celebrabant, tam vespera XIV, quam ipso die XV Nisan. Hoc ergo festum, quod XIV die, circa vesperam inchoatum, XV die actum fuit, jubet Mosch ut celebrent: ita quidem ut immolent Pascha (sacrificium illud ita vocatum) vespera XIV diei; XV vero die unum arietem, & septem agnos anniculos, & duos boves; Num. XXVIII. vers. 19. hoc est oves & boves. Sed demus Cloppenburgio, Chagigam XIV. heîc intel-

intelligi;quid inde colliget? בשר חגיגה שעלה עם הפסח על השלחן וכל התבשילין העולים עמו על השלחן מתבערין עמו *Caro Chagiga, quæ apponitur in mensa cum Paschate, & pulmenta omnia, quæ cum ipso apponuntur in mensa, una cum ipso comburuntur.* inquit Majemon Korban Pesach cap. x. At agni residuum nocte xv Nisan comburi debebat. Exod. xii. v. 10. & cap. xxxiv. v. 25. & Deut. xvi. v. 4. Equidem non me fugit, Talmudistas statuere, residua comburenda esse xvi Nisan, ne Sabbathum violetur. Verba ipsorum ex Codice Pesachim sunt: העצמות והגידין והנותר ישרפו בי״ו חל ששה עשר שבת ישרפו בי״ז *Ossa & nervi, & reliqua comburebantur xvi Nisan, &, si is sit Sabbathum, xvii.* Sed istud quidem ex vanissimis superstitiosorum hominum disputationibus natum fuit. Stante sane templo, hoc est quamdiu agnos Paschales comederunt, nunquam: in usu fuit. Iosephus namque eruditissimus Iudæus, & omnium sectarum instituta perdoctus, ante diem xv. omnia comburi tradit, ἀρχαιολογίας lib. iii. cap. x. μηδὲν τῶν τεθυμένων εἰς τὴν ἐπιοῦσαν τηρεῖν. Ubi manifeste indicat, & agnum ipsum, & ea, quæ cum agno mactabantur, & mensæ inferebantur, absumpta fuisse. Quod ipsum ex lege manifestum est, Deut. xvi. v. 4. *Et non relinques quicquam ex carne illa quæ primo die mactata fuit in crastinum.* Falsum ergo est, quod de carne Chagigæ diei xiv tradit Majemon, quod illud una nocte, & duobus diebus comederetur. Id enim & legi contrarium est, & praxi Iudæorum, ut ex Iosepho demonstravimus. Si ergo concederemus Cloppenburgio, Chagigam xiv diei Pascha dici, quod ipsum tamen falsum est, nihil tamen exinde efficere posset. Nocte enim, quæ diem passionis Christi antecedit, Chagiga xiv. cum reliquiis agni combusta fuisset: siquidem Iudæi omnes, eadem vespera, qua Christus, Pascha comedissent: ideoque sequenti vespera Pascha comedere non poterant. Sed non satisfecit sibi ipsi in hoc argumento Cloppenburgius. Aliam ergo responsionem ex Buxtorfio petit, qui asserit, Iudæos iisdem ceremoniis cœnare, vespera xv Nisan, quibus priori. Mirum argumentandi genus. Buxtorfius de iis solummodo Iudæis loquitur, qui in exilio non Pascha, sed Azyma tantum comedunt, quique propter incertitudinem visionis Lunæ in terra Israelis, biduo omnia fere festa observant. Quid ergo illud ad esum agni Paschalis? quid ad Iudæos tempore Christi? Quæritur an epulum istud, quod Iudæi xv Nisan finito comedunt, Pascha appellari possit. Respondet de iis, qui nullum Pascha comedunt. Sed aliquid respondere debebat, ne causa cecidisse videretur. Verum Iohannis verba ex cap. xix. v. 14. tam aperta & clara sunt, ut per illa

 Clop-

Cloppenburgio muto eſſe liceat. Ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ Πάσχα, ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη, cum Pilatus Chriſtum morti damnaret. Sed neque nunc manus ſubmittunt. Dicunt enim, Paraſceven Sabbathi heic intelligi. Bene quidem. Nam & ita Lucas loqui videtur: καὶ ἡμέρα ἦν παρασκευὴ, καὶ σάββατον ἐπέφωσκε. Quippe omnes feſti dies, quibus ab opere quieſcere Iudæi debebant, Sabbatum in lege vocantur. Et ſic primus quoque dies Azymorum, quo nullum opus facere licuit, niſi quod cibos & victum concerneret, Sabbatum jure appellatur. Sed ſi heic Sabbatum hebdomadis intelligant, falſi ſunt. Neque enim Peſach ſemper in Sabbatum hebdomadis incidit: neque Paraſceve Sabbati hebdomadis etiam eſt Paraſceve Paſcha. Imo, qualis eſt iſta reſponſio? Scriptura dicit, erat Paraſceve Paſchatis: illi dicunt, erat dies magnus Paſchatis, Paraſceve vero Sabbathi. At ſi Iudæis dies magnus Paſchatis erat, non poterat eſſe Paraſceve Paſchatis. Quid enim eſt Paraſceve? Dies ſane, qui feſtum diem proxime præcedit, cujus Paraſceve vocatur. Sic Paraſceve Sabbati hebdomadis, eſt feria ſexta: quod pueris notum eſt. Paraſceve ergo Paſchatis non poteſt eſſe magnus dies Paſchatis. Hoc eſt, decimusquartus Niſan non poteſt eſſe decimusquintus, niſi duo dies ſint unum. Et quid huc facit Paraſceve Sabbathi hebdomadis? Neque enim feria ſexta paſſus eſt Dominus, ſed feria quinta, ut jam demonſtravimus. Heic ſane illud valet, ſi uſpiam alibi. Baculus ſtat in angulo, ergo cœlum eſt rotundum. Manifeſtum eſt, Iudæos illos, qui Chriſtum accuſarunt, agnum Paſchalem, ea veſpera comediſſe, quæ mortem Chriſti inſecuta eſt. Et quia Chriſtus veſpera præcedenti illud fecerat, ea nempe, qua captus fuit, ergo Iudæi uno die tardiores erant. Unicum illud argumentum ex Majemonide, de agno Paſchali in templo & à Sacerdotibus mactando, quod attinet: illud ex Philone refutatur, ſi generaliter explicetur. Si vero eo modo, quo nos antea expoſuimus; admitti poteſt. Sed tum huc nihil facit. Namque & Chriſtus legem perfecte noverat, utpote legis auctor & Dominus: & de hoſpitio & agno optime ſibi ſuiſque procurare poterat, omnium rerum creator & Dominus. Cauſas vero, quod attinet, ob quas alio die Chriſtus, alio Iudæi Paſcha egerint, de iis nunc agendum eſt.

CAP. VI.

Cauſæ, cur alio die Chriſtus, alio Iudæi Paſcha celebraverint. Græci Chriſtum tempus debitum anticipaſſe dicunt. Latini

tini Iudæos procraſtinaſſe volunt. Vtrique refutantur. Pauli Foroſemproniensis, & Scaligeri de feriarum translatione, Petavii de extraordinaria perturbatione, Voſſii de procraſtinatione Iudæorum propter Æquinoctium, Lud. Capelli de differentia inter obſervatores Syzygiæ & φάσεως, opiniones refutantur. Vera diverſitatis cauſa ex diſcrimine Karræorum & Talmudicorum eruitur ac demonſtratur, &c.

GRæcorum quidam in ea opinione fuerunt, Chriſtum Dominum ultimum Paſcha, non juxta legem celebraſſe, nec ſolùm tempus debitum anticipaſſe, ſed etiam fermentato pane uſum fuiſſe. Liquet id ex Photio, qui Cod. cxv. refert, quendam Anonymum (in libro cujus inſcriptio eſt: λόγος πρὸς Ἰουδαίους καὶ τοὺς μετ' τούτων αἱρετικοὺς καὶ τοὺς καλουμένους τεσσαρεσκαιδεκατίτας, &c.) dicere, τῇ ἁγίᾳ πέμπτῃ μὴ τὸ νομικὸν φαγεῖν Πάσχα τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, μηδὲ γὰρ εἶναι τότε τὸν καιρόν· ἀλλὰ τῇ ἐπιούσῃ. καὶ ὅτι οὐδὲ νομικῶς τελῶν ἔσφαγεν. οὔτε γὰρ ἀρνίον οὔτε ἄζυμα οὔτε ἄλλο τι παρατίθεται ὅσα οἱ τὸ νομικὸν τελοῦντες Πάσχα ἔθος ἔχουσι παραφυλάττειν, &c. Et Cod. ſequent. cxvi. alius quidam, qui ſcriptum de tempore & ratione Paſchatis elucubravit, etiam dicit, ὅτι κατὰ μὲν τοὺς ἄλλους τῆς παρουσίας αὐτοῦ ἐνιαυτοὺς ὁ Κύριος καὶ Θεὸς ἡμῶν ὁ Χριστὸς τὸ νομικὸν ἐπιτέλει Πάσχα· καθ' ὃν δὲ παρεδόθη, οὐκ ἔτι. In eadem opinione fuiſſe videtur auctor fragmenti illius, quod ſub nomine Petri Archiepiſcopi Alexandriæ & Martyris editum eſt à Petavio, quamvis ipſe ibidem anonymi illud vocet, & rectè quidem. Neque enim Petri illius Archiepiſcopi, & Martyris eſſe poteſt, cujus meminit Epiphanius Hæreſi Meletianorum. Huic enim Petro martyrium paſſo ſucceſſit Alexander, & ipſi poſtea Athanaſius. At auctor hujus, meminit epiſtolæ cujusdem Athanaſii ad Epiphanium ſcriptæ. Ἀθανάσιος δὲ ὁ μέγας τῆς Ἀλεξανδρέων Ἐκκλησίας φωστὴρ ἐν τῇ μνημονευομένῃ πρὸς Ἐπιφάνιον Ἐπίσκοπον ἐπιστολῇ, &c. Et poſtea in myſterio Trinitatis utitur voce ὁμοούσιος, quæ, demum poſt exortam Arii hæreſin, & Synodum Nicænam, in uſu fuit, ut notum eſt. Imo & poſtea expreſſis verbis Nicænæ Synodi meminit, in qua lis de Paſchate deciſa fuit. Diſputat vero auctor contra quendam alium, & ſatis benè demonſtrat Iudæos in die non erraſſe; Chriſtum vero in Paraſceve Paſchatis paſſum eſſe. Sed minus rectè inde concludit, Chriſtum, quia cum Iudæis Paſcha non comedit, legale Paſcha non comediſſe. Quamvis enim Clemens Alexandrinus lib. de Paſchate, & Hippoly-

tus

tus Ponti Episcopus Irenæi Discipulus, lib. 1. contra hæreses, & Apollinarius Episcopus Hierapolis Asiæ lib. de Paschate, ipsi faveant, tamen σκοπεῖν χρὴ, ait Photius: ὁ γὰρ Χρυσόστομος καὶ ἡ Ἐκκλησία ποτὲ φησὶν αὐτὸν ἐπιτελέσαι τὸ νομικὸν πρὸ τοῦ μυστικοῦ δείπνου. Et recte quidem illud. Evangelistæ enim testantur, missos à Christo discipulos præparasse Pascha: debitoque tempore Christum venisse & manducasse. Sed etiam plane absurdum est, Christum legitimo tempore Pascha non comedisse. Scriptum in lege est, Numer. IX. vers. 13: *Si quis mundus fuerit, & non occupatus in itinere, & omiserit celebrare Pascha, anima ejus eradicabitur à populo suo, eo quod non obtulit sacrificium Domini tempore debito. Ille vir portabit peccatum suum.* Quis adeo impius esset, qui Christum violatæ hujus legis argueret? Imo si violasset, cur non à Pontificibus hanc ob rem accusatus fuisset? Nisi forte dicendum est, aut Iudam adeo Christo favisse, ut etiam violatam ab eo legem reticuerit: aut Pontifices adeo stultos fuisse, ut missis gravioribus criminibus, & quæ ipse Deus severissime puniri jussit, vana quædam de templo destruendo conquirerent. Quod utrumque ineptum est. Plane vero impium est, dicere, Christum legem violasse. Servator ipse, qui veritas est, ita Matth. V. vers. 17. seq. de se ipso ait, Μὴ νομίσητε ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας, οὐκ ἦλθον καταλῦσαι ἀλλὰ πληρῶσαι. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου ἕως ἂν πάντα γένηται. Quid manifestius dici posset? Sane qui eum in finem se venisse dicit, ut legem impleret, tantaque asseveratione confirmat, prius cœlum ruiturum, quam lex violaretur, is, nisi mendax fuerit, sine dubio dicendus est legem observasse. Sed de illo satis dictum est. Qui enim veritatem amat, satis ex his judicare potest, Christum legem non violasse. Unde nec Græcorum responsio quicquam valet. Latini Iudæos errasse clamitant. Dicunt enim, Christum debito tempore Pascha celebrasse: Iudæos vero, cum extraordinariam occasionem nacti essent Christum interficiendi, festum procrastinasse. Sed hæc causa plane absurda est. Sacerdotes enim & Pharisæi, omnesque Christi accusatores, sicut in omnibus, ita quoque in his, insignem præ se pietatem ferebant. Quippe videri volebant, non personæ odio, sed amore publicæ tranquillatis, Christum sustulisse. ἐὰν ἀφῶμεν αὐτὸν, Verba sunt Synedrii Ioh. XI. v. 48, οὕτω πάντες πιστεύσουσιν εἰς αὐτὸν, καὶ ἐλεύσονται οἱ Ῥωμαῖοι, καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος. Imo hoc ipso die idem in multis demonstrant. Neque enim prætorium ingredi volebant, ne immundi fierent: neq; corpora in cruce pendere permittebant, ne festi religio violaretur. Imo in ipsa accusatione Christi ad legem Dei pro-

provocant. *Nos habemus legem, & juxta eam morietur, quia fecit semet ipsum filium Dei.* Qua ergo verisimilitudine dici posset, ipsos, qui tam rigidi, etiam in minimis, legis custodes videri volebant, in re tam manifesta legem violasse; idque in ea quam minimo negotio evitare possent? Cur enim Christum diem unum aut alterum in vinculis detinere non poterant? Sane eadem ratione, qua una nocte custodiebatur, & ternis quaternisve diebus custodiri poterat. Sed maxime si hi omnes insanire vellent, tamen Iudęorum multitudini una persuadere nõ poterant, ut solemnitatem Paschatis in crastinum differrent. Omnibus enim notum erat, Pascha XIV Nisan circa vesperam immolandum esse: & XV die Azymorum ab omni opere cessandum. Nec dici potest dierum eos rationem immutasse: ita ut XV Nisan XIV esset. Id enim facere non poterant, nisi incipiente mense. Paulus de Middelburgo Episcopus Forosemproniensis parte secund. Paulinæ lib. 1. duplicem proponit opinionem. Dicit enim Christum, X. mensis Nisan, Pascha immolasse. Et hoc probare satagit ex iis verbis Evangelistarum: ἦν δὲ τὸ Πάσχα, καὶ τὰ ἄζυμα μετὰ δύο ἡμέρας. Marc. 14. vers. 1. & οἴδατε ὅτι μετὰ δύο ἡμέρας τὸ Πάσχα γίνεται. Matth. 26. v. 2. Sed longe vanissima ratio est. Neque enim tum Christus Pascha comedisse dicitur, sed solummodo venditus fuisse à Iuda. Et expressis verbis distinguunt omnes Evangelistæ inter hoc tempus, & illud quo agnum postea immolavit, quem vocant τὴν πρώτην τῶν Ἀζύμων. At decimus dies Nisan non est πρώτη τῶν Ἀζύμων. Neque enim tum abstinebant à fermentatis. Sed satis de hac opinione, cui quantum auctor ipsemet tribuat, inde patet: quod aliam statim proponat, & eandem sequatur, priori relicta. Hæc vero fundata est super Canones quosdam Iudaicos, quos in festorum suorum celebratione Iudæi nunc observant, ita quidem, ut Pascha nunquam celebrent feria 2. 4 6, aut Pentecosten, feria 3. 5. 7, aut Roshana feria 1. 4. 6, aut Kippurim. 1. 3 6, aut Salicum feria 7. 3. 5, aut denique Purim 7. 2. 4. Causas hujus rei duas Iudæi adferunt. Prima est, ne Kippurim, sive dies expiationis magnus incidat in diem Sabbatho proximum. Altera ne septimus salicum incidat in Sabbathum. Nam cum die expiationis, eodem modo ab omni opere abstinere debeant, quo die Sabbathi, nec ignem tangere possint: duos ergo integros dies, sive horas 48. una vice nihil eorum facere, aut parare poterant, quæ ad victum vitamque essent necessaria. Adeoque si dies pœnitentiæ in feriam sextam incideret, nec lectos sternere, nec cibos parare, nec denique ignem tangere poterant, à vespere diei Iovis, usque ad vesperam diei Saturni. Idem

obtineret ſi in feriam primam incideret. Adeoque maximam hæc Iudæis incommoditatem adferret. Dies vero ſeptimus ſalicum, quo faſciculum ſalicū portare,& movere lege tenentur,non debet in Sabbatum incidere, quo onus iis portare lege vetitum eſt. Sed ſi Roſhaſana inciderit in feriam primam, utique ſeptimus Salicum, ſive 21 Tiſri,erit Sabbatum. Si vero Roshaſana incidit in feriam 4. Kippurim, ſive x Tiſri, erit feria 6. & ſi Roshaſana feria 6, Kippurim erit feria 1. Idem in Paſchate obtinet. Primus enim Niſan, & xv Niſan in eandem feriam incidunt. Iuxta ſtatam vero anni rationem primus Tiſri eſt ſemper dies centeſimus & ſeptuageſimus ſeptimus poſt primum diem Niſan. Si ergo primus Niſan incideret in feriam ſecundam, quartam aut ſextam: primus Tiſri, ſive Roshaſana incideret in feriam primam,quartam aut ſextam: adeoq; vel Kippurim in primam aut ſextam feriam: vel ſeptimus ſalicum in Sabbatum. Idem de Purim & Pentecoſte dicendum eſt. Et has quidem conſtitutiones ſtatim initio templi ſecundi ab Eleazaro factas fuiſſe dicunt. Etiam librum quendam Rabban Gamaliëlis circumferunt, qui de motu Solis & Lunæ agit, in quo hæc ratio confirmata eſt. Sed omnia hæc Αὐτογνώμονος ſcribarum eſſe, ac recens poſteriorum hominum inventum, facile apparet. Nam libro primo cap. *de anno Iudaico* diducte à nobis demonſtratum eſt, menſium Iudaicorum initia, juxta viſionem Lunæ conſtituta fuiſſe, quæ tamen maxima ſui parte ab arbitrio Synedrii dependebant. Quod ſi certum eſt: illud omnino ruet, quod de Paſchatis tranſlatione dictum fuit. Neque enim ſic ſemper 177 dies inter primum Tiſri, & primum Niſan numerantur. Poſſunt enim eſſe 176. & etiam 178. prout menſes, juxta Lunæ φάσιν, vel pleni fuerint, vel cavi. Sed ex ipſa Miſchna & Talmude, quo nihil apud Iudæos eminentius aut antiquius, hæc canonum ratio refutatur, certiſſimiſque rationibus demonſtratur, tempore auctorum Miſchna & Talmud, nullam horum rationem habitam fuiſſe. Codice namque Sabbath cap. xv. ita ſcriptum eſt. ר׳ ישמעאל אומר מקפלין את הכלים ומציעין את המטות מיום הכיפורים לשבת וחלבי שבת קריבים ב״ה *R. Iſmael auctor eſt veſtes componi & lectos ſterni à die Expiationis in Sabbathum* (ad quæ verba gloſſa כשחל יומא בע״ש *quando incidit dies Expiationis in veſperā Sabbathi*) *& adipes Sabbathi offeruntur die expiationis.* Ex quibus verbis liquet Kippurim, & pridie & poſtridie Sabbathi agi. Sic ſeptimus Salicum juxta Cod. Succoth cap. iv. in Sabbathum incidit. Paragr. 3. יום שביעי של ערבה שחל להיות בשבת *Si ſeptimus ſalicum inciderit in Sabbathum* portant faſciculum Lullab Sabbatho. Nam ut ſequitur Parag. 7. כמעשהו

בחול

בחול כך מעשהו בשבת אלא שהיו מלקטין אותו מערב שבת ומניחין אותן בגיגיות של זהב כדי שלא יכמושו *Sicut opus ejus profesto sic opus ejus in Sabbatho, nisi quod colligant ramos* (qui ad Lullab conficiendum pertinent) *vespera Sabbathi, & deponant illos in vasis aureis ne marcescant.* Et de XVI. Nisan manifeste scriptum est Cod. Pesachim cap. VII. העצמות והגידין והנותר ישרופו בי״ו חל ששה עשר שבת י״ז ישרופו בי *Ossa & nervi, & reliqua comburebantur XVI Nisan, &, si is sit Sabbathum, XVII.* Si decimus sextus Nisan est Sabbathum ergo XV. necessario erit feria sexta. Id ipsum patet ex Codice Menachoth, ubi tota ratio demetendi Omer nocte XVI diei Nisan proponitur, quæ verba Isaak Arama, in ligatione Isaachi, hoc modo adducit comment. ad Parasch. אמור (quæ incipit cap. XXI. Levitici) cap. IV. שהרי העומר א״א ללקיטתו ולקצירתו כי אם בליל י״ו לניסן כדאיתאמר במנחות כיצר כן עושין וגו׳ ביון שחשכה אומר הקוצר לכל העומרין שם בא השמש אומרין לו הן כא השמש אלהבה אלהבה אומרין לו הן מגל זה אלהמו אלהמו אומרין לו הן קפה זו אלהקו אלהקו ואם היתה שבת אומר להם שבת זה אומרים לו הן אקצור והם אומרין קצור שלשה פעמים על כל דבר ודבר *Quia non possibile est metere Omer, nisi nocte XVI Nisan, juxta illud, quod dicitur in Menachot.* (cap. X. 1. 2. 3.) *Quomodo igitur fit*: &c. *Postquam tenebræ factæ sunt: Dicit messor omnibus astantibus: Occidit Sol. Dicent illi: etiam, occidit Sol: Dicent illi: etiam, occidit Sol. D. I. E. O. S.* (Rursum ille quærit de falce) *respondent illi: etiam; ista falx est, &c.* (iterum quærit de agro) *respondent illi: etiam; iste ager est: in quo meti debet. Quod si Sabbathum fuerit, quæret: Estne Sabbathum? Dicent illi: est. metam?* (dicet ille) *respondebunt: mete. Tribus vicibus omnis quæstio & responsio fiet.* Talmudici omnes, ut notum est, statuunt, Omer, sive fasciculum illum primitiarum ex frugibus, Deo offerendum esse XVI Nisan postridie Sabbathi, sive magni diei Paschatis (Ita enim hi explicant vers. 11. cap. XXIII. Levitici. secus quam Scripturarii, qui per Sabbathum heic intelligunt Sabbathum hebdomadis.) Vespera ergo præcedente fasciculus demeti debebat: & tamen XVI die Nisan, non decimoquinto. Nimirum ideo messor antequam falcem immitteret, quærere debebat, an Sol occidisset. Hujus enim occasu, sicut XV dies finiebatur, ita XVI incipiebat. Sed cum quæstio suboriri posset, an Sabbatho hebdomadario id quoque facere licitum esset; etiam ad hæc respondet. Hæc est genuina loci hujus expositio, in quo iniquè Toletum taxat Scaliger. Nimirum quia hæc ipsi non sapiebant, nec aliter refutari poterant: ergo Toletus male tractandus erat. Manifestum satis est XVI Nisan incidere in Sabbathum: quod ipsum confirmat Obadia Barthenora com-

 ment.

ment. in hunc ipsum tractatum. ר' ישמעאל אמר העומר היא בא בשבת כשחל להיות בשבת העומר דוחת את השבת *Rabbi Ismael dixit, Omer advenit Sabbatho quando incidit in Sabbathum, & Omer pellit Sabbathum.* Majemon. ibidem: קצירא העומר אינה אלא ליל ששה עשר בניסן כמו שיתבאר ולפעמים יהיה יום שבת וכבר וכרתי לך שכל חובות שקבוע להן זמן דוחים את השבת. *Messis Omer non fit nisi nocte XVI Nisan sicut declaratum est: & quandoque est dies Sabbathi: & jam ante mentionem feci tibi, quod omnia, quæ necessarii præcepti sunt, & quibus est præfixum tempus, pellant Sabbathum.* Rectè ergo dictum ab Aben Ezra, comment. in cap. XXIII. Levit. v. 4. כי במשנה גם בתלמוד ראיות שהיה פסח בב"ו *Quoniam ex Misna & Talmude manifestum est, Pascha in Badu, sive feriam secundam, quartam & sextam incidisse.* Imo id ipsum ex Scripturis patet. Parasceve namque Paschatis Iudaici, qua passus est Christus, omnino fuit feria quinta: ut antea demonstravimus: ideoque XV Nisan, sive primus dies Azymorum, est feria sexta. Manifestum ergo est, totam hanc Canonum ratione nuper confictam esse: librumque, qui sub nomine Gamalielis circumfertur, plane suppostitium. Imo ipsimet Iudæi fatentur, nihil se antiquius habere Mischna & Talmude, præter Sacros Codices, eorum δευτερώσεις, & sententias quasdam, quæ nihil huc faciunt. Zohar quidem & Bahir libros Cabbalisticos, quidam Talmude antiquiores perhibent. Sed de ea re magna inter Buxtorfium & Capellum lis est. Mischna sane posteriores sunt. Sed sunt Iudæi, si qui alii, insignes artifices, in titulis & nominibus libris imponendis. Apud eos enim magnificæ illæ inscriptiones natæ sunt, יד חזקה *manus fortis,* כל בו *omne in illo,* ארך חיים *semita vitæ,* & infinita alia. Ex quibus libris haustum gallinacei lactis expectare posses: ut Plinius ait. Sic ergo personatus hic Gamaliel etiam sibi de magnifico nomine prospexit. Et cum videret, non tam propter titulum, quam propter auctorem libros honorari: illius nomen fronti præscripsit, quo inter Talmudicos Doctores nemo unquam præstantior fuerat: idque eo confidentius fecit, quod sciret, in Misna Roshasana Tabulæ cujusdam φάσεων Lunarium mentionem fieri, juxta quam Gamaliel Idiotas examinabat. De quibus alibi dictum est. Neutra ergo Pauli Forosemproniensis explicatio admitti potest. Utraque enim falsa. Ideoque falsa etiam est omnis illa argumentatio, quam Scaliger super hanc exstruit, & ex qua Passionis diem demonstrare satagit. Neque enim ex falsis veritas demonstrari aut debet, aut potest. Aliam dubii hujus explicationem proponit Petavius, qui Iudæos asserit vitiosum Cyclum Lunarem sequutos, duos aut tres dies tardius Pascha celebrasse, quam juxta legem oportebat. Equidem

dem lib. XI. de doctrina temporum cap. XVI. extraordinariam hanc διαφορὰν intervenisse dicit. Remittit tamen lectorem ad Epiphanium. Verba ejus hæc sunt. *Est autem ad institutum nostrum utilis maximè opportunaque illa ratio, quam in Animadvers. Epiphanianis plenius exposuimus, Paschalem διαφορὰν, quæ anno ultimo vitæ Christi contigit, non ex legitima aliqua, & moribus recepta, sive ordinaria translatione feriarum ortum habuisse, quod omnes illi, qui probatam nobis sententiam amplexi sunt, hactenus putaverunt; nec ex alia quapiam honesta causa rituvé, publicum in usum, & consuetudinem admisso, profectam fuisse. Neque enim quod usu communi sancitum esset, Christus ullo modo violaret. Sed peculiarem illam, & extraordinariam fuisse corruptelam, quam superstitiosus ac divinæ legi contrarius Pharisæorum ritus invexerat. De quo plura nos ad Epiphanium ex Iudæorum ritualibus libris. Quocirca non unus Dominus Pascha legitimum, & à Pharisaico diversum obiit, sed Iudæorum etiam aliqui, ut ex Epiphanio colligebamus, qui θόρυβον ac dissidium in celebrando Paschate incidisse demonstrat.* In animadversionibus vero ad hær. Alogorum pag. 182. primo ex Majemonide causas generales recenset, propter quas in anno intercalatum fuit, fruges nempe & fructus arborum minus maturos, pontes fractos, fornacesque dirutas: propter quos Adar in anno geminatus fuit, & Pascha integro mense tardius celebratum fuit, quam alias deberet: de quibus lib. I. cap. de anno Iudaico à nobis accuratius dictum est. Sed hæc quidem ratio nihil huc facit. Neque enim de mense lis est: sed tantum de unico die. Postea incertitudinem Neomeniarum proponit, quam tandem his verbis pag. 183 concludit. *Vt autem evidentius constet, quam inconstans & mutabilis esset Neomeniarum definitio, luculentus quidam locus est in cap III. Tactatus ejusdem* (Kiddus hachodes Majemonidis) *Parag. XV. & XVI. quem hic totidem verbis adscribam. Nihil enim ad conjecturam nostram dici potest aptius.* בית דין ששבו כל יום ל׳ ולא באו עדים והשכימו בנשב ועברו את החדש כמו שבארנו בפ׳ זה ואחר ד׳ או ה׳ ימים באו עדים רחוקים והעידו שראו את החורש בזמנו שהו ליל שלושים ואפילו באו בסוף החורש מאיימין עליהם איום גדול ומטריפים אותם בשאלות ומטריחין עליהם בבריקות ומדקרקין בעדות ומשתדלק בר׳ שלא יקרשו חורש זה הואיל ויצ׳ שמו מעובר ואם עמדו העים בערותם ונמצא מכוונת והדי העדים אנשים ידועים ונבונים ונחקר העדות בראוי מקרשין אותו וחוזרים ומונין לאותו החורש מיום שלושים הואיל וגר׳ הירח בלילו: *Postquam Synedrium toto die tricesimo consedit, neque testis ullus advenit summo diluculo surgunt, & mensem intercalant, quemadmodum in hoc capite declaravimus. Quod si post quartum quintumve diem longinqui testes accedant, ac se Lunam suo tempore prospexisse confirment, hoc est trice-*

sima nocte, imo verò etiamsi sub finem mensis adveniant: primum quidem magnum ipsis terrorem objiciunt, & interrogationibus lacessunt, ac morosius interrogando fatigant, & illorum testimonium scrupulosius examinant, atque in omnes se partes versant, quo novam illam sanctificationem declinent postquam semel intercalatum est. Verum si testes illi in testimonio suo constantes fuerint, idque verum omnino deprehensum fuerit; sed & ipsi testes veri ac prudentes sint; ac denique rite, & ut par est, exploratum illorum testimonium fuerit, de integro Neomeniam definiunt, ac mensem illum retexentes à tricesimo die superioris computare dies illius incipiunt, quandoquidem sua in nocte Luna conspecta est. Manifestum est ex hoc loco, Christi Domini tempore Neomenias non tam certò constitutas fuisse, ut non vel affecto jam mense retexere, ac retractare licitum esset: adeoque solemnitates ipsas, quæ à mensis capite penderent, in alios dies incidisse. Hactenus Petavius. At quid hinc concluditur? Nil sane aliud, quam, Synedrium, medio aut fine mensis, aliquando, dies mensis retexisse, ut non à Neomenia antea indicta, sed à XXX die mensis prioris Neomenia cœpisse videretur: quod quidem, ut melius intelligatur, exemplo explicabimus. Sit Neomenia sive primus dies mensis Nisan constitutus in die XX Martii anni cujusdam. XIX namque Martii, qui erat tricesimus mensis Adar, testes nulli advenerant, qui Lunam se vidisse dicerent. Ideoque XX Martii constituta fuit Neomenia & primus dies mensis. Iuxta hanc ergo rationem III Aprilis, erit XV dies Nisan. Sed V die Nisan, sive Martii XXIV, nuncii certi advenerant, qui se Lunam die trigesimo vidisse contenderent, ac certo demonstrarent. Synedrium ergo mensem retexit, & mensi Adar XXIX dies tribuit. Tigesimum vero, sive XIX Martii, Neomeaiam Nisan constituit. Quod ita factum fuit. Diem, qui juxta priorem rationem esset quintus mensis Nisan, pronunciarunt esse sextum. Neque enim priores dies revocare possunt. Id ergo tantum faciunt, quod possunt, diesque mensis qui sequuntur, ita numerant, quasi primus in XIX Martii constitutus fuisset. Atque ita XXIV Martii, qui antea erat V Nisan, fit sextus Nisan; & II Aprilis, qui antea erat XIV Nisan, fit XV. Adeoque solemnitas Paschæ, quæ juxta priorem rationem in III Aprilis incidere debebat, nunc juxta posteriorem incidit in II Aprilis. At si alii huic Synedrii legi obnoxii erant: ipsum sane Synedrium maxime hanc observare debebat. Si ergo hæc ratio valebit, Synedrium uno die Christum anticipaverit, non Christus Synedrium. Etenim ponatur Christum priorem rationem sequutum fuisse. Synedrium vero auctoritate testium motum eam emendasse, ac posteriorem rationem sequutum esse. Ergo in exemplo dato (quod in omnibus

aliis

aliis locum habet) Synedrium II Aprilis, Christus vero III Aprilis Pascha celebraverit. Quod contra Scripturam est. Nihil ergo hæc responsio ad rem facit. Quod vero hinc colligat, vitiosissimam rationem Neomeniarum fuisse; id perperam quidem facit: cum potius maxima ac accuratissima φάσεως Lunaris observatio, ex qua Neomeniæ dependebant, hinc manifesta fiat. Adducit denique Epiphanium, qui θόρυβον ac dissiduum in celebrando Paschate incidisse dicit. Sed nescio quod dissidiū ex Epiphanio adstruat. Id scio, Epiphanium miseris secum modis luctari, nec se ipsum explicare posse. Cum enim sibi proposuisset demonstrare, Iudæos in Paschatis festivitate errasse: ita demum concludit, ut juxta ipsius rationem magis Christus quam Iudæi erraverit. Hær. LI. num. XXVII. de Iudæis hæc ipsius verba sunt: Ἕνεκεν τίνων τούτου τότε σφαλέντες οὐ μόνον προέλαβον θορυβούμενοι τὰς δύο ἡμέρας βεβρωκότες τὸ Πάσχα, ἀλλὰ καὶ τὴν ὑπέρβασιν προσθέντες μίαν ἡμέραν κατὰ πάντα τρόπον αὐτοὶ σφαλέντες. Diximus de hoc loco lib. I. cap. de anno Iudaico, unde ea quæ huc spectant petantur. Nunc illud tantum dicimus, si Iudæi erraverint, quod integro biduo festum anticipaverint: multo magis Salvator illud fecit, qui integro die ante Iudæos, adeoque triduo ante debitum tempus Pascha comedit: quod impium est dicere. Nescio ergo, quid ex Epiphanio probare velit: nisi ex Cyclis suis, quos ex Epiphanio demonstrare conatur, aliquid subsidii petat. Sed tota ista Cyclorum ratio conficta est, ut lib. I. cap. de anno Iudaico à nobis diducte demonstratum est. Tum neque heic ullum usum habet, imo magis lectorem implicat. Etenim ex Epiphanio suo dicit, Christum baptizatum esse anno Juliano LXXIII: & passum Anno LXXVI Juliano, & quidem XXIII Martii, feria sexta. Contigit Novilunium Nisan eo anno XII die Martii, & plenilunium XXVI, ut postea demonstrabitur. Iudæi ergo triduo integro Pascha suum anticiparunt: Christus vero quatriduo. At hoc ne est diversitatis caussam monstrare? Ergone id erit Scripturas explicare, dicere, Iudæos quidem aliquid in festo celebrando errasse, Christum vero uno die plus quam Iudæos? Impium est talia de sanctissimo Servatore cogitare, multo magis dicere. Ista ergo mittimus, de quibus postea aliquid rursus dicendum est. Vossius tractatu de annis Christi, Petitum secutus, existimat, Iudæos ideo uno die tardasse, quia ante Æquinoctium Pascha agere nolebant. Nam cum XIV mensis Nisan in diem XXIV Martii incideret ante Æquinoctium: unum diem Iudæi exspectarunt, ut ipso Æquinoctii die Pascha comederent. Sed nimis multa heic supponuntur, quæ partim dubia, partim falsa sunt. Primo enim

enim, unde id probatur, Iudæos Octaëteride Cleostrati fuisse usos? Id quidem falsum esse libro 1. cap. de anno Judaico demonstravimus. Tum etiam cap. de anno Græcorum veram Octaëteridum rationem ex Gemino, aliisque proposuimus, longe ab hac diversam. Denique Epocha hæc vitiosa est. Unde enim probat, Cyclum Octaëteridum Iudæorum initio anni P.J. 4713, (quo aureus numerus fuit I, quique proxime antecedit Epocham vulgarem Christi,) cœpisse? Et si hoc concedatur, unde probabunt Neomeniam Nisan in VI Aprilis fuisse constitutam? Hæc omnia longè falsissima sunt, nec ullo auctore confirmantur. Sed fingamus vera esse, ne tum tamen conclusio firma erit. Nam quod de uno die procrastinando dicitur, id commentariis Iudæorum adversatur. Quippe Majemonid. in Kidus hahodes expresse docet, in anno non intercalatum fuisse, nisi mensem integrum. Si enim Synedrium videret, XVI Nisan aut in diem Æquinoctii, aut ante incidere, intercalabant mensem integrum isto anno, mensemque illum vocabant Adar secundum. כיצר בית דין מחשבין ויודעין אם תהיה תקופת ניסן בששה עשר בניסן או אחר זמן זה מעברין אותה שנה ויעשו אותו ניסן אדר שני *Domus Iudicii ex calculo sciebat, si Tekupha Nisan esset in XVI Nisan, aut post: & intercalabat illum annum, fecitque ex Nisan Adar secundum*. cap. IV. parag. 2. Atque hoc ex antiquis habet, ut antea demonstravimus. Vide quæ cap. de anno Iudaico antea à nobis disputata sunt. Duplici ergo nomine falsa hæc sententia est. Primo quidem, quod dicat, ideo diem intercalatum, ne XV Nisan in Æquinoctium, sed post illud incideret. At XV quidem dies in Æquinoctialem diem incidere poterat, minime vero XVI. ut ex Majemonide liquet. Iterum in hoc, quod diem intercalatum velit, cum nonnisi mensis intercalaretur. Nec aliter esse poterat. Si enim tum diem in mense intercalassent, utique XVI Nisan, non XV, Pascha celebrassent. Auctores quos citat, nihil ipsum juvant. Dicunt enim, Pascha celebrari non posse, nisi sole in ariete & Luna in opposito loco: quod ipsū Majemon. quoque dicit. Si enim XV Nisan anteverteret Æquinoctium, in anno mensem integrum intercalabant. Sed maxime vitiosa Cycli ratio est. Etenim illo anno, quo Christum passum dicit, Neomeniam Nisan constituit in XI Martii: quæ juxta antiquissimorum Ebræorum assertiones, ac testimonia, quæ libro primo ex Philone, Iosepho, Mischna, & Talmude proposuimus, convenit II. aut III Aprilis, ut ex Methodo anni Iudaici liquet. Hæc ergo causa non fuit, cur alio tempore Christus, quam Iudæi, Pascha comederet. Ludovicus Capellus hanc diversitatis causam ponit, quod quidam inter Iudæos, utpote Alexandrini

drini

drini & alii, observaverint xv Nisan, juxta medios motus, sive juxta συζυγίαν. Et cum his Christus Pascha celebravit. Alii vero Phasin ritusque Iudaicos sequuti sunt. Sed quamvis sententia hæc omnium maxime probabilis sit, vera tamen non est. Iudæorum duo genera sunt. Vel enim traditiones recipiunt, vel non. Hi Karræi vocantur, illi Talmudici. Alexandrini ergo Iudæi vel Karræi erant, vel Talmudici. Si Karræi, phasin observabant. Namque hi Talmudicos ea præcipue de causa maximè culpant, quod calculo Astronomico inhæreant, non satis diligenter considerata φάσει. Vide lemmata illa, quæ ex R Iuda Scripturario Karræo Clar. Seldenus excerpsit, & lib. de anno Iudaico inseruit, quorum nos quædam cap. de anno Iudaico recitavimus. Talmudici ergo fuissent. At hi ne vel latum quidem unguem à Magistrorum placitis decedere audebant. Quippe Talmudicis interdictum erat menses aliter ordinare aut agere, quam à Synedrio constitutum, ut ex cap. 11. Kidus hahodes Majemonidis antea patet, & nos loco sæpius laudato id ipsum demonstravimus. vid. Gemar. Babylonic. tit. Roshasana cap. 2. fol. 25. At ipsimet Talmudici ac Sacerdotes φάσιν observabant, non Syzygiam, ut antea à nobis demonstratum est, quod Capellus ipsemet concedit. Patet ergo, neminem Iudæorum, stante templo, juxta Syzygiam, vel mediam vel veram, festa celebrasse, sed omnes eam rationem sequutos fuisse, quam nos lib. 1. proposuimus. Atque hæc sunt, quæ ab aliis hac de re scripta comperi. Propriam quod attinet opinionem, antequam eam proponam, necesse est quædam ad meliorem intellectum præmittere. Iudæi omnes, ut nunc diximus, in duas partes generales separantur. Vel enim Doctorum Traditiones pari pietatis affectu, quo ipsas Scripturas, recipiunt, ita ut ex his Scripturas explicandas esse contendant: vel easdem respuunt. Equidem non ignoro, tres, juxta Iosephum, præcipuas apud Iudæos sectas fuisse. Pharisæos nempe, Saducæos & Essæos. Sed hæ inter doctos, aut eos, qui sapientiam profitebantur. Sicut enim in Græcia multæ sectæ erant, ut Pythagorica, Academica, Peripatetica, Stoica &c. ad quas tamen non omnes omnino Græci, sed soli Philosophi referuntur: ita etiam in Iudæa sectæ hæ inter sapientes erant, non vero inter vulgus, nisi quatenus & hæ sub generali divisione comprehenduntur. Pharisæi namque & Essæi traditiones receperunt, & secuti sunt: Saducæi, his rejectis, solas Scripturas admittebant. Et hæc causa est, cur Traditionales, sive Talmudici, Karræos hodiernos sub nomine Saducæorum traducant: cum nihil minus sint, quam Saducæi, ut ex ipsorum libris & constitutionibus

manifestum est. Neque enim resurrectionem mortuorum negant, quod Saducæi fecerunt. Et totam Scripturam admittunt. Atque in omnibus cum reliquis Iudæis conveniunt, nisi in ritibus quibusdam, qui ex traditionibus Magistrorum dependent, in quibus hi suorum hominum placita, sicut illi suorum, sectantur. Nam & Karræi Magistrorum suorum placita admittunt: non tamen tantum auctoritatis iis tribuunt, nec Scripturis vel præferunt vel æquant, quod Talmudici faciunt. Sicut vero in aliis ritibus ita etiam in celebratione Neomeniarum, differentia quædam inter has sectas est. Quamvis enim utrique φάσιν sequantur, & in his satis bene conveniant: non tamen eamdem rationem sequuntur in Neomenia constituenda, quando φάσις haberi non possit. Talmudici namque, si Luna xxx die vel non appareret, vel si quidem appareret, testes tamen ante tenebras aut non venire poterant, aut non satis accurate examinari: mensem priorem xxx dierum constituerunt. Majemonid. קדוש החדש cap. 1. par. 3. שתראה (הלבנה) במערב אחר שנסתו הוא תחלת החדש ומונין מאתו היום תשעה ועשרים יום ואם יראה הירח ליל שלושים יהיה יום שלושים ראש החדש ואם לא יראה יהיה ראש חדש יום אחד ושלושים ויהיה יום שלושים מחדש שעבר ואין נזקקין לירח בליל אחד ושלשים בין שנראה בין שלא נראה *Quando (Luna) videtur à parte occidentali, post conjunctionem, tum est initium mensis; & numerant inde 29 dies: & si videatur Luna nocte 30, erit dies 30 Neomenia: & si non videtur, erit dies 31 Neomenia: & dies 30 pertinebit ad mensem priorem præcedentem. Et non observant Lunam nocte 31, sive videatur, sive non.* Hausit hæc ex Talmude, Mischna Roshsana cap. 4. Paragr. 4. ubi scriptum est; si testes nulli venissent: xxxi dies, primus, mensis, constituebatur. Et cap. 3. parag. 1. disertis verbis traditur, si totus Israel vidisset Lunam, (quod nonnisi finito die xxx contingere poterat) aut si ante tenebras testibus examinatis, pronunciare nequissent Mecuddas: mensis superior plenus efficiebatur. ראוהו בית דין וכל ישראל ותקרו העדים ולא הספיקו לומר מקודש עד שחשכה הרי זה מעובר *Viderit (φάσιν Lunæ) Domus Iudicii, aut totus Israel, vel etiam testes examinaverint, satis tamen temporis non habent ad dicendum Mecudas ante tenebras: fit mensis ille intercalaris,* sive dierum xxx. Ideoque xxxi dies est Neomenia. Atque hæc Talmudicorum opinio est. Karræi autem ita de Phasi Lunæ pronunciant, ut si Luna 30 die visa non sit: debeant etiam exspectare diem xxxi. & si Luna tum videatur aperto die, duabus aut tribus horis ante occasum Solis: dies antecedens pro Neomenia habenda erit, & is quo videtur erit secundus dies mensis. Verba Eliæ scripturarii apud Seldenum hæc sunt: אם לא יראה ביום שלשים ולא בערב גֹּ רואים שלשים אחד

אחר ואם יראה עם השמש סמוך לשקיעתו. רע שהיום ההוא הוא מקודש ואם יראה עם השמש בעיר יום גדול כגין שנים שעות או שלשה קודם השקיע רע שהיום הקודם לו הוא מקודש *Si Luna non videatur die trigesimo: neque nocte etiam observandus est dies xxxi. & si tum videatur cum Sole prope occasum, ille dies sanctificandus erit. Sin aperto die cum Sole appareat, binis ternisve horis ante occasum, dies qui præteriit, Neomenia erit.* Ita ergo aliquando contingebat, ut qui dies Karræis secundus mensis cujusdam erat, is Talmudicis & traditionum observatoribus primus esset. Exemplo hoc manifestum faciemus. Sit XIX Martii, XXX dies à priori visione, sive XXX dies mensis Adar. (sicut anno XXXIII. Christi vere est, ut postea dicemus.) Hoc ergo die, & à Synedrio (cujus membra præcipua traditionum maxime studiosi erant) & à Scripturariis, Luna observata fuit; sed non visa. Contigit enim Novilunium verum Hierosolymis post meridiem diei XIX. ideoque illo die, sive ante noctem, videri non poterat. XX ergo Martii à Talmudicis Neomenia mensis Nisan constituta fuit. Sed horis XXV post Syzygiam Luna in terra Israelis omnino ex Karræorum sententia videri poterat, ut lib. I. à nobis dictum est. Addantur ergo ad Novilunium verum Martii (quod contigit Hierosolymis hora 2.31'. post merid. diei XIX Martii) horæ *25*: prodibit XX dies Martii, hora 4. post merid. Erant vero tum ad noctem, sive vesperam tertiam Karræorum, plusquam duæ horæ superfluæ. Dies ergo, qui XX Martii antecedit, hoc est XIX Martii, est Neomenia mensis Nisan, juxta Karræos, quæ juxta Talmudicos convenit XX Martii. Ideoque XIV Nisan incidit Karræis in I Aprilis, Talmudicis in secundum. Et sic primus Azymorum, sive XV Nisan, est Karræorum II Aprilis, Talmudicorum III Aprilis. Ideoque XV Nisan Karræorum, est XIV Talmudicorum, quorum opinionem, maxima pars plebis sequebatur. Sane in lege quidem constitutum fuit, ut XIV Nisan Pascha immolaretur. Etiam ex lege satis manifestum erat, Neomeniam mensium legalium à visione novæ lunæ dependere. Nec tamen minutiæ hæ, de Neomenia celebranda, quando φάσις suo die non videretur, in lege propositæ aut decisæ erant. Ideoque neuter errasse dici potest, quia neuter contra legem aliquid fecit. Christus autem, cum liberum ipsi esset, illud sequi quod vellet, cum Karræis Pascha celebravit: ut imposito legalibus fine, ipso die, quo typicus agnus Paschalis mactabatur, pro peccatis populi immolaretur. Ita ergo Salvator Christus eo die Pascha comedit, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ Πάσχα. Luc. XXII. & ὅτε τὸ Πάσχα ἔθυον. Marc. XIV. Quod Syrus Paraphrastes ita exposuit: דבה דבחין יהודיא פסחא *quo immolant Iudæi Pascha.* Et nihilominus Iosephus, Nicodemus,

mus ac fœminæ religiosæ Sabbathum magnum non violarunt, quamvis ipso die XV Nisan, juxta Carræorum rationem, Christum sepelirent. Christus ergo passus est XV die Nisan, feria V. qui Talmudicis erat dies XIV Nisan. Ex his ergo characteribus diem passionis investigemus.

CAP. VII.

Christus, ante Pascha anni XXXI. *æræ vulgaris, & post Pascha anni* XXXV, *passus non est. Quanto tempore Pilatus procurator Iudææ fuerit? Pauli Forosemproniensis, Gerhardi Vossii, & quorundam Patrum, de tempore passionis opinio refutatur. Scaligeri de Sabbatho* δευτεροπρώτῳ *sententia confirmatur, ac reliquorum refelluntur.*

ANtequam characteres hos ad tempus applicemus, necessarium plane est, ut illos annos utrinque excludamus, quibus certum est, Christum passum non esse. Primum ergo illud ex Scripturis manifestum est, Christum passum esse Pontio Pilato præside Iudææ. Id enim ex omnibus Evangelistis fit manifestum. Tacitus addit, Tiberio imperante. Annalium XV. *Auctor nominis ejus Christus, qui, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Nec aliter esse poterat. Quippe Pilatus ante Tiberii mortem decessit è provincia: & quidem ante Pascha anni 81 Iuliani. Vitellius namque in Syriam venit, exeunte anno Iuliano 80. ut ex Tacito patet. Coram eo accusatus fuit Pilatus, & ad causam suam defendendam Romam missus, ante Pascha illius anni, quo Hierosolymis Vitellius fuit. Iosephus Antiq. XVIII. cap. V. & VI. Præfuerat vero Pilatus provinciæ decem annos, ut ex eodem loco patet. Ante ipsum procurator fuerat Valerius Gratus, quem Tiberius statim sub imperii sui initium in Iudæam miserat, quique eam provinciam administraverat annis XI. Additis XXI annis ad 59 Julianum, quo Tiberius cœpit, prodit annus Julianus 80. cujus fine Pilatus è provincia decessit. Id manifestum est, ante Pascha anni Juliani 81. Pilatum Magistratu excessisse. Quippe Vitellius, postquam Pilatum Romam abire jusserat, & Marcellum illi provinciæ præfecerat Hierosolyma ad solemne Paschatis venit: summisque Sacerdotibus sacram stolam custodire permisit. Ioseph. Orig. XVIII. cap. VI. Post illud tempus literas à Tiberio accipit, de pace cum

cum Artabano facienda. Quod ipsum perfecit Vitellius: ac pace facta, de omnibus Tiberio scripsit. Sed Herodes Tetrarcha antea omnia Tiberio perscripserat. Ideoque rescripsit Tiberius se hæc ab Herode antea resciviffe. Decessit Tiberius Anno Juliano 82. xvii Kal. April. adeoque ante Pascha. Tanto ergo post Pascha tempore ad Vitellium scribere non poterat, de iis, quæ ab Herode resciverat. Manifestum ergo est, omnia ea acta esse anno superiori 81. Ideoque Pascha illud, cui Vitellius interfuit, omnino est anni 81. Ergo ante Pascha anni 81. Pilatus Magistratu abierat. Unde falsa est Pauli Forosemproniensis opinio, quæ hoc anno (qui est æræ Christi vulgaris xxxvi) Christum passum pronunciat. Non enim Marcello, sed Pilato Præside passus est Dominus. Extremum ergo Pascha, de quo quæri potest, est anni Juliani 80. vulgaris æræ Christi xxxv. Per. Jul. 4748. Atque hic terminus excludit omnes annos in consequentia. In antecedentia verò annus xxxi. vulgaris æræ Per. Jul. 4744. Julian. 76. Neque enim Dominus ante Pascha anni xxxi passus est. Quod inde liquet. Christus post xix Kal. Septembris, anni Juliani 73. Per. Jul. 4741, vulgaris æræ xxviii baptizatus est. Eo enim tempore xv annus Tiberii incipit: quo Iohannes primum baptizare cœpit. Primum ergo Pascha post baptismum, adeoque post inchoatum ministerium, est anni 74 Juliani. Epochæ vulgaris Christi xxix. quo Consules fuere C. Rubellius, & C. Fusius Gemini. At primo Paschate passus non est. Etenim Iohannes narrat cap. ii, Christum solemnitati cuidam Paschali interfuisse, ac in ipsa solemnitate cum Iudæis in templo disputasse. Longe post hoc tempus meminit alterius Paschatis, quod imminebat Iohannis vi. Unde manifestum est, hoc illud Pascha esse non posse, cujus capite ii. mentio fit. Errarunt ergo omnes illi Patres qui Christum xv anno Tiberii, C. Rubellio & C. Fusio Geminis Coss. passum prædicant, omnesq; illi, qui hos sequuntur. Equidẽ Clariss. Vossius, & Geminis Coss. & xxv Martii, & xv Luna Christum passum vult. Sed miris se ipsum modis implicat. Neque enim xxv Martii & xv. Luna anno Christi vulgar. xxix convenire possunt, sed octo solidis diebus differunt, ut ex calculo patet: quod sane nullus Cleostratus excusabit. Sed non Paschate anni xxx. Christus pati potuit. Etenim festum illud, cujus Iohannes meminit cap. v, ad minimum est חנכה anni xxix: ideoque festum Scenopegiorum anni xxix tum transiverat, quandoquidem Encænia Caslev mensis xxv, Scenopegia Tisri xv, sive duobus solidis mensibus antea celebrantur. At capite vii. disertis verbis Iohannes meminit Scenopegiorum,

rum, quibus Christus interfuit: & cap. x. Encæniorum. Equidem sanus nemo dixerit, idem festum illud esse, quod Iohannis v. describitur, & Iohannis x. Si ergo festum Iohannis v, est Chanuca sive Encænia, anni xxix: ergo Encænia, quæ exstant Ioannis x, necessariò sunt anni xxx. Si dicatur, festum Iohannis v. esse Purim anni xxix, aut Pascha anni xxxi; (neque enim vel Pentecoste, vel Scenopegia anni xxix esse potest) habebimus concessum, quod volumus. Sic enim Scenopegia & Encænia, quæ hoc tempus sequuntur, necessariò incident post Pascha anni xxx. Adeoque Paschate anni xxx Christus passus non est. Rursus id ipsum alia ratione demonstratur. Christus in Galilæam venit post Iohannem in carcerem conjectum, Matthæi iv. v. 12. Marc. i. v. 14. Atque tum primum ibidem incepit concionari. Unde hinc Historiam gestorum Christi tam Matthæus quam Marcus auspicatur. Iohannes vero diu post Christum baptizatum in carcerem conjectus fuit, ut ex cap. iii. Iohannis liquet. Id sane manifestum est, hanc Christi in Galilæam reversionem, post Pentecosten anni xxix contigisse. Postquam vero in Galilæam venerat, plurima illic miracula edidit, longam illam concionem habuit, quæ Matthæi v. vi. & vii cap. descripta est. Denique discipulos suos in eas civitates præmisit, ad quas ipsemet accessurus erat: quæ omnia octo capitibus à Matthæo describuntur. Post hoc tempus per sementem iter fecit, quo discipuli vellebant spicas, Matth. xii. Id Lucas contigisse dicit Sabbato δευτεροπρώτῳ. quod bene Scaliger exposuit per πρῶτον σάββατον μετὰ τὴν δευτέραν τῶν Ἀζύμων, sive Ebraice שבת ראשון מםחרת· *Sabbatum primum post crastinum Sabbathi.* Crastino enim Sabbathi, quod juxta Talmudicos est secundus Azymorum, sive xvi Nisan, Omer offerebatur: à quo septem hebdomades numerari debebant, sive dies 49; & 50 die Pentecoste celebrari. Primum ergo Sabbathum, vocabatur, propter hunc calculum, Sabbatum primum post secundam Azymorum. Alterum vocabatur secundum post secundam Azymorum, hoc est, δευτερόδευτερον, δευτεροδεύτερον. Chemnitius septimam solemnitatis Azymorum heic intelligi vult. Sed eo non vetitum [illegible] ad victum pertinebant parare. Quæ alii de primo Sab[illegible] Nisan heic habent, minus solida sunt. Nam cum [illegible] tam virides quam tostas spicas comedere, ante [illegible] fuisset: Levit. xxvii. v. 14. nunquam id Ph[illegible] violatæ legis & in hoc Christum arguisse[illegible] de gemino Sabbatho quicquam valen[illegible] stum i. Sabbatho post Pascha per [illegible]

non poteſt eſſe, illud, cujus Iohannes meminit cap. ſecundo. Eo enim Iohannes liber erat: at longe ante iſtud in carcerem detruſus. Ergo ad minimum erit Paſcha anni xxx. Et cum Sabbatho poſt Paſcha hæc contigerint, illo Paſchate Chriſtus paſſus non eſt. Primum ergo Paſcha, de quo quæri poſſit, an iſto Chriſtus paſſus ſit, eſt anni xxxi, Per. Jul. 4744. & ultimum ſive extremum, anni xxxv. Per. Jul. 4748.

CAP. VIII.

Tabula Neomeniarum Paſchalium in iis annis, quibus Chriſtus pati potuit. Petavii ſententia de anno paſſionis refutatur. Toſtati, Scaligeri, & aliorum in die Paſſionis error. Vera ſententia proponitur ac demonſtratur. &c.

HIs ita demonſtratis nunc omnium annorum Paſchata examinabimus. Primo autem duo ſingulis annis Novilunia proponemus, ex quibus unum neceſſario erit medium, ſive Aſtronomicum initium menſis Niſan. Nam, ut diximus, aliquando factum fuit, ut menſis propter fruges minus maturos, pontes ruptos, aut ſimile quid, in anno Judaico intercalaretur. Ne igitur tale quid objici poſſet: non illud ſolum Novilunium notavimus, quod juxta rationes Mathematicas Niſan menſi conveniret, verum & proximè ſequens: ut nemini ulla dubitandi aut contradicendi cauſa eſſet relicta. Hęc ergo ſe ita habent.

Anni P. I.	Chriſt.	Iul.	Cycl. Sol.	Menſis.	Dies.	hor.	'.	".	Fer.	Iud.
4744.	xxxi.	76.	xii.	Mart.	xii.	6.	48.	51.	ii.	ii
				April.	x.	19.	32.	55.	iii.	iv.
4745.	xxxii.	77.	xiii.	Martii.	xxx.	4.	21.	34.	i.	i.
				Aprilis.	xxviii.	17.	5.	38.	ii.	ii.
474[illegible]	[illegible]	78.	[illegible]	Martii.	xix.	[illegible]	[illegible]	14.	v.	v.
				Aprilis.	xvii[illegible]	[illegible]	[illegible]	8.	vii.	vii.
[illegible]	[illegible]	7[illegible]	[illegible]	Martii.	vii[illegible]	[illegible]	[illegible]	53.	ii.	iii.
				Aprilis.	vi[illegible]	[illegible]	[illegible]	53.	iv.	iv.
[illegible]	[illegible]xv.	[illegible]	[illegible]	Martii.	x[illegible]	[illegible]	[illegible]	35.	i.	ii.
				Aprili[illegible]	[illegible]	[illegible]	15.	39.	iii.	iii

[illegible] unia N[illegible] tia media, de quibus [illegible] n die [illegible] æ à media nocte Ro- [illegible] Ad[illegible] t feriæ, juxta rationem Iudai-

Iudaicam ordinatæ. Neomenia namque media Aprilis anni xxxi incidit more Romano in feriam iii, Judaico, in feriam iv. Idem in Martio anni xxxiv. & xxxv obtinet, ut ex laterculo patet. Iuxta ea vero, quæ lib. i. cap. de anno Judaico à nobis disputata ac demonstrata sunt, Neomenia civilis Iudaica, vel in eodem, quo cœlestis, vel sequenti die constituitur. Hæc ergo ad Praxin nunc accommodanda sunt. Diximus antea, ac demonstravimus, Christum Parasceve Iudæorum, sive 14 Nisan Iudaico, xv vero Nisan juxta rationem Karræorum, mortuum esse, feria quinta. Anno ergo Per. J. 4744. sive vulgari 31 passus non est. Neomenia namque Martii, quæ est mensis Nisan, incidit in Martii 12. hor. 6. post med. noctem. Ideoque 12 Martii, juxta Karræos, 13 vero, vel etiam 12, juxta Talmudicos, erit Neomenia Nisan. Si enim Luna 12 Martii visa fuit, (quod satis commode fieri poterat) 12 erat Neomenica Talmudicorum: sin minus, decimustertius. Karræis vero 12 Martii Roshodes ideo fuit, quod Luna, si non 12, at saltem 13, pleno die visa esset. Plenilunium ergo Karræorum incidit in 26 Martii, feriam ii. Talmudicorum aut in 26. aut ad summum in 27, feriam iii. At si hic legitimus Passionis annus esset: Christus passus fuisset feria ii. quod Scripturis contrarium. Petavius tamen hoc anno passum Christum prædicat, & quidem 23 Martii, feria sexta. At tum sane Pascha Iudæorum non erat. Illud enim (ut ex Philone Christi συγχρόνῳ, Iosepho, Mischna, aliisque principiis plane irrefragilibus, lib. i. cap. de anno Iud. demonstravimus) in 15 Lunam incidebat. Iam vero 23 Martii, non est 15 Luna, sed 12. ut ex calculo patet. At ex Cyclo quodam Iudaico, quem Epiphanius describit, probare nititur, Plenilunium civile triduo verum anticipasse. Sed tota istius Cycli ratio falsa est, ac ipsis Epiphanii verbis contraria, ut d.l. à nobis demonstratum est. Imo seipsum miseris modis implicat Epiphanius. Et cum ideo Cyclum hunc proposuerat, ut demonstraret, Iudæos in Paschate celebrando errasse, festum biduo anticipando: ita demum imprudenter concludit, ut exinde sequatur, Iudæos quidem biduo, Christum vero triduo aberrasse, ut antea dictum est. At incertitudine Neomeniarum Iudaicarum se defendit Petavius. Sed nunquam, nisi de uno die, lis esse poterat. Nam vel eo ipso die, quo Neomenia cœlestis contigit, vel sequenti, Novilunium celebrarunt. Non ergo in antecedentia: sed in consequentia Neomeniæ protrudebantur. Unde si quæ heic incertitudo, propter quam varie Plenilunium ordinari posset, illa unius tantum diei erit. Neque tum civile Plenilunium verum anticipabit: sed uno

die

die tardius erit. Quod ergo de incertitudine Neomeniarum Petavius profert, plane impertinens est. Quid enim illud? Iudæi aliquando uno die tardius Plenilunium agebant, quam juxta cœlestes rationes oportebat: ergo & eo anno, quo Christus passus est, biduo, imo triduo solido anticiparunt. Quæ hæc ratiocinatio? Sed ponatur id verum esse, quod longe falsissimum est. Dicatur Iudæos biduo verum tempus anticipasse, adeoque in biduo errasse. Quid inde sequetur? Hoc sane, quod ex Epiphanio antea collegimus, Iudæos nempe biduo, Christum vero triduo errasse. Manifestum est Christum hoc tempore passum non esse: modo Scripturis & doctissimis atque antiquissimis scriptoribus, qui, ea scribebant, quæ oculis suis semper usurpabant, ulla fides erit habenda Alii ergo suas opiniones sequantur. Nobis certum est certa sequi Id objici potest, mensem hunc, propter fruges minus maturas, Nisan non fuisse, sed Adar secundum. Sequens ergo mensis erit Nisan. Hujus Novilunium contigit April. x. hor. 19. hoc est Iudæis Aprilis xi hor. 1. feria iv. Karræorum ergo Novilunium omnino erat Aprilis xi. feria iv. & Plenilunium xxv Aprilis, fer. iv. Unde xiv Nisan, sive Parasceve inciditin feriam iii. April xxiv. Neomenia vero Talmudicorum hoc eodem die contigit. Neque enim dubium est, quin Luna visa sit. Adeoque eadem est ratio, quæ in Karræorum. Sed visa non sit: xii ergo Aprilis necessario erit Neomenia, ut ex iis liquet, quæ lib. i. dicta sunt. Adeoque Plenilunium Talmudicorum incidet in xxvi Aprilis, & Parasceve Paschatis in xxv Aprilis, feriam iv. At Christus feria iv passus non est. Ergo nec anno xxxi vulgari, aut P.J. 4744. Manifestum ergo est, falsos hac in re Patres fuisse, eosque omnes, qui Patres ἀβασανίστως secuti, eundem cum illis errorem errant. Omnes enim fere Patres in hoc consentiunt, xv Luna (vere & proprie loquendo) Christum passum esse: quod etiam verum est, & antea demonstratum. Quidam etiam eorum quintam feriam ponunt: alii vero sextam. Illi verum dicunt, hi minime. Ex Scripturis namque fallere nesciis demonstratur, Christum feria quinta passum esse. Hi ergo duo characteres necessario convenire debent. At impossibile est hoc anno convenire posse, ut jam demonstravimus. Ergo neque hic annus est verus passionis. Incerta ergo tota illa ratio est, quæ ex Patrum auctoritate deducitur. Nemo enim magis unquam in his erravit, quam ipsimet Patres, quorum alii trigesimo primo ætatis anno Christum passum perhibent: alii quinquagesimum fere attigisse. Certa igitur nonnisi ex certis principiis demonstrari possunt. Unde

Patrum auctoritas, & invicem, & à Scripturis ac verissimis demonstrationibus dissentiens, heic nullum locum habere potest. Anno Per.Jul.4745. Christi vulgari XXXII, vero XXXIV, Novilunium Nisan contigit Martii XXX. hor. 4. post med. noct. Karræis ergo Neomenia hoc die erat. Ideoque XV Nisan, est XIII. Aprilis, feria I & XIV Nisan, feria VII. sive Sabbathum. Talmudici hoc die etiam Neomeniam celebrasse videntur. Facile enim Luna in terra Israelis ante noctem videri poterat. Quod si non: XXXI Martii omnino erit novilunium: & XIV Aprilis plenilunium, feria II. & XIII, Parasceve Paschatis feria I. At prima feria non passus est Dominus. Alterum Novilunium incidit in XXVIII Aprilis, Novilunium civile est XXIX vel XXX Aprilis, ac plenilunium XIII, vel XIV Maji, feria III, aut IV. Sed vix tantum in consequentia solemnitas Paschatis protrudebatur. Sed ponatur tum Pascha celebratum fuisse: illud tamen σταυρώσιμον non fuit. Quippe Parasceve illius Paschatis incidit vel in XII, vel ad summum in XIII Maji. Ideoque vel feriam II, vel III. At tertia feria non passus est Dominus: sed biduo post. Equidem hanc opinionem Chemnitius, omnesque nostræ confessionis Theologi sequi videntur. Statuit enim Christum quarto post baptismum Paschate passum fuisse. At anno Per. Jul. 4741 post XIX Augusti incepit Iohannes baptizare, ut antea demonstratum est. Christus ergo necessario post hoc tempus baptizatus est. Primum ergo Pascha omnino erit anni 4742: alterum 4743: tertium 4744: quartum 4745. Hoc ergo anno passus esset Christus: siquidem quarto post baptismum Paschate id contigisset. At hoc anno non contigisse patet. Quis enim Scripturæ se opponeret, aut certissimas illas demonstrationes rejiceret, quæ ex manifestis Scripturæ verbis petuntur? At jam ex Scripturis demonstravimus, Christum in Parasceve Paschatis Iudaici feria quinta fuisse passum. Eo ergo anno, quo Parasceve Paschatis non in feriam quintam, sed feriam I aut III, sive diem Solis aut Martis incidit, Christus passus non est. Sed nostrorum Theologorum sententiam tum exponam, cum veram sententiam proposuerim: unaque demonstrabo, illam longe certissimam ac verissimam esse. Equidem sine ambitione dicere possum, neminem unquam, magis vera de his locutum fuisse: & tamen ad popularem sensum atque intellectum accommodasse. Et nescio an soli illi veritatem plebeis ac indoctis hominibus ita proposuerint, ut sine scandalo ac scrupulo (quibus nimium obnoxii sunt indoctorum animi) eandem recipere possent. Quod tamen sicut sine ambitione, ita etiam sine alterius

rius

rius contemptu dictum velim. Sed de his postea. Tres adhuc anni restare videntur, de quibus lis esse posset, 4746 nempe, 4747, & 4748. Sed ab ultimis incipiam, ut ad prima perveniam. Anno ergo 4748 Novilunium Nisan contigit Martii XXVII. hor. post med noct. 19. Iuxta Talmudicos ergo XXVIII, vel ad summum XXIX Martii est Novilunium Nisan feria III vel IV. Karræis vero XXVIII. feria III. Ideoque horum Parasceve incidit in X Aprilis, feriam II: illorum in XI, feriam III. Alterum vero Novilunium contigit Aprilis XXVI. 8 hor. post med. noctem. Ideoque XXVI dies fuit Novilunium Karræorum, feria III. XXVII vero Talmudicorum feria IV. Unde illorum Parasceve incidit in IX Maji, feriam II: horum in X Maji, feriam III. At feria III non passus est Dominus, sed feria V. ergo neque hoc anno. Atque hic ultimus annus est, de quo dubium esse potest. Anno vero præcedenti 4747, vulgaris æræ Christi XXXIV, Novilunium contigit Martii VIII. hor. 21. post med. noctem. Unde Karræorum & Talmudicorum Novilunium incidit in IX Martii, feriam III. & Plenilunium Nisan in XXIII, feriam III. Sed hoc Plenilunium non potest esse mensis Nisan, eo quod Æquinoctium antecedat. Et si esset, non tamen ad illud passio referri posset, quia non II aut III feria passus est Dominus. Sequens vero Novilunium, quod incidit in VII Aprilis, hora 10. p. m. n., est mensis Nisan. Ac tum Parasceve Karræorum incidit in XX Aprilis, feriam III. Talmudicorum, in XXI April. feriam IV. Ideoque nec huic tempori passio competere potest, quæ quinta feria contigit. Manifestum igitur est, passionem nec ante XXXIII vulgarem contigisse, nec post. Anno autem 4746. vulgaris æræ XXXIII. Novilunium Nisan contigit Martii XIX. hor post med noct. 13. Ideoq; Karræorum Novilunium convenit XIX Martii, fer. V, Talmudicorum autem XX Martii, feria VI. Plenilunium vero Karræorum incidit in II Aprilis, feriam V. & Parasceve in I Aprilis, feriam IV. Talmudicorum vero Parasceve incidit in feriam V. II Aprilis: & XV Nisan, sive dies magnus Azymorum in III Aprilis, feriam VI. Alterum vero Novilunium incidit in XVIII Aprilis, hor. 1. post med. noct. Ideoque XVIII dies Karræis & XIX. Talmudicis Novilunium est. His ergo III Maji fer. I, illis II. feria VII, plenilunium est. Ideoque Parasceve Paschatis incidisset in VI aut septimam feriam. Sed nec die Veneris, nec Sabbatho passus est Dominus. Patet igitur, inter omnes eos annos, de quibus dubitari posset, an Christus passus esset, nullum plane annum esse, cui Characteres à Spiritu Dei in Scripturis sacris propositi convenire possint, præter annum 33. In omnibus

enim reliquis, tam ante quam post hunc annum, Parasceve Paschatis incidit in feriam I. II. III. aut IV. quibus Christus passus non est. Hoc vero unico anno Parasceve Paschatis Karræorum incidit in feriam IV. Talmudicorum in feriam V. Adeoque Christus & XV Luna, (nimirum juxta Karræorum rationem, quam ipsemet in esu agni Paschalis sequutus fuit) & feria V, & Parasceve Paschatis XIV Luna, (nimirum juxta Talmudicos) passus fuit. Hæc ergo sola atque unica sententia vera est; cui nihil plane opponi potest. Qui enim Paschatum numerum in Scripturis propositum urgere volet, toto errat cœlo. Neque enim à Paschatibus anni: sed ab annis Paschata dependent. Nam non omnia Paschata ab Evangelista Iohanne notata sunt. Sicut enim non omnia facta Christi literis consignata sunt: ita neque tempora quibus ea gesta sunt, à quoquam notata fuere. Vitiosum ergo argumentum illud est, quod vel pueri nostri, qui prima Logices elementa degustarunt dijudicare possunt. Rectè quidem ac bene ita aliquis ratiocinatur: Iohannes 4 Paschatum meminit, quorum solemnitati Christus interfuit, ergo tres post baptismum solidos annos Christus exegit, & tantam partem quarti anni, quanta inter baptismum & Pascha intercedit. Falso autem, si ita ex his præmissis concludat: Ergo non plures quam tres annos, & partem quarti post baptismum exegit. Probari enim debebat, omnia Christi dicta & facta Iohannem perscripsisse, nec quicquam, aut in gestis, aut in tempore omisisse; quod ipsemet disertis verbis negat Ioh. 21. Est ergo sententia ista, quæ inter alios etiam Montacutio probatur, ut præficine dicam, & ipso Montacutii verbo utar, probabilis quidem: nec tamen ideo vera. Ipse enim Montacutius Christum baptizatum statuit, Rubellio & Fusio Geminis Consulibus, anno Juliano 74. Per. Jul. 4742. Primum ergo Pascha hujus anni est. Alterum 4743. Tertium 4744. & quartum 4745. Sed hoc anno impossibile est, passum fuisse Domimum: nisi dicendum sit, ipsum vel feria I, vel alio die, quam Parasceve Paschæ passum fuisse, quod utrumq; Scripturis contrarium. Sed melior Montacutius literator est, quam Chronologus. In his enim crassissime errat: ut ex iis, quæ in originibus Ecclesiasticis de natali Christi scripsit, manifestum est. Quæ igitur de Paschatum ratione ab Evangelistis perscripta sunt: nostræ sententiæ opponi non possunt. Sed neque incertitudo illa Neomeniarum Iudaicarum, qua Petavius se defendere conatur, aut aliud quidquam simile heic locum habet. Ea enim omnia antea rejecta & refutata sunt. Denique nec objici potest recepta Ecclesiarum sententia, quæ sextam feriam passioni di-

cat.

cat. Ex Scripturis enim demonstratum est, Christum Dominum non sexta, sed v feria passum. Et errat Scaliger, qui Parasceven Paschatis in III Aprilis sextam feriam conjicit, quod ipsum ante eum fecerat Alphonsus Tostatus, Iohannes Lucidus & alii. Neque enim plenilunium, vel verum vel civile Iudaicum, ulla ratione hoc anno III Aprilis convenire potest: ideoque nec XIV Nisan, sive Parasceve Aprilis III. Nam quod de Periodo Alexandrea, Cyclis Calippicis, ejusque generis aliis, ut & de feriarum translatione dicitur, antea refutatum est. Si vero quispiam ideo communem hodiernæ Ecclesiæ opinionem sequi vellet, ne teneris indoctorum hominum conscientiis scrupulum injiceret, (quod hisce temporibus à doctissimis quibusdam Theologis observatur,) non tamen alio anno, quam hoc ipso Christum passum dicere posset. Nunquam enim in reliquis annis Parasceve Paschatis feriæ sextæ convenire ulla vera ratione potest. Heic vero, si dicatur, Novilunium Martii non fuisse mensis Nisan, eo quod fruges propter tempestates minus maturæ, & agni hædique parvi essent: cadet Parasceve Paschatis in I Maji, feriam VI. Atque sic satis concinnè loqueretur: quamvis tum nulla causa dari posset, cur alio tempore Christus, alio Iudæi Pascha comedissent, nisi diceretur Christum errasse. Quod quamvis à Græcis creditum fuit, impium tamen est. Verum non VI feria passus est Dominus: sed quinta. Concludimus igitur. Passus est Dominus & Salvator noster Iesus Christus pro totius mundi peccatis, nosque per suam mortem & passionem reconciliavit Deo, Anno P. Jul. 4746. Cyclo Solis XIV. Lunæ XV. Indictione VI. IV Nonas Aprilis. P. Constant. 5541 Cyclo S. XXV. Lunæ XII. Ind. I. Anno Orb. conditi 4074. Mensis Nisan sive primi die XV. feria quinta, sive die Iovis. Olympiadis CCII. anno IV. (ad quem Phlegon Trallianus Antonii libertus notaverat, maximam Solis obscurationem contigisse circa horam diei sextam, ut Hieronymo in Chronicis Eusebii notatum est, quam Tertullianus, Africanus, aliique vetustissimi Patres, de extraordinaria hac Solis obscuratione explicant, quæ Christo patiente contigit.) anno Urbis Condit. DCCLXXXIV. Coss. Ser. Sulpitio Galba, L. Cornelio Sulla. Anno Imperatoris Tiberii XIX. Anno Nabonnazaru 780. XXI mensis Pharmuthi. Anno Juliano LXXVIII. Anno Alexandrinorum LXII. mensis Pharmuthi VII. Resurrexit vero ad nostram Justitiam XVIII. die Nisan, V. Aprilis, sive ipsis Nonis. X Pharmuthi fixi, XXIV vagi.

mus ac fœminæ religiosæ Sabbathum magnum non violarunt, quamvis ipso die xv Nisan, juxta Carræorum rationem, Christum sepelirent. Christus ergo passus est xv die Nisan, feria v. qui Talmudicis erat dies xiv Nisan. Ex his ergo characteribus diem passionis investigemus.

CAP. VII.

Christus, ante Pascha anni xxxi. *æræ vulgaris, & post Pascha anni* xxxv, *passus non est. Quanto tempore Pilatus procurator Iudææ fuerit? Pauli Forosemproniensis, Gerhardi Vossii, & quorundam Patrum, de tempore passionis opinio refutatur. Scaligeri de Sabbatho* δευτεροπρώτῳ *sententia confirmatur, ac reliquorum refelluntur.*

ANtequam characteres hos ad tempus applicemus, necessarium plane est, ut illos annos utrinque excludamus, quibus certum est, Christum passum non esse. Primum ergo illud ex Scripturis manifestum est, Christum passum esse Pontio Pilato præside Iudææ. Id enim ex omnibus Evangelistis fit manifestum. Tacitus addit, Tiberio imperante. Annalium xv. *Auctor nominis ejus Christus, qui, Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Nec aliter esse poterat. Quippe Pilatus ante Tiberii mortem decessit è provincia: & quidem ante Pascha anni 81 Iuliani. Vitellius namque in Syriam venit, exeunte anno Iuliano 80. ut ex Tacito patet. Coram eo accusatus fuit Pilatus, & ad causam suam defendendam Romam missus, ante Pascha illius anni, quo Hierosolymis Vitellius fuit. Iosephus Antiq. xviii. cap. v. & vi. Præfuerat vero Pilatus provinciæ decem annos, ut ex eodem loco patet. Ante ipsum procurator fuerat Valerius Gratus, quem Tiberius statim sub imperii sui initium in Iudæam miserat, quique eam provinciam administraverat annis xi. Additis xxi annis ad 59 Julianum, quo Tiberius cœpit, prodit annus Julianus 80. cujus fine Pilatus è provincia decessit. Id manifestum est, ante Pascha anni Juliani 81. Pilatum Magistratu excessisse. Quippe Vitellius, postquam Pilatum Romam abire jusserat, & Marcellum illi provinciæ præfecerat Hierosolyma ad solemne Paschatis venit: summisque Sacerdotibns sacram stolam custodire permisit. Ioseph. Orig. xviii. cap. vi. Post illud tempus literas à Tiberio accipit, de pace cum

cum Artabano facienda. Quod ipſum perfecit Vitellius: ac pace facta, de omnibus Tiberio ſcripſit. Sed Herodes Tetrarcha antea omnia Tiberio perſcripſerat. Ideoque reſcripſit Tiberius ſe hæc ab Herode antea reſciviſſe. Deceſſit Tiberius Anno Juliano 82. XVII Kal. April. adeoque ante Paſcha. Tanto ergo poſt Paſcha tempore ad Vitellium ſcribere non poterat, de iis, quæ ab Herode reſciverat. Manifeſtum ergo eſt, omnia ea acta eſſe anno ſuperiori 81. Ideoque Paſcha illud, cui Vitellius interfuit, omnino eſt anni 81. Ergo ante Paſcha anni 81. Pilatus Magiſtratu abierat. Unde falſa eſt Pauli Foroſempronienſis opinio, quæ hoc anno (qui eſt æræ Chriſti vulgaris XXXVI) Chriſtum paſſum pronunciat. Non enim Marcello, ſed Pilato Præſide paſſus eſt Dominus. Extremum ergo Paſcha, de quo quæri poteſt, eſt anni Juliani 80. vulgaris æræ Chriſti XXXV. Per. Jul. 4748. Atque hic terminus excludit omnes annos in conſequentia. In antecedentia verò annus XXXI. vulgaris æræ Per. Jul. 4744. Julian. 76. Neque enim Dominus ante Paſcha anni XXXI paſſus eſt. Quod inde liquet. Chriſtus poſt XIX Kal. Septembris, anni Juliani 73. Per. Jul. 4741, vulgaris æræ XXVIII baptizatus eſt. Eo enim tempore XV annus Tiberii incipit: quo Iohannes primum baptizare cœpit. Primum ergo Paſcha poſt baptiſmum, adeoque poſt inchoatum miniſterium, eſt anni 74 Juliani. Epochæ vulgaris Chriſti XXIX. quo Conſules fuere C. Rubellius, & C. Fuſius Gemini. At primo Paſchate paſſus non eſt. Etenim Iohannes narrat cap. II, Chriſtum ſolemnitati cuidam Paſchali interfuiſſe, ac in ipſa ſolemnitate cum Iudæis in templo diſputaſſe. Longe poſt hoc tempus meminit alterius Paſchatis, quod imminebat Iohannis VI. Unde manifeſtum eſt, hoc illud Paſcha eſſe non poſſe, cujus capite II. mentio fit. Errarunt ergo omnes illi Patres qui Chriſtum XV anno Tiberii, C. Rubellio & C. Fuſio Geminis Coſſ. paſſum prædicant, omnesq; illi, qui hos ſequuntur. Equidē Clariſſ. Voſſius, & Geminis Coſſ. & XXV Martii, & XV Luna Chriſtum paſſum vult. Sed miris ſe ipſum modis implicat. Neque enim XXV Martii & XV. Luna anno Chriſti vulgar. XXIX convenire poſſunt, ſed octo ſolidis diebus differunt, ut ex calculo patet: quod ſane nullus Cleoſtratus excuſabit. Sed non Paſchate anni XXX. Chriſtus pati potuit. Etenim feſtum illud, cujus Iohannes meminit cap. V, ad minimum eſt חנוכה anni XXIX: ideoque feſtum Scenopegiorum anni XXIX tum tranſiverat, quandoquidem Encænia Caſlev menſis XXV, Scenopegia Tiſri XV, ſive duobus ſolidis menſibus antea celebrantur. At capite VII. diſertis verbis Iohannes meminit Scenopegio-

rum, quibus Christus interfuit: & cap. x. Encæniorum. Equidem sanus nemo dixerit, idem festum illud esse, quod Iohannis v. describitur, & Iohannis x. Si ergo festum Iohannis v, est Chanuca sive Encænia, anni xxix: ergo Encænia, quæ exstant Ioannis x, necessariò sunt anni xxx. Si dicatur, festum Iohannis v. esse Purim anni xxix, aut Pascha anni xxxi; (neque enim vel Pentecoste, vel Scenopegia anni xxix esse potest) habebimus concessum, quod volumus. Sic enim Scenopegia & Encænia, quæ hoc tempus sequuntur, necessariò incident post Pascha anni xxx. Adeoque Paschate anni xxx Christus passus non est. Rursus id ipsum alia ratione demonstratur. Christus in Galilæam venit post Iohannem in carcerem conjectum, Matthæi iv. v. 12. Marc. i. v. 14. Atque tum primum ibidem incepit concionari. Unde hinc Historiam gestorum Christi tam Matthæus quam Marcus auspicatur. Iohannes vero diu post Christum baptizatum in carcerem conjectus fuit, ut ex cap. iii. Iohannis liquet. Id sane manifestum est, hanc Christi in Galilæam reversionem, post Pentecosten anni xxix contigisse. Postquam vero in Galilæam venerat, plurima illic miracula edidit, longam illam concionem habuit, quæ Matthæi v. vi. & vii cap. descripta est. Denique discipulos suos in eas civitates præmisit, ad quas ipsemet accessurus erat: quæ omnia octo capitibus à Matthæo describuntur. Post hoc tempus per sementem iter fecit, quo discipuli vellebant spicas, Matth. xii. Id Lucas contigisse dicit Sabbato δευτεροπρώτῳ. quod bene Scaliger exposuit per πρῶτον σάββατον μετὰ τὴν δευτέραν τῶν Ἀζύμων, sive Ebraice שבת ראשון ממחרת· *Sabbatum primum post crastinum Sabbathi.* Crastino enim Sabbathi, quod juxta Talmudicos est secundus Azymorum, sive xvi Nisan, Omer offerebatur: à quo septem hebdomades numerari debebant, sive dies 49; & 50 die Pentecoste celebrari. Primum ergo Sabbathum, vocabatur, propter hunc calculum, Sabbatum primum post secundam Azymorum. Alterum vocabatur secundum post secundam Azymorum, hoc est, δευτερόπρωτον, δευτεροδεύτερον. Chemnitius septimam solemnitatis Azymorum heic intelligi vult. Sed eo non vetitum erat, quæ ad victum pertinebant parare. Quæ alii de primo Sabbatho, mensis Nisan heic habent, minus solida sunt. Nam cum lege vetitum esset, tam virides quam tostas spicas comedere, antequam Omer oblatus fuisset: Levit. xxvii. v. 14. nunquam id Pharisæi præteriissent, quin violatæ legis & in hoc Christum arguissent. Nec Patrum responsiones de gemino Sabbatho quicquam valent. Manifestum ergo est, Christum i. Sabbatho post Pascha per sata transivisse. At vero Pascha hoc non

non poteſt eſſe, illud, cujus Iohannes meminit cap. ſecundo. Eo enim Iohannes liber erat: at longe ante iſtud in carcerem detruſus. Ergo ad minimum erit Paſcha anni xxx. Et cum Sabbatho poſt Paſcha hæc contigerint, illo Paſchate Chriſtus paſſus non eſt. Primum ergo Paſcha, de quo quæri poſſit, an iſto Chriſtus paſſus ſit, eſt anni xxxi, Per. Jul. 4744. & ultimum ſive extremum, anni xxxv. Per. Jul. 4748.

Cap. VIII.

Tabula Neomeniarum Paſchalium in iis annis, quibus Chriſtus pati potuit. Petavii ſententia de anno paſſionis refutatur. Toſtati, Scaligeri, & aliorum in die Paßionis error. Vera ſententia proponitur ac demonſtratur. &c.

His ita demonſtratis nunc omnium annorum Paſchata examinabimus. Primo autem duo ſingulis annis Novilunia proponemus, ex quibus unum neceſſario erit medium, ſive Aſtronomicum initium menſis Niſan. Nam, ut diximus, aliquando factum fuit, ut menſis propter fruges minus maturos, pontes ruptos, aut ſimile quid, in anno Judaico intercalaretur. Ne igitur tale quid objici poſſet: non illud ſolum Novilunium notavimus, quod juxta rationes Mathematicas Niſan menſi conveniret, verum & proximè ſequens: ut nemini ulla dubitandi aut contradicendi cauſa eſſet relicta. Hęc ergo ſe ita habent.

Anni P. I.	*Chriſt.*	*Iul. Cycl. Sol.*		*Menſis.*	*Dies.*	*hor.*	*'.*	*".*	*Fer.*	*Iud.*
4744.	xxxi.	76.	xii.	Mart.	xii.	6.	48.	51.	ii.	ii
				April.	x.	19.	32.	55.	iii.	iv.
4745.	xxxii.	77.	xiii.	Martii.	xxx.	4.	21.	34.	i.	i.
				Aprilis.	xxviii.	17.	5.	38.	ii.	ii.
4746.	xxxiii.	78.	xiv.	Martii.	xix.	13.	10.	14.	v.	v.
				Aprilis.	xviii.	1.	54.	18.	vii.	vii.
4747.	xxxiv.	79.	xv.	Martii.	viii.	21.	58.	53.	ii.	iii.
				Aprilis.	vii.	10.	42.	53.	iv.	iv.
4748.	xxxv.	80.	xvi.	Martii.	xxvii.	19.	31.	35.	i.	ii.
				Aprilis.	xxvi.	8.	15.	39.	iii.	iii

In hac tabella habes omnia Novilunia cœleſtia media, de quibus diſputari poteſt: juxta quam dies omnes, & feriæ à media nocte Romanor. more numerantur. Adpoſitæ tamen ſunt feriæ, juxta rationem Iudai-

Iudaicam ordinatæ. Neomenia namque media Aprilis anni XXXI incidit more Romano in feriam III, Judaico, in feriam IV. Idem in Martio anni XXXIV. & XXXV obtinet, ut ex laterculo patet. Iuxta ea vero, quæ lib. I. cap. de anno Judaico à nobis disputata ac demonstrata sunt, Neomenia civilis Iudaica, vel in eodem, quo cœlestis, vel sequenti die constituitur. Hæc ergo ad Praxin nunc accommodanda sunt. Diximus antea, ac demonstravimus, Christum Parasceve Iudæorum, sive 14 Nisan Iudaico, XV vero Nisan juxta rationem Karræorum, mortuum esse, feria quinta. Anno ergo Per. J. 4744. sive vulgari 31 passus non est. Neomenia namque Martii, quæ est mensis Nisan, incidit in Martii 12. hor. 6. post med. noctem. Ideoque 12 Martii, juxta Karræos, 13 vero, vel etiam 12, juxta Talmudicos, erit Neomenia Nisan. Si enim Luna 12 Martii visa fuit, (quod satis commode fieri poterat) 12 erat Neomenica Talmudicorum: sin minus, decimustertius. Karræis vero 12 Martii Roshodes ideo fuit, quod Luna, si non 12, at saltem 13, pleno die visa esset. Plenilunium ergo Karræorum incidit in 26 Martii, feriam II. Talmudicorum aut in 26. aut ad summum in 27, feriam III. At si hic legitimus Passionis annus esset: Christus passus fuisset feria II. quod Scripturis contrarium. Petavius tamen hoc anno passum Christum prædicat, & quidem 23 Martii, feria sexta. At tum sane Pascha Iudæorum non erat. Illud enim (ut ex Philone Christi συγχρόνῳ, Iosepho, Mischna, aliisque principiis plane irrefragilibus, lib. I. cap. de anno Iud. demonstravimus) in 15 Lunam incidebat. Iam vero 23 Martii, non est 15 Luna, sed 12. ut ex calculo patet. At ex Cyclo quodam Iudaico, quem Epiphanius describit, probare nititur, Plenilunium civile triduo verum anticipasse. Sed tota istius Cycli ratio falsa est, ac ipsis Epiphanii verbis contraria, ut d.l. à nobis demonstratum est. Imo seipsum miseris modis implicat Epiphanius. Et cum ideo Cyclum hunc proposuerat, ut demonstraret, Iudæos in Paschate celebrando errasse, festum biduo anticipando: ita demum imprudenter concludit, ut exinde sequatur, Iudæos quidem biduo, Christum vero triduo aberrasse, ut antea dictum est. At incertitudine Neomeniarum Iudaicarum se defendit Petavius. Sed nunquam, nisi de uno die, lis esse poterat. Nam vel eo ipso die, quo Neomenia cœlestis contigit, vel sequenti, Novilunium celebrarunt. Non ergo in antecedentia: sed in consequentia Neomeniæ protrudebantur. Unde si quæ heic incertitudo, propter quam varie Plenilunium ordinari posset, illa unius tantum diei erit. Neque tum civile Plenilunium verum anticipabit: sed uno die

die tardius erit. Quod ergo de incertitudine Neomeniarum Petavius profert, plane impertinens est. Quid enim illud? Iudæi aliquando uno die tardius Plenilunium agebant, quam juxta cœlestes rationes oportebat: ergo & eo anno, quo Christus passus est, biduo, imo triduo solido anticiparunt. Quæ hæc ratiocinatio? Sed ponatur id verum esse, quod longe falsissimum est. Dicatur Iudæos biduo verum tempus anticipasse, adeoque in biduo errasse. Quid inde sequetur? Hoc sane, quod ex Epiphanio antea collegimus, Iudæos nempe biduo, Christum vero triduo errasse. Manifestum est Christum hoc tempore passum non esse: modo Scripturis & doctissimis atque antiquissimis scriptoribus, qui, ea scribebant, quæ oculis suis semper usurpabant, ulla fides erit habenda Alii ergo suas opiniones sequantur. Nobis certum est certa sequi Id objici potest, mensem hunc, propter fruges minus maturas, Nisan non fuisse, sed Adar secundum. Sequens ergo mensis erit Nisan. Hujus Novilunium contigit April. x. hor. 19. hoc est Iudæis Aprilis xi hor. 1. feria iv. Karræorum ergo Novilunium omnino erat Aprilis xi. feria iv. & Plenilunium xxv Aprilis, fer. iv. Unde xiv Nisan, sive Parasceve inciditin feriam iii. April xxiv. Neomenia vero Talmudicorum hoc eodem die contigit. Neque enim dubium est, quin Luna visa sit. Adeoque eadem est ratio, quæ in Karræorum. Sed visa non sit: xii ergo Aprilis necessario erit Neomenia, ut ex iis liquet, quæ lib. i. dicta sunt. Adeoque Plenilunium Talmudicorum incidet in xxvi Aprilis, & Parasceve Paschatis in xxv Aprilis, feriam iv. At Christus feria iv passus non est. Ergo nec anno xxxi vulgari, aut P.J. 4744. Manifestum ergo est, falsos hac in re Patres fuisse, eosque omnes, qui Patres ἀβασανίστως secuti, eundem cum illis errorem errant. Omnes enim fere Patres in hoc consentiunt, xv Luna (vere & proprie loquendo) Christum passum esse: quod etiam verum est, & antea demonstratum. Quidam etiam eorum quintam feriam ponunt: alii vero sextam. Illi verum dicunt, hi minime. Ex Scripturis namque fallere nesciis demonstratur, Christum feria quinta passum esse. Hi ergo duo characteres necessario convenire debent. At impossibile est hoc anno convenire posse, ut jam demonstravimus. Ergo neque hic annus est verus passionis. Incerta ergo tota illa ratio est, quæ ex Patrum auctoritate deducitur. Nemo enim magis unquam in his erravit, quam ipsimet Patres, quorum alii trigesimo primo ætatis anno Christum passum perhibent: alii quinquagesimum fere attigisse. Certa igitur nonnisi ex certis principiis demonstrari possunt. Unde

Patrum auctoritas, & invicem, & à Scripturis ac verissimis demonstrationibus dissentiens, heic nullum locum habere potest. Anno Per. Jul. 4745. Christi vulgari XXXII, vero XXXIV, Novilunium Nisan contigit Martii XXX. hor. 4. post med. noct. Karraeis ergo Neomenia hoc die erat. Ideoque XV Nisan, est XIII. Aprilis, feria I & XIV Nisan, feria VII. sive Sabbathum. Talmudici hoc die etiam Neomeniam celebrasse videntur. Facile enim Luna in terra Israelis ante noctem videri poterat. Quod si non: XXXI Martii omnino erit novilunium: & XIV Aprilis plenilunium, feria II. & XIII, Parasceve Paschatis feria I. At prima feria non passus est Dominus. Alterum Novilunium incidit in XXVIII Aprilis, Novilunium civile est XXIX vel XXX Aprilis, ac plenilunium XIII, vel XIV Maji, feria III, aut IV. Sed vix tantum in consequentia solemnitas Paschatis protrudebatur. Sed ponatur tum Pascha celebratum fuisse: illud tamen σαυρώσιμον non fuit. Quippe Parasceve illius Paschatis incidit vel in XII, vel ad summum in XIII Maji. Ideoque vel feriam II, vel III. At tertia feria non passus est Dominus: sed biduo post. Equidem hanc opinionem Chemnitius, omnesque nostrae confessionis Theologi sequi videntur. Statuit enim Christum quarto post baptismum Paschate passum fuisse. At anno Per. Jul. 4741 post XIX Augusti incepit Iohannes baptizare, ut antea demonstratum est. Christus ergo necessario post hoc tempus baptizatus est. Primum ergo Pascha omnino erit anni 4742: alterum 4743: tertium 4744: quartum 4745. Hoc ergo anno passus esset Christus: siquidem quarto post baptismum Paschate id contigisset. At hoc anno non contigisse patet. Quis enim Scripturae se opponeret, aut certissimas illas demonstrationes rejiceret, quae ex manifestis Scripturae verbis petuntur? At jam ex Scripturis demonstravimus, Christum in Parasceve Paschatis Iudaici feria quinta fuisse passum. Eo ergo anno, quo Parasceve Paschatis non in feriam quintam, sed feriam I aut III, sive diem Solis aut Martis incidit, Christus passus non est. Sed nostrorum Theologorum sententiam tum exponam, cum veram sententiam proposuerim: unaque demonstrabo, illam longe certissimam ac verissimam esse. Equidem sine ambitione dicere possum, neminem unquam, magis vera de his locutum fuisse: & tamen ad popularem sensum atque intellectum accommodasse. Et nescio an soli illi veritatem plebeis ac indoctis hominibus ita proposuerint, ut sine scandalo ac scrupulo (quibus nimium obnoxii sunt indoctorum animi) eandem recipere possent. Quod tamen sicut sine ambitione, ita etiam sine alte-

rius

rius contemptu dictum velim. Sed de his postea. Tres adhuc anni restare videntur, de quibus lis esse posset, 4746 nempe, 4747, & 4748. Sed ab ultimis incipiam, ut ad prima perveniam. Anno ergo 4748 Novilunium Nisan contigit Martii XXVII. hor. post med. noct. 19. Iuxta Talmudicos ergo XXVIII, vel ad summum XXIX Martii est Novilunium Nisan feria III vel IV. Karræis vero XXVIII. feria III. Ideoque horum Parasceve incidit in X Aprilis, feriam II: illorum in XI, feriam III. Alterum vero Novilunium contigit Aprilis XXVI. 8 hor. post med. noctem. Ideoque XXVI dies fuit Novilunium Karræorum, feria III. XXVII vero Talmudicorum feria IV. Unde illorum Parasceve incidit in IX Maji, feriam II: horum in X Maji, feriam III. At feria III non passus est Dominus, sed feria V. ergo neque hoc anno. Atque hic ultimus annus est, de quo dubium esse potest. Anno vero præcedenti 4747, vulgaris æræ Christi XXXIV, Novilunium contigit Martii VIII. hor. 21. post med. noctem. Unde Karræorum & Talmudicorum Novilunium incidit in IX Martii, feriam III. & Plenilunium Nisan in XXIII, feriam III. Sed hoc Plenilunium non potest esse mensis Nisan, eo quod Æquinoctium antecedat. Et si esset, non tamen ad illud passio referri posset, quia non II aut III feria passus est Dominus. Sequens vero Novilunium, quod incidit in VII Aprilis, hora 10. p. m. n., est mensis Nisan. Ac tum Parasceve Karræorum incidit in XX Aprilis, feriam III. Talmudicorum, in XXI April. feriam IV. Ideoque nec huic tempori passio competere potest, quæ quinta feria contigit. Manifestum igitur est, passionem nec ante XXXIII vulgarem contigisse, nec post. Anno autem 4746. vulgaris æræ XXXIII. Novilunium Nisan contigit Martii XIX. hor post med noct. 13. Ideoq; Karræorum Novilunium convenit XIX Martii, fer. V, Talmudicorum autem XX Martii, feria VI. Plenilunium vero Karræorum incidit in II Aprilis, feriam V. & Parasceve in I Aprilis, feriam IV. Talmudicorum vero Parasceve incidit in feriam V. II Aprilis: & XV Nisan, sive dies magnus Azymorum in III Aprilis, feriam VI. Alterum vero Novilunium incidit in XVIII Aprilis, hor. 1. post med. noct. Ideoque XVIII dies Karræis & XIX. Talmudicis Novilunium est. His ergo III Maji fer. I, illis II. feria VII, plenilunium est. Ideoque Parasceve Paschatis incidisset in VI aut septimam feriam. Sed nec die Veneris, nec Sabbatho passus est Dominus. Patet igitur, inter omnes eos annos, de quibus dubitari posset, an Christus passus esset, nullum plane annum esse, cui Characteres à Spiritu Dei in Scripturis sacris propositi convenire possint, præter annum 33. In omnibus

enim reliquis, tam ante quam post hunc annum, Parasceve Paschatis incidit in feriam I. II. III. aut IV. quibus Christus passus non est. Hoc vero unico anno Parasceve Paschatis Karræorum incidit in feriam IV. Talmudicorum in feriam V. Adeoque Christus & XV Luna, (nimirum juxta Karræorum rationem, quam ipsemet in esu agni Paschalis sequutus fuit) & feria V, & Parasceve Paschatis XIV Luna, (nimirum juxta Talmudicos) passus fuit. Hæc ergo sola atque unica sententia vera est; cui nihil plane opponi potest. Qui enim Paschatum numerum in Scripturis propositum urgere volet, toto errat cœlo. Neque enim à Paschatibus anni: sed ab annis Paschata dependent. Nam non omnia Paschata ab Evangelista Iohanne notata sunt. Sicut enim non omnia facta Christi literis consignata sunt: ita neque tempora quibus ea gesta sunt, à quoquam notata fuere. Vitiosum ergo argumentum illud est, quod vel pueri nostri, qui prima Logices elementa degustarunt dijudicare possunt. Rectè quidem ac bene ita aliquis ratiocinatur: Iohannes 4 Paschatum meminit, quorum solemnitati Christus interfuit, ergo tres post baptismum solidos annos Christus exegit, & tantam partem quarti anni, quanta inter baptismum & Pascha intercedit. Falso autem, si ita ex his præmissis concludat: Ergo non plures quam tres annos, & partem quarti post baptismum exegit. Probari enim debebat, omnia Christi dicta & facta Iohannem perscripsisse, nec quicquam, aut in gestis, aut in tempore omisisse; quod ipsemet disertis verbis negat Ioh. 21. Est ergo sententia ista, quæ inter alios etiam Montacutio probatur, ut præficine dicam, & ipso Montacutii verbo utar, probabilis quidem: nec tamen ideo vera. Ipse enim Montacutius Christum baptizatum statuit, Rubellio & Fusio Geminis Consulibus, anno Juliano 74. Per. Jul. 4742. Primum ergo Pascha hujus anni est. Alterum 4743. Tertium 4744. & quartum 4745. Sed hoc anno impossibile est, passum fuisse Dominum: nisi dicendum sit, ipsum vel feria I, vel alio die, quam Parasceve Paschæ passum fuisse, quod utrumq; Scripturis contrarium. Sed melior Montacutius literator est, quam Chronologus. In his enim crassissime errat: ut ex iis, quæ in originibus Ecclesiasticis de natali Christi scripsit, manifestum est. Quæ igitur de Paschatum ratione ab Evangelistis perscripta sunt: nostræ sententiæ opponi non possunt. Sed neque incertitudo illa Neomeniarum Iudaicarum, qua Petavius se defendere conatur, aut aliud quidquam simile heic locum habet. Ea enim omnia antea rejecta & refutata sunt. Denique nec objici potest recepta Ecclesiarum sententia, quæ sextam feriam passioni di-

cat.

cat. Ex Scripturis enim demonstratum est, Christum Dominum non sexta, sed v feria passum. Et errat Scaliger, qui Parasceven Paschatis in III Aprilis sextam feriam conjicit, quod ipsum ante eum fecerat Alphonsus Tostatus, Iohannes Lucidus & alii. Neque enim plenilunium, vel verum vel civile Iudaicum, ulla ratione hoc anno III Aprilis convenire potest: ideoque nec XIV Nisan, sive Parasceve Aprilis III. Nam quod de Periodo Alexandrea, Cyclis Calippicis, ejusque generis aliis, ut & de feriarum translatione dicitur, antea refutatum est. Si vero quispiam ideo communem hodiernæ Ecclesiæ opinionem sequi vellet, ne teneris indoctorum hominum conscientiis scrupulum injiceret, (quod hisce temporibus à doctissimis quibusdam Theologis observatur,) non tamen alio anno, quam hoc ipso Christum passum dicere posset. Nunquam enim in reliquis annis Parasceve Paschatis feriæ sextæ convenire ulla vera ratione potest. Heic vero, si dicatur, Novilunium Martii non fuisse mensis Nisan, eo quod fruges propter tempestates minus maturæ, & agni hædique parvi essent: cadet Parasceve Paschatis in I Maji, feriam VI. Atque sic satis concinnè loqueretur: quamvis tum nulla causa dari posset, cur alio tempore Christus, alio Iudæi Pascha comedissent, nisi diceretur Christum errasse. Quod quamvis à Græcis creditum fuit, impium tamen est. Verum non VI feria passus est Dominus: sed quinta. Concludimus igitur. Passus est Dominus & Salvator noster IESUS CHRISTUS pro totius mundi peccatis, nosque per suam mortem & passionem reconciliavit Deo, Anno P. Jul. 4746. Cyclo Solis XIV. Lunæ XV. Indictione VI. IV Nonas Aprilis. P. Constant. 5541 Cyclo S. XXV. Lunæ XII. Ind. I. Anno Orb. conditi 4074. Mensis Nisan sive primi die XV. feria quinta, sive die Iovis. Olympiadis CCII. anno IV. (ad quem Phlegon Trallianus Antonii libertus notaverat, maximam Solis obscurationem contigisse circa horam diei sextam, ut Hieronymo in Chronicis Eusebii notatum est, quam Tertullianus, Africanus, aliique vetustissimi Patres, de extraordinaria hac Solis obscuratione explicant, quæ Christo patiente contigit.) anno Urbis Condit. DCCLXXXIV. Coss. Ser. Sulpitio Galba, L. Cornelio Sulla. Anno Imperatoris Tiberii XIX. Anno Nabonnazaru 780. XXI mensis Pharmuthi. Anno Juliano LXXVIII. Anno Alexandrinorum LXII. mensis Pharmuthi VII. Resurrexit vero ad nostram Justitiam XVIII. die Nisan, V. Aprilis, sive ipsis Nonis. X Pharmuthi fixi, XXIV vagi.

CAP. IX.

LXX *Danielis hebdomades explicantur, & ad Christi passionem applicantur. Scaligeri & Lansbergii opinio falsa. Vera Hebdomadum Epocha demonstratur, & Esdras explicatur.*

ATque hæc exoptati illius ac vere salutaris temporis Epocha est, ex certis ac fallere nesciis principiis demonstrata. Quæ ideo diligentius investiganda erat, quod septuaginta Danielis hebdomades heic finem suum habeant. Quod ut rectius percipiatur; ipsa verba Danielis proponenda sunt, quæ ex capite IX. 24. ita sonant: *Septuaginta hebdomadum tempus decisum est super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ad cohibendam pravaricationem, & obsignandum peccatum, & ad obtegendum,* sive placandum *iniquitatem, & ut veniat Iusticia seculorum, & ut obsignetur visio & Prophetia, & ad ungendum sanctum sanctorum. Et scito ac intellige, quod ab eo tempore, quo egreditur mandatum, ut revertantur & ædificent Ierosolyma, usque ad Messiam Principē hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ. Revertetur* (populus) *& ædificabitur platea & fossa, & in angustia temporum. Et post istas septuaginta duas hebdomades Messias exscindetur, & non ipsi. Et civitatem & sanctuarium perdet populus Ducis venturi, & terminus ejus erit in inundatione, & usque ad finem belli decreta desolationes. Et confirmabit pactum multis hebdomade una: & medio hebdomadis quiescere faciet immolationem, & oblationes: & super alam abominationes desolantis, & usque ad consummationem, & determinatum tempus, desolationes erunt.* Hæc Danielis verba sunt: quæ longe verissima esse, ne Iudæus quidem negaverit. Manifestum verò est, de Messiæ adventu, & excisione hæc agere. Ipse enim est, qui languores nostros portavit, Esaiæ LIII. (lege totum illud caput.) Ipse est יהוה צדקנו *Dominus Iustitia nostra* Ierem XXXIII, hoc est, ut Daniel loquitur, *Iustitia omnium seculorum*, sive omnium eorum hominum, qui in omnibus seculis unquam vixerunt viventve. Completa vero hæc omnia esse debent ante desolationem Hierosolymorum. Hæc enim desolatio brevi post sequitur. Templo ergo secundo stante, omnino venerit Messias. Nec aliter esse patet. Dicit enim Angelus, numerari ab edicto emisso, de Hierosolymis reædificandis, ad Christum Principem hebdomadas 7. & hebdomadas 62. hoc est junctim hebdomadas 69. post quas Messias exscindetur. Hebdomas apud Iudæos, vel est dierum vel annorum. Prior est septem dierum, cujus ultimus est Sabbathum, quo quie-

quievit Deus ab omni opere. Posterior annorum est, cujus ultimus sive septimus annus est Sabbathum terræ, quo quievit terra Israelis. Aliæ hebdomades, nec Iudæis, quibus hæc Daniel scribebat, (Hebraice enim ea in Daniele scripta sunt, quæ à solis Iudæis legi & intelligi debebant) nec aliis unquam cognitæ fuerunt. Hæ ergo hebdomades, erunt vel dierum, vel annorum. Sed dierum esse non possunt. Tum enim Messias ante Malachiam venisset: adeoque falsus hic fuisset, qui venturum eum ad templum suum prædiceret, qui jam pridem venerat. Vixit enim, & vaticinatus est Malachias multis annis post emissum edictum, de restaurandis Hierosolymis. At hebdomades 70 habent dies 490. qui ne unum quidem sesquiannum æquant. Hæ ergo Hebdomades annorum erunt. Dicit vero, Messiam tollendum esse post *istas 62 hebdomades*, hoc est istas, quæ septem priores sequebantur. Adeoque post finitas ab edicto emisso 69 hebdomadas tolli Christus debebat: & quidem media hebdomade 70. Tum enim sacrificium & oblationem quiescere fecit. Quod quidem alia ratione factum non fuit: nisi quod sacrificia & oblationes post illud tempus nullum usum haberent. Nam ex Iosepho patet, victimas immolatas fuisse usque ad supremum urbis excidium. At ante excidium hæc tolli debebant. De usu ergo, sive fructu sacrificiorum Daniel loquitur, quæ morte sua Christus inutilia reddidit, semel pro nostris peccatis oblatus. Erunt ergo ab egressu edicti, ad mortem Christi, anni solidi 486. & 487 ineunte Dominus passus erit. Exivit verò mandatum de ædificandis Hierosolymis Artaxerxe Rege Persarum, anno Imperii ipsius XX; Nehemiæ. cap. II. v. 1. seq. Cyrus enim de templo, non de Urbe ædificanda mandatum dederat. Quamvis Iudæi nihilominus jus sibi ædificandi sumerent. Darius vero Hystaspis etiam templum ædificare permiserat, non tamen Urbem. Primus Artaxerxes de urbe & muris ædificandis mandatum dedit. Tres vero inter Reges Persidis Artaxerxes sunt Longimanus, Mnemon & Ochus. Mnemon anno Per. Jul. 4309 incepit. Ideoque 20 ejus annus incidit in annum P. Jul. 4328. quibus si addantur 486 anni, prodit annus 4814. qui est 31 post excisa Hierosolyma & templum à Tito combustum. De hoc ergo Artaxerxe Nehemias non loquitur: multo minus de Artaxerxe Ocho, qui hunc sequutus fuit. Manifestum ergo est de Artaxerxe Longimano sermonem institui. Duplex autem hujus initium est. Prius dependet ab anno P. J. 4241. Posterius ab anno 4248. ut capite 15. lib. II. à nobis demonstratum est. Sed Nehemias à priori exordio numerat, quod etiam optimus scriptor Thucydides alicubi sequi vide-

videtur. Anno ergo P. J. 4241 ineunte cœpit Artaxerxes: & Nisan vicesimi anni Artaxerxis, est P. Jul. 4260. Ideoque primus hebdomadum Danielis à Nisan anni 4260 dependet. Annis 49 sequentibus Iudæi, quamvis variam fortunam experti, civitatem tamen totam exstruxerunt: fossasque duxerunt, atque urbem communiverunt, ut ex Nehemia patet. Quam historiam ideo minus explicare possumus: quod istorum temporum Scriptores partim de Iudaicis rebus nihil consignarint, partim perierint. Anno vero 487 ineunte, hebdomadis 70, anno quarto incipiente, mense Nisan, hoc est medio hebdomadis 70. Per. Jul. 4746. Christus Princeps noster pro nobis oblatus, sacrificia & oblationes legales sustulit, umbrasque illas præsente corpore cessare jussit. Equidem Scaliger LXX hebdomades, à II anno Darii Nothi auspicatur, atque perducit ad annum excidii Hierosolymitani. Sed cum ne sic quidem tempus conveniret, non solùm 70 plenas hebdomades numeravit: sed etiam addidit annos tres, sive dimidiam hebdomadem. Verum multa heîc falsa. Neque enim Dario Notho imperante, aut ejus anno secundo edictum de Hierosolymis ædificandis propositum fuit. De templo multis annis antea à Cyro edictum emissum fuerat: at propter vicinorum iniquitatem effectum ante secundum Darii primi annũ habere non potuit. Præterea Daniel non ad excidiũ urbis 70 Hebdomades numerat, sed ad Christum principem, nec omnes 70 plenas fuisse dicit; sed 69 plenas, & 70 dimidiam. Et quomodo istud conciliabit Scaliger, *post istas sexaginta duas hebdomades*, nimirum quæ septem priores sequentur, *Christus exscindetur*. Tota ergo hæc ratio falsa est. Lansbergius à VII anno Artaxerxis numerare incipit. Sed tum non de urbe ædificanda edictum factum fuit, quod falso supponit, sed tantùm de templo, iisque quæ sacrificia concernunt. Confer. cap. VII. Esdræ cum I. & II. cap. Nehemiæ. Petavius, nisi falsam rationem in anno Passionis sequutus fuisset: verissima prodidisset. Nunc verò, & uno anno nimis Epocham Artaxerxis in antecedentia detrusit, & annum Passionis in III hebdomadis 70 ineuntem confert. At tertius annus incipiens, non est medium hebdomadis annalis: sed quartus. Nostra ergo ratio omnium certissima est. Opponi tamen huic nostræ assertioni, quædam ex Esdra possunt. Quippe ex ipso & Nehemia manifestum est, templum ædificatum ac perfectum fuisse, antequam Nehemias, accepto ab Rege Artaxerxe privilegio, Hierosolyma veniret, murosque ædificaret. At templi ædificatio non ante VI Darii annum finita fuit. Darius hic juxta Scaligeri Calculum non potest esse Darius Hystaspes. Quippe ante

ante eum Rex Perſarum ponitur Artaxerxes, & ante hunc Aſverus. Scaliger dicit Artaxerxem eſſe illum quem Græci Μακρόχειρα vocant. Aſverum vero Xerxem. At ego Aſverum dico fuiſſe Cambyſem: & Artaxerxem, Smerdin Magum. Quid enim vetat, reliquorum Regum more, & hos, cum imperium capeſcerent, nomen mutaſſe: & ex Cambyſe Oxyarem, ſive Aſverum, ex Smerde ſuppoſitio (quem Cteſias Tanyoxarcen vocat) Artoxarcen factum fuiſſe? Eodem enim jure, quo is ex Xerxe ſive Xeſte Aſverum facit, & nos Cambyſem faciemus. In Tanyoxaſte vero & Artoxaſte, primum tantum nomen immutatum fuit. Atque ſic hiſtoria optime cum Eſdra convenit, quæ ita ordinanda erit. Cyrus, cum primo anno Babylonici imperii Sezbazarum quendam Hieroſolyma miſiſſet, ad templum ædificandum, & vaſa reducenda: poſterioribus temporibus variis negociis occupatus, ac Maſſagetarum bello implicitus, opus urgere non potuit. Hinc igitur hoſtibus Iudæorum data occaſio fuit, opus illud interturbandi. Nec tamen Cyri temporibus plus efficere poterant, quàm præſides Syriæ pecuniis corrumpere; ut, dum Cyrus aliis intentus eſſet, illi permitterent opus interrumpi. Mortuo verè Cyro, Cambyſem, ſive Aſverum, principio imperii agreſſi, accuſationem contra Iudæos inſtituerunt. Neque tamen de opere vetando quidquam obtinuerunt. Quippe nolebat Cambyſes Parentis edictum revocare. Quantum tamen poterànt vetabant, ne opus perficeretur. Cambyſe parum negocia imperii curante, Demum Magum ſub perſona Tanyoxarcis filii Cyri imperantem aggrediuntur, facilem principio, ut multitudinem ſuis partibus magis faventem haberet. Atque hic ſtatim edictum miſit de opere inhibendo. Hoc brevi poſt ſublato, Iudæi illius perſonati Regis mandato parere nolebant: ſed iterum ædificare incipiunt, Haggæi & Zachariæ Prophetarum vaticiniis confirmati. Accuſati igitur apud Thatnai Regis vicarium & Surbeſnai, cæteroſque quos Darius in locum eorum miſerat, qui pro Smerdi ſumma rerum adminiſtraverant, ita cauſam ſuam defendunt, ut is de hac re ad Regem Darium perſcriberet. Qui reſcipto ædificationem permiſit, quod minime feciſſet: ſi à Parente ſuo inhibitum opus noviſſet. Ideo autem in archivis quæri juſſit Darius, ut de edicto Cyri certius conſtaret. Imo ex ipſo Eſdra manifeſtum eſt, Darium primum heic intelligi. Dicit enim opus impeditum fuiſſe à Cyri temporibus, uſque ad Darii. Id quomodo factum ſit, ita explicat, ut manifeſtè indicet, Darium quartum à Cyro eſſe. Primo enim, inquit, Aſvero regnante accuſationem contra Iudæis inſtituerunt, ſed nihil obtinuerunt. Poſtea ab Artaxer-

xem ſcripſerunt: à quo edictum de inhibendo opere receperunt. Sane quid cauſæ eſſet, cur maximi Iudæorum hoſtes, nihil ad Cambyſen, nihil ad Smerdin, nihil denique ad Darium de his ſcriberent? Ergóne ad Xerxem uſque quieti erant? Sed conjungit ita tres Reges Eſdras, ut manifeſtum ſit, eos poſt Cyrum immediatè regnaſſe. Darii ergo Hyſtaſpis ſecundo anno rurſum ædificare cœperunt: & ſexto demum ipſum templum perfecerunt. Statim vero poſt, porticus & cætera quæ ad templum ſpectabant, ædificare cœperunt. Atque hujus fundamenta jecerunt, juxta mandatum Cyri, Darii & Artaxerxis, ejus, qui poſt Xerxem regnavit, à quo privilegium obtinuit Eſdras omnium eorum quæ petiit, Eſdræ VII. adeoque & jaciendi fundamenta porticuum, templumque perficiendi Eſdræ, VI. v. 14. Atque hæc ita ſe habent. *Confirmavit* vero *Chriſtus pactum cum multis hebdomade una.* Nimirum tota hæc Prophetia ad Iudæos ſpectat. Vox ergo *multi*, etiam ad Iudæos pertinet, cum quibus novum pactum Chriſtus confirmavit ſeptem, & ultra annis, uſque ad ultimum annum hebdomadis 70. Quippe cum ipſe ſolidos quatuor annos Iudæis prædicaſſet, à Paſchate nempe anni 74 Juliani ad Paſcha 78, diſcipulos ſuos Evangelium poſtea annunciare juſſit. Qui annis duobus aut tribus proximis poſt aſcenſionem ſolos Iudæos admittebant. Imo & altercabantur, ſi quis Gentilibus prædicaret. Sed tandem finito iſto tempore, quod ſupra Iudæos deciſum erat, Apoſtoli à Iudæis audire nolentibus, & gratiam reſpuentibus, ſe converterunt ad gentes. Hæc ſola ratio certa ac firma eſt. Ideoque illud principium, quod antea conſtituimus, immotum manet. IESUS ergo Bethlehemi in Iudæa ex virgine Maria natus, Anno Per. Jul. 4711, Herode in Iudæa regnante, & anno 4742 baptizatus, à Iohanne filio Zachariæ, anno Tiberii Imperatoris XV, ac ejuſdem anno XIX crucis ſupplicio affectus anno Per. Jul. 4745 Hebdomadis LXX, anno IV ineunte, eſt verus ille Patribus promiſſus, ac nobis exhibitus Meſſias Princeps, unctus ille Domini, Propheta noſter, Sacerdos noſter, & Rex noſter. Ipſe eſt צדק עולמים *juſtitia ſeculorum*: per quem Patres omnes, ſicut & nos, juſtificati ſunt. Actor. XV. Ipſe eſt juſtus ille ſervus, qui juſtificat omnes eos, qui ipſum cognoſcunt, ac peccata eorum portat, Eſaiæ LIII. Ipſe eſt יהוה צדקנו, Æternus ille ac infinitus *Dominus juſtitia noſtra*, & Deus noſter ter benedictus in ſecula.

CAP.

Cap. X.

Chemnitii de anno Passionis opinio refutatur: Daniæ vero Theologorum probatur, totaque ipsorum in annis Christi ordinandis ratio defenditur. Locus Gen. XLIX. *de Sceptro Iuda explicatus, ac in eo Tarnovius & Casaubonus notati.*

DEmonstrata verâ opinione, nunc illud restat, ut Theologorum nostrorum sententiam paucis exponam. Chemnitius, & qui illum ex Germaniæ Theologis sequuntur, statuunt Christum, quidem baptizatum esse XXX anno ætatis exeunte: passum vero XXXIII anno completo, & XXXIV currente. Et in tempore quidem baptismi videtur nobiscum convenire. XLII namque Augusti anno Christum natum tradit. Annos vero Augusti à nece Julii inchoat. Et quamvis nihil certi definiat, hoc tamen ex ipsius disputatione concludi videtur. Annus ergo XLII. Augusti incipiet ab Idibus Martiis anni Juliani XLIII. Et cum XXV Decembris Christus natus sit: incidet ergo nativitas, juxta Chemnitium, in annum XLIII Julianum. Quod etiam omnibus modis verum est. Sed si XLIII Juliano natus est; & XXX ætatis anno exeunte baptizatus: utique baptismus incidet, vel in 74 Julianum ineuntem, vel 73 exeuntem. Sane si Chemnitius opinionem Ecclesiæ de XI Ianuarii secutus fuisset: etiam Christum 74 ineunte baptizatum tradidisset. Sed hanc opinionem rejicit, & Epiphanii opinionem sequitur. Quod parum consideratè factum, quandoquidem plurium atque antiquissimorum testimonium longè firmius sit, quam unius, qui longo tempore postea vixit, quique non ex antiquo quodam testimonio, sed tantum ex ratiociniis quibusdam, partim falsis, partim dubiis, hanc opinionem deduxit. Sed causas quasdam eximius ille Theologus proponit, quibus ad hoc faciendum motus videtur. Prima est, quod quidam, qui hanc opinionem sequuti sunt, miserè historiam Evangelicam perturbarint, eaque quæ ante Pascha primi anni gesta sunt, ad secundũ annum retulerint. Inter quos Historia Scholastica, quæ primum signum post Pascha primi anni locat. Sed posteriorum hominum imperitia antiquissimæ & verissimæ sententiæ nihil derogat Neque hæc causa perturbationis fuit: sed quod eodem die, quo baptismus contigerat, nuptias sequenti anno in Cana factas esse dicerent, quod antiquissimi ignorant. Sed spatium, quod inter VI Januarii & Pascha, (quod in XXV. vel juxta Epiphanium XIX Martii inci-

incidit) longè majus est, quam quod hisce terminis contineretur. Etenim ex calculo Chemnitii exsurgunt dies CX. Sed sicut nimis liberalis est Chemnitius in computo temporis, quod intercedit primum in Cana miraculum & Pascha anni primi: ita tempus, quod est à VI Ianuarii ad Pascha nimis arctat. Nam quod de XIX aut XXV Martii dicit, illud nihil est. Contigit namque Pascha hoc anno XVII Aprilis, ut ex iis manifestum est, quæ antea dicta sunt. Et unde colligit XIV dies Christum Nazarethæ mansisse? Nos VII dies, tam moræ Nazareti, quam itineri versus Capernaum, tribuimus. Tum tempus, illud quo Kapernaumi mansit, X dierum constituimus. Et denique profectioni versus Ierosolymas VI dies assignavimus, quod satis est. Vid. quæ cap. II. lib. hujus disputata sunt. Ex incertis ergo hisce, antiquissima sententia refutari non potest. At dicit traditionem hanc ortam esse ex Basilidis Hæretici opinione, quod ex Clementis Stramateo primo probat. Sed vel hoc ipsum satis Chemnitium refutat. Dicit namque Clemens, Basilidem constituisse Christi baptismum in XV Tybi mensis, sive X Ianuarii: quem illi, qui ante Basilidem fuerant, in XI Tybi, sive VI Ianuarii locaverant. Non ergo Clemens dicit, primum Basilidem hanc opionem introduxisse: sed, illum in antiquorum opinione omissa, novam induxisse. Unde patet antiquissimam hanc esse. Basilides namque statim post tempora Apostolorum vixit. Cum ergo Basilide hæc opinio antiquior sit: patet ipsis Apostolorum temporibus ortam esse. Si igitur Chemnitius veram hanc opinionem sequutus fuisset: sicut de tempore nativitatis, ita etiam de baptismi vera prodidisset. Illud tamen satis manifestum est, Christum, juxta Chemnitii opinionem, baptizatum esse post Pascha anni Juliani 73. Ideoque primum Pascha est anni 74: alterum 75: tertium 76: quartum 77: Sed hoc anno impossibile est Christum passum fuisse. Neque enim ipse Chemnitius negaverit, Christum, in Parasceve Paschatis, feria V passum esse. Quia ista ita ex Scripturis demonstrantur, ut nemini Christiano contra fari integrum sit. At hæc duo nunquam anno 77 convenire possunt: ut antea manifestè demonstravimus. Ergo, neque hoc anno Christus passus est. Imo si concederem, verum id esse, quod vulgo supponitur, Christum nempe VI feria passum fuisse: tamen ne tum quidem ipsius sententia vera esset. Excusari tamen potest doctissimus Theologus, quod non tam suo, quam seculi vitio, hanc temporum rationem ignoraverit. Imo mirum magis est, quod, cum illi, qui ex professo hæc studia tractarunt, tam crasse erraverint: hic tamen & in nativitatis, & baptismi anno veritatem assecutus sit.

Minus

Minus verò excuſandi ſunt, qui in tanta literarum luce ad eundem impingunt lapidem. Nec quicquam eos juvat, quod Scripturas pro ſe citent, quæ plura quàm quatuor Paſchata non recenſent. Nam Scripturę hæc aſſertio, affirmativa eſt, nõ verò negativa. Hoc eſt, Scriptura quatuor Paſchatibus vixiſſe Chriſtum aſſerit: nec tamen ideo pluribus poſt miniſterium vixiſſe negat. Imo etiam ex Evangelio quintum Paſcha producitur, illud nempe, quo Chriſtus per ſementem iter fecit. Sed dicunt hoc ſatis commodè, ad unum ex aliis Paſchatibus referri poſſe. Reſpondebo, idem illud in eo feſto fieri poſſe, cujus mentio fit Iohannis v. Id enim poterit eſſe Hanucha anni primi; ut antea diximus. Encænia enim extremo Caſlev, ſive xxv die, celebrantur. Initio autem hujus menſis quatuor ad meſſem ſive Niſan menſes erant. Quicquid ſit, ex incertis ac dubiis, nunquam certa ac plane *ἀναντίλεκτα* refutari poſſunt, aut debent. Et hæc de Theologorum Germaniæ opinione, qui Chemnitium ſequuntur. Noſtri vero ac Patriæ meæ Theologi, quamvis principio Chemnitii opinionem ſequi videantur: minimè tamen id faciunt. Quin potius de tempore mortis & paſſionis Ieſu Chriſti veriſſima produnt. Quippe Incomparabilis Theologus D. D. Brochmannus in Syſtemate Theologico, Art. de Servatore noſtro Ieſu Chriſto, manifeſtis verbis indicat, Chriſtum baptizatum eſſe anno xxx ineunte. Ejuſdem opinionis inſigne illud Theologorum par, D.D. Iohannem Reſenium, magni Parentis æmulum feliciſſimum, & D.D. Iohannem Svaningium, eſſe, exinde patet: quod in iterata tranſlationis Biblicæ editione, illud, quod juxta Græciſmum, à Reverend. D. Reſenio Zælandiæ quondam Epiſcopo eminentiſſimo, his verbis expreſſum erat: *Oc Ieſus var ſelf ved tredive aar begyndendis*: ita, ut à vulgo rectius perciperentur, immutaverint: *Oc Ieſus begynte ſit tredivte aar. Et Ieſus incipiebat annum trigeſimum.* Unde manifeſtum eſt Eccleſias Daniæ exiſtimare xxx anno ineunte baptizatum fuiſſe. Primum ergo Paſcha omnino erit anni xxx. alterum anni xxxi. tertium anni xxxii & quartum anni xxxiii. At dicunt noſtri Theologi, Chriſtum quarto poſt baptiſmum, Paſchate paſſum eſſe: ut ex Brochmanno patet. Ineunte ergo xxxiii anno paſſus eſt Chriſtus, quod & verum eſt. Nimirum Theologi noſtri ab initio reformationis id maxime ſemper caverunt, ne teneris imperitorum hominum conſcientiis ſcrupulum iis in rebus injicerent, quæ à vulgo ſine ſalutis diſpendio tuto neſciri poterant. Cum ergo juxta pervulgatam Eccleſiæ opinionem omnibus perſuaſum eſſet, Chriſtum xlv anno Juliano exeunte natum eſſe: annoſque, qui ex

Bedæ inſtituto, à natali Chriſti numerantur, veros eſſe: hoc immutare noluerunt, ne ſimplicioribus, qui momenta rerum non conſiderant, anſam darent cogitandi, quaſi aliquid in doctrina eſſet innovatum. Et hoc ideo fecerunt, quia ex ſolis Scripturis nihil certi de die natali concludi poſſet. Herodis namque anni ex Ioſepho dependent. Neque ad ſalutem neceſſarium erat, hujus temporis momentum tam præciſe habere cognitum. Non enim ulla Prophetia nativitatis tempus accuratè prædixit: ut hujus cauſa natalis accuratiſſime neceſſario inquirenda eſſet: quod in paſſionis tempore faciendum fuit. Hujus enim tempus Daniel accuratiſſime dixit: ideoque illud ſummo ſtudio ſummaque diligentia inquiri debet, ut & Daniel vera prædixiſſe, & Ieſus verus Meſſias eſſe demonſtretur. Hanc ergo ob cauſam, in tempore quidem paſſionis conſtituendo, certiſſima & accuratiſſima ſequuti ſunt. Chriſtum namque Paſchate anni XXXIII. æræ vulgaris, (quam in gratiam, ut dixi, ſimpliciorum ſequuntur) paſſum perhibent. Quod longe veriſſimum eſt. Is enim annus eſt, cui ex omnibus infallibiles illi anni paſſionalis characteres competere poſſunt: ut antea à nobis demonſtratum eſt. Natalis vero non tantam neceſſitatem habebat. Nam quod nonnulli dicunt, veritatem Prophetiæ Iacobi Gen. XLIX. deſcriptæ inde dependere, id falſum plane eſt. Neque enim illa Prophetia de tempore nativitatis ullum verbum facit. Dicunt, ſceptrum non debere auferri à Iuda, nec ducem à pedibus ipſius, uſquedum veniat Meſſias, ſive Schilo. Ideoque tum Meſſiam adventare debere, cum Sceptrum à Iuda ablatum eſſet. At ſeptingentis ferè poſt hanc Prophetiam annis, nemo in tribu Iuda erat, qui ſceptrum habebat. Quippe anno poſt hanc Prophetiam 667, primus à tribu Iuda Rex creatur David. In hujus domo Imperium per 472 annos manſit. Poſtea regnum Iuda plane exciſum eſt, nec ullus Rex è ſemine Iuda. Equidem poſt captivitatem Babylonicam Princeps unus aut alter ex tribu Iuda in populo eminebat, qui vices Regis Perſarum gerebat. Sed tum non ſceptrum penes Iuda erat: ſed penes Reges Babyloniæ, Chaldæos nempe, Perſas & Græcos. Et cum tandem 140 annis ante Chriſtum Iudæi ſe in libertatem aſſeruiſſent, non cuidam ex familia Iuda, ſed ex familia Levi, imperium commiſſum eſt, penes quos tamdiu manſit, uſque quo Herodes alienigena regnum occuparet. Vidit hoc Tarnovius, ideoque vocem שבט non per ſceptrum aut imperium, ſed per virgam tribus exponit. Perperam. Quid enim illud huc facit? de Rege Meſſia prædicit Iacob, qui regnaturus eſſet in æternum. Quid ergo illud ad virgam tribus?

Imo

Imo unde probat, familias tribuum, virgam quandam tribus habuisse? Neque enim illud ex Num. xvii probatur. Nam quod semel, juxta peculiare Dei mandatum, factum est, id non semper obtinuit. Falsum etiam est, quod dicit, tribum Iuda mansisse inconfusam, usque ad tempora Christi, postea confusam fuisse. Unde enim illud probat? In tribu Iuda adhuc familiæ sunt, aut saltem ante paucos annos fuerunt, quæ usque ad Davidem, & consequenter ad Adamum majores suos recensere poterant, ut auctor Tzemach David, Don Isaac Abarbinel & alii. Et cur illud de tribu Iuda speciatim Iacob diceret, cum non minus à tribu Levi illud observatum sit? Casaubonus exponit, nunquam sine Politia & regimine fore Iudæos, usque ad tempora Messiæ. Iacobi ergo vaticinium excidio Hierosolymorum sub Tito terminat. Sed hoc non magis ad tribum Iuda, quam ad reliquos pertinebat. Tot erant in Galilæa ac Iudæa Benjamitæ, quot Iudæi, & forte plures. Et quid hoc ad excidium Ierosolymorum? Alii alias explicationes dant, & mirum in modum se torquent: cum locus facillimus sit; modo ipsius Scripturæ, & non interpretum verba accuratius inspiciantur, & perpendantur, quæ ita habent: לא יסור שבט מיהודה ומחקק מבין רגליו עד כי יבא שילה ולא יקחת עמים In quibus verbis nulla plane difficultas est, modò recte vertantur. Ita autem legendum est: *Non auferetur sceptrum à Iuda, & legislator ab inter pedes ipsius semper: quia veniet Siloh, & ipsi obedientia populorum.* עד denotat usque, & semper, sive in perpetuum, ut in Psalmis לעולם ועד *semper & in æternum*, & in Minhagim Iudæorum frequentissime: & כי quoniam, ut notum. Particulæ igitur hæ non conjungendæ sunt, sed separandæ. Et sic sensus manifestus erit. Dicit Iacob, Iuda, te laudabunt fratres tui, & tibi se incurvabunt filii Patris tui. Tuum namque regnum æternum erit: nec unquam finietur. Quippe ex te prodit Schilo, (de qua voce disputant docti, omnes tamen consentiunt Messiam heic denotari) & illi parebunt populi. Regnabit enim à mari ad mare, usque ad fines terre regno æterno & perpetuo, Psalm. 72. Ligabit enim pullum suum indomitos gentiles ad vitem Ecclesiæ; & asinam suam legalibus cerimoniis fessam ad palmites vitis illius, cujus cultor æternus Pater est, Ioh. xv. Unde manifestum est, tempus nativitatis heîc minime indicari: sed regnum Christi, quod super omnia regna erit, durabitque לעולם ועד *in seculum & semper*. Cum ergo natalis dies, neque expressis verbis in Scripturis propositus esset, neque necesse haberet, tam accurate apud vulgus determinari: retinuerunt nostri Theologi illud, quod sine magna inter simpliciores animi perturbatione tolli

non

non poterat,atq; Epocham vulgarem veram esse supposuerunt. Et ut tam vulgo quã illis,qui Mathematicarũ artiũ expertes,hoc in vera pietate instituere debent,certi aliquid hac de re constaret, omnia huc ita applicarunt,ut cum Scriptura minime pugnarent. Namq; Christũ xxx anno ineunte passum dixerunt,quod & locus Lucæ III.satis patitur. Is enim ita explicari potest, ut ἀρχόμενος quasi priorũ explicatio sit: eorumq;,quæ antea dicta erant,magis accurata determinatio. Nec obstat quod antea à nobis de annis Tiberii & Herodis dictum fuit, propter quod ἀρχόμενος istuc referri non posset. Nam cum juxta vulgatam rationem anni Christi à 45 Juliano exeunte initium sumant: ergo xxx annus incipit ineunte Tiberii XVI. Ideoque illud de voce ἀρχόμενος heic locum non habet. Neque scripturis hoc adversum est. Nuspiam enim dicit Christum XV Tiberii baptizatum fuisse. Id tantum dicit Iohannem XV anno Tiberii cœpisse baptizare: & post hoc tempus Christum baptizatum esse. Potuisset igitur juxta hanc rationem Iohannes baptismum incipere exeunte XV anno Tiberii, hoc est paulo ante XIX Augusti anni Juliani 74. Adeoq;Christus 75 Juliano ineunte, XVI Tiberii, baptizatus esset: & primum Pascha celebrasset anno 75: alterum 76: tertium 77: quartum 78: ac sequenti die XV Nisan, juxta Karræos, (quorum institutum heic observavit) XIV vero Nisan juxta Talmudicos, feria v. sive die Iovis passus esset, quod satis benè cum Scripturis, quatenus in se considerantur, convenit. Atque hæc Theologorum nostrorum opinio est, qua nulla melior dari poterit, quæ tam cum Scripturis quam cum captu vulgi (ad quem antistites illi pietatis se semper accommodare debent) convenit. Quod si cum Petavio, tam latam vocis ὡσεὶ acceptionem ponere vellent, ut duos supra triginta annos includere posset: & de natali, & de emortuali die verissima proderent. Interim vera opinio illa est, quam hucusque per Dei gratiam proposuimus, & firmissimis argumentis demonstravimus. Iuxta quam quidem rationem, quintum post Baptismum, Pascha illud est, cujus Parasceve Christus passus est. Ideoque quinque in ministerio Paschata constitui debent. Quorum primum illud erit, quod Iohannis cap. II proponitur: alterum illud, quod Ioh. V: tertium, quod à Matthæo XII, Marco II, & V, Luc. VI capitibus describitur: quartum illud, quod Iohan. VI imminuisse dicitur. Quintum denique illud, quo passus est Dominus. Equidem cum nemine vehementius contendam, quin hæc aliter explicari possint, ita ut non plura quam tria, aut ad summum quatuor Paschata conficiant. Non enim hæc annorum Christi demonstratio est. Namque ex certis, & plane infallibili-

libilibus principiis demonstravimus, Christum, cum ante Pascha anni Juliani 74 cœpisset, Paschate 78 anni fuisse passum. Ideoq; necessario Pascha illud, quo passus est Dominus, quintum ministerii constituendũ esse. Sive vero dicatur primum Pascha integro anno illud antecessisse, quod Iohannes 11 capite describit, (sicut Scholastica Historia credidit) sive quod Evangelistæ hoc omiserint, mihi perinde fuerit. Nam de Paschate certissimè constat. Nec tamen verisimile est, Christum integrum annum, post inchoatum ministerium, in ocio transegisse. Sanè Lucas in *actis* expressis verbis indicare videtur, Christum statim post baptismum ministerium incepisse. Nec satis probabile est, dicere, Paschatis hujus nullam planè mentionem ab Evangelistis factam fuisse: cum quinque Paschatum vestigia satis manifesta in ipsis Evangelistis exstent. Si enim secundum Pascha constituatur illud, cujus mentio exstat Iohannis v; quidni & illud pro III haberi posset, cujus apud Matthæum mentio fit? Respondebunt, quia potest hoc Pascha ad aliud referri. Sed etiam illud, cujus mentio fit Iohan. v, potest ad aliud referri. Necessarium ergo ac plane certum est, quinque Paschata in Christi ministerio acta fuisse. Ideoque nos etiam, juxta quinque Paschata, historiam Evangelicam disponemus. Id autem primo loco constituimus, & quasi pro postulato sumimus, Matthæum nempe & Iohannem in omnibus ordinem Historiæ diligenter observasse; & quamvis multa præterirent à Christo dicta factaque, ea tamen, quæ perscripserunt, ita ordinasse, ut nihil eorum alio ordine tradiderint, quam gestum fuit: Marcum vero & Lucam, qui juxta aliorum relationem Evangelia perscripserunt, in gestis aut concionibus designandis non tam accuratam ordinis rationem habuisse, sed sæpe similes materias uno loco protulisse, quæ tamen ad diversa tempora pertinerent. His ita constitutis Historiam Evangelicam ita ordinamus.

Cap. XI.

Historia Evangelica in certum ordinem redigitur, omniaque quæ ab Evangelistis à Christo in Ministerio facta esse dicuntur, juxta quinque Annorum Paschata ordinantur. Iudæorum ritus in Scenopegiis celebrandis. Locus apud Marcum restituitur, &c.

ANno 4711. Per. Jul. Æternus Dei filius, ac Patris Verbum substantiale, misso prius ad Mariam virginem (filiam Eli ex stirpe

David; Luc. III, desponsatam Josepho Iacobi filio, etiam ex stirpe David, Matth. I.) Angelo Gabriele, carnem humanam ex virgineo semine assumpsit, nonoque mense post, xxv die Decembris, in lucem prodiit. Erat tum Præses Syriæ Quintilius Varus, qui Sentio Saturno in imperio successerat. Procurator vero ad censum in Syria agendum, Quirinius ab Augusto missus erat. Quippe breviarium imperii conficere volens Augustus, censum generalem agere instituit, (cujus ipsemet in Lapide Ancyrano meminit) ut ita cognita haberet, quot in toto Imperio Romano (quod κατ' ἐξοχὴν οἰκουμένη dicitur, cum maximam illius terræ partem; quæ sola ab antiquis pro habitabili habita fuit, contineret) hominum capita essent, quæ imperio vel statim vel brevi post usui esse possent. Atque huic negocio in Syria Cyrenium præfecit; sicut in aliis locis alios. Quod munus cum bene Cyrenius administrasset, iterum relegato Archelao illuc ad censum agendum missus est. Atque hic census & ἀπογραφὴ secunda erat, cujus etiam Iosephus meminit. Prima vero illa est, quam Lucas proponit. Quod etiam Lucas disertis verbis indicat: αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου. Inter has ergo duas ἀπογραφὰς probè distinguendum est, ne idem nobis contingat, quod Eusebio aliisque Patribus, qui duas has ἀπογραφὰς confundentes temporum rationem, & historiam miserè depravarunt. Octavo à nativitate die Christus legis se servum suscepta circumcisione professus, suavissimum Iesu nomen recepit, indicans, se illum esse, qui populum suum à peccatis eorum liberare vellet. Tertiodecimo autem post natalem die (juxta communem Ecclesiæ opinionem, aut juxta Augustinum, trigesimo vel octavo & trigesimo, Magi ex Oriente venientes, puerum Iesum adorarunt. Quibus alia via demum jussu Domini regressis, Maria Hierosolyma veniens, puerum Iesum in templo obtulit. Cum vero illic à Rabban Simeone Gamalielis Parente, & Anna Prophetissa, maximæ auctoritatis hominibus, de Iesu, vero Messia, testimonium editum fuisset: Herodes statim conclusit, se à Magis deceptum esse. Statim ergo Bethlehemi puerum Iesum, diligenter quidem sed frustra, quærit: qui finita purificatione cum matre primo Nazaretham, inde jussu Domini in Ægyptum translatus erat. Cum ergo nihil de Iesu æterno Rege compertum habere posset, pueros omnes Bethlehemiticos interfecit, ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω. Ac ipsemet quinto die post ad infera descendit anno P. J. 4712 mense Februario. Post Pentecosten hujus anni Archelaus à Patre Herode Rex designatus, ab Augusto Ethnarcha constituitur. Et sub hoc regressus est ex Ægypto Iosephus

cum

cum Maria & puero Iesu, Matth. II. Anno 4723 Iesus ad Paschatis solemnitatem Ierosolyma cum Parentibus profectus, illic post Parentum abitum mansit; & in collegio Doctorum disputavit, Luc. II. Anno 4742. VI Ianuarii Christus à Iohanne baptizatus est, Matth. III. Marc. I. Luc. III. Et post 40 dierum tentationem, ad Iohannem regressus, post duos aut tres dies in Galilæam abiit. Et apud Iohannem quidem tres, in via autem duos discipulos assumpsit. Ioh I. Tertio autem die, quam Canam Galilææ venerat, nuptiæ fiebant: quas Christus primo suo miraculo cohonestavit, aquam in vinum, tristitiam in gaudium convertendo. Digressusque cum amicis versus Capernaum, atque inde Ierosolyma ad Pascha anni 4742, (quod XVI Aprilis, feria septima, illo anno celebratum fuit) vendentes è templo ejecit, & cum Iudæis de templo corporis sui disputavit, variaque miracula edidit, Ioh. II. Postea aliquo tempore in Iudæa mansit, atque illic regnum Dei hominibus proposuit. Nec in Galilæam, nisi rerum suarum curandarum gratia, concessit. Habebat enim illa Iohannem Christi angelum ac delegatum: qui circa Salim Galilææ baptizabat. Dum vero ita Hierosolymis, ac in Iudæa moratur, Nicodemus ad eum venit, in eumque credidit. Post quod tempus Christus in Galilæam reversus est, rebusque illic ordinatis, rursum cum quibusdam ex iis, qui in ipsum credebant, in Iudæam. Orta autem in Galilæa, post abitum Iesu, inter Iudæos & Iohannis Discipulos disputatione de purificatione, Iohannes insigne testimonium Christo dedit. Ioh. III. Dominus verò cum intellexisset, Pharisæos de numero Discipulorum suorum audivisse: in Galilæam secessit. Ac per Samariam iter faciens, cum muliere Samaritana de vera aqua vitæ disputavit, Ioh. IV. Inde ad Galilæos tetendit, à quibus receptus est. Postea cum Canæ Galilæorum esset: Regulus ab eo sanitatem filii impetravit. Atque sic exacto in Galilæa trimestri spacio, rursus Ierosolyma ad festum Paschatis perrexit, Ioh. V. quod celebratum fuit anno 4743, Aprilis VI, feria V. Ac Sabbatho sequenti ægrum illum, qui per XXXVIII annos laboraverat, sanavit. Ioh. V. Ex quibus satis liquet diversum ab hoc Paschate illud esse, quo Christus per sementem iter fecit. Nam longè ante illud Pascha Iohannes in carcerem detrusus erat: post cujus incarcerationem Christus primum in Galilæa concionari cœpit. Imo post illud tempus tot à Christo miracula, conciones, ac itinera facta fuere, quot trium aut quatuor mensium spacio fieri minime possunt. Post hoc tempus omnes Apostoli vocati sunt: qui, cum plurimis concionibus ac miraculis, quæ prolixe à Matthæo describuntur, in fide

instituti ac confirmati erant, demum ad alios docendos per urbes & vicos emissi fuere. Quod sane officium paucis hebdomadibus absolvi non poterat. Et tamen non solum iter hoc expediverunt, sed etiam ad Christum ante illud Pascha reversi sunt, cujus Matth. cap. XII. meminit. Diversa ergo hæc Paschata sunt, ut cuivis accurate hæc considerantі patet. Sed & Pascha Matthæi diversum est ab illo, cujus Iohannes VI. cap. meminit. Contigit namque illud ante miraculum quinque panum; hoc post: ut ex consentiente trium Evangelistarum sententia, cum Iohanne collata, patet. Christus ergo post Pascha Ioh. v. anni P. J. 4743. in Galilæam regressus, Iohanne jam in carcerem conjecto, illic docere incipit. Et cum propter mare Galilææ ambularet, ingressus est naviculam Simonis: atque inde plebem docuit. Finita vero concione Simonem antea piscationi intentum jubet nassam in mare projicere: editoque stupendo miraculo, Simonem & Andream ad Apostolatum vocavit, qui antea discipuli ipsius fuerant. Et cum Iacobus & Iohannes, qui trahendo reti Simoni adfuerant, rursum in suam navim regressi essent, nassamque illi cum Patre Zebedæo resarcirent, etiam hos vocavit. Luc. v. Matth. IV. Marc. I. Atque ita per Galilæam iter fecit, omnesq; docuit. Cum vero maxima multitudo ad ipsum veniret, in montem ascendit, atq; ibi suavissimam illam concionem habuit, quæ Matth. V VI. & VII descripta est. Qua finita Leprosum mundavit, Matth. VIII. Marc. I. Luc. V. Ingressusque postea Capernaum Centurionis servum curavit, Matth. VIII. Luc. VII. Dæmonia ejecit, Socrum Petri febre liberavit. Inde trans mare in fines Gergazenorum perrexit, tempestateque vexatis Discipulis opem tulit, ac demum Legionem Dæmonum ex homine ejecit. Regressusque Capernaum Paralyticum curavit, Matthæum vocavit, cæteraque gessit quæ cap. IX. X. XI. Matthæi perscripta sunt, & quæ iis apud Lucam & Marcum respondent. Anno demum 4744 Pascha illud celebratum fuit, cujus Matthæus XII capite meminit. Post quod Iesus Dæmonium ejecit, Matth. XII. concionem similitudinibus refertam habuit, Matth. XIII. de Iohanne, quem Herodes circa hoc tempus interfecerat, audivit, omniaque ea gessit, quæ à Marco & Luca ante quinque panum miraculum referuntur. Fine vero anni hujus, brevi ante Pascha, quinque hominum millia quinque panibus saturavit, Ioh. VI. Ac brevi post celebrato Paschate anni 4745 in Galilæam regressus, in extremis Galilææ finibus circa Tyrũ ac Sidonem Cananææ filiam sanavit. Atque hoc anno, ea omnia gesta sunt, quæ apud Matth. post XIV. Marcum post c. VI. Lucam post c. IX. & Iohanné post cap. VI.

gesta

gesta leguntur. Tandem ergo perfectis omnibus ad Pascha ultimum Hierosolyma profectus est, postquam Discipulis suis diu ac sæpe antea passionem & mortem suam indicasset. Suscitatoque brevi ante Pascha Lazaro in vicum quendam Ephraim dictum concessit: atque inde ad festivitatem reversus, varias in via conciones habuit, ac plurima miracula edidit. Tandem Bethaniam venit, ibique à Maria in domo Lazari unctus fuit, sex dies ante Pascha feria prima. Iohannes enim numerat à Paschate Iudæorum, quæ incidebat in feriam VI. Nec Sabbathi die Maria hoc opus facere poterat. Nisi forte dicendum sit, vespera, finito Sabbatho, hoc factum fuisse. quod magis virisimile est. Atque sic sequenti die, feria prima, Dominica Palmarum Christus Rex noster mitis & mansuetus, pullo asinino insidens, Hierosolyma solemni pompa invehitur, populo הושענא suum acclamante, & palmas ramosque arborum manibus vibrante, sicut in solemnitate Scenopegiorum fieri solet. Tunc enim Lullab ex foliis tamarindarum & ramis palmæ & salicum confectum una manu, ac pomum citreum altera manu tenentes, canunt primò הושענא & postea הושיענא; Psalmumque CXVIII recitant; ac satis suavi concentu quatuor hosce versus emodulantur: *Confitebor tibi, quia adjuvisti me, & fuisti mihi in salutem. Lapis quem rejecerunt ædificantes factus est in caput anguli. A Domino factum est illud, hoc mirum in oculis nostris. Hic est dies quem fecit Dominus, lætemur & exultemus in eo.* quovis versu bis repetito. Et tandem ad illud veniunt: אנא יהוה הושיענא quod Præcentor primo emodulatur, eumque reliqui omnes sequuntur, idque iterum fit. Idem sequentibus verbis אנה יהוה הצליחנא etiam observatur. Atque hoc magno Scenopegiorum die celebrant, quod insigni tum miraculo, ante festum Paschatis, à Iudæis factum fuit, ut indicaretur, eum esse diem, quem fecerat Dominus, ut inde omnes discerent, debere se in eo lætari atque exultare, nec cum Pharisæis irasci, aut Iesu invidere. Sed ipse Iesus, ex colle urbem prospectans, flevit super illam, maximamque pœnam ipsi impendentem prædixit. Ac tandem demisso pullo, cui inequitaverat, templum ingressus, illud à vendentibus ac ementibus repurgavit; Græcisque quærentibus Iesum videre, similitudinem de grano tritici proposuit. Et demum accepto cælitus à Patre testimonio, concionem illam habuit, quæ Iohannis XII exstat. Vesperi Bethaniam reversus, ac mane Hierosolyma, in via ficui maledixit, ac habita in templo cum Sacerdotibus de auctoritate sua disputatione, similitudinem lapidis ab ædificantibus reprobati exposuit, & ad Iudæos applicuit, subjuncta hac conclusione, Iudæis quidem horrenda, nobis vero miseri-

ferrimis Gentilibus, qui in tenebris & umbra mortis sedebamus, longe suavissima: *Auferetur regnum Dei à vobis, & dabitur Gentilibus, qui majores fructus facient.* Inde similitudinem de veste Nuptiali proposuit. Ac postea tres disputationes habuit, unam cum discipulis Pharisæorum & Herodianis de censu, alteram cum Saducæis, de resurrectione, tertiam cum Legisperito, de Lege & Christo. Atque hæc digna tanto Magistro disputatio, in qua totius salutis fundamentum, omniaque quæ in Scripturis erant, continebantur, omnium ultima fuit. Qua finita, ad populum concionem habuit, de Legisperitorum & Pharisæorum falsa doctrina & constitutionibus. Ac demum horribili comminatione de finali eorum perditione ultimum ipsis vale dicit, atque ex templo discessit. Inde concionem de fine Hierosolymorum, & seculi apud Discipulos habet. Hæc feria secunda gesta sunt. Biduo autem ante Pascha feria, nempe tertia, (nam Matthæus Marcus & Lucas à Christi paschate numerant, quod in quintam feriam incidit) Iudas memor eorum, quæ in Lazari domo ante quatuor dies gesta erant, ubi propter objurgatam Mariam, à Domino increpatus erat, Iesum XXX argenteis vendidit: & postea occasionem quæsivit, ipsum prodendi. Feria ergo quarta mane, cum intellexisset Iesum pascha eâ vesperâ Hierosolymis comesturum, sciretque ipsum extra Hierosolyma, circa montem olivarum, in horto Gethsemane cum discipulis pernoctare, quando propter noctis propinquitatem, Bethaniam pergere non posset, hanc occasionem Sacerdotibus indicavit, utque omnia in parato haberent jussit. Tandem vespera adventante Christus Hierusolyma feria quarta advenit, & Pascha cum suis comedit. Atque ita finitis legalibus novum corporis & sanguinis sui sacramentum instituit, ut signaculum novi illud fœderis esset, quod ex infinita sua bonitate cum omnibus hominibus percussit, & morte ac sanguine suo confirmavit. Inde pedum lotionem instituit. Vide ea, quæ à Scaligero, Buxtorphio & Lud. Capello de ritibus Iudæorum Paschalibus dicuntur, quæ heic examinare scripti augustia non patitur, quod in duplo majorem molem excrevit, quam principio constitueram. Finita lotione Iudas ad Pontifices abiit. Postea Christus primo sedens, inde stans, suavissimam illam concionem ad Discipulos habuit, quæ cap. XIII. XIV. XV. XVI. à Iohanne descripta est, quam dulcissimis hisce verbis demum concludit. *Hæc loquutus sum vobis, ut in me Pacem habeatis. In mundo habebitis afflictionem, sed confidite. Ego vici mundum.* Post quæ ardentissimas ad Patrem æternum preces fudit, non pro discipulis solum: sed etiam pro nobis, qui per ipsorum doctri-

doctrinam credimus, & cognoscimus unum verum Deum, & quem ille misit Iesum Christum. Atque has preces ita concludit. *Iuste Pater, Mundus non novit te, sed ego novi te, & hi norunt, quod me miseris. Et manifestavi illis nomen tuum, & manifestabo; ut amor, quo me diligis, maneat in illis, & ego in illis.* Quibus dictis digreditur. In via autem sermonem de fuga ipsorum habet, ac Petro lapsum prædicit. Tandem in hortum ventum est, ubi pugna cum morte incipit, ac summa se exserit exinanitio. Captus demum, & ad Synedrium ductus, (quod in domo Annæ Expontificis, propter loci & temporis commoditatem, congregatum erat,) à Pontifice Cajapha, qui Synedrio præsidebat, examinatus fuit. Et cum conquisitis undique falsis testibus nihil invenirent, quod accusarent: demum Cajaphas ipsum aggressus, quæsivit num filius Dei esset? cumque id confirmaret: ab omnibus damnatus est. Dum hæc ita apud Pontificem geruntur, Petrus in atrium Annæ Pontificis intromissus Dominum ejuravit. Decedentibus vero Senatoribus, & propter noctem ulterius in hanc causam inquirere nolentibus; mane, in aula ipsius Pontificis Cajaphæ, Synedrium indictum fuit, quo Dominus statim post Examen ductus est. Atque in illo concilio damnatus Pilato traditur, ut crucifigeretur. Ipsum namque Synedrium neminem vivum crucifigere poterat. At Iesus crucis supplicio à Gentilibus affici debebat. Eo ergo die crucifixio contigit, quo Iudæis neminem interficere licuit. XIV enim Nisan Synedrium neminem judicare poterat, ut ex Majemonide, aliisque Iudæorum commentariis patet. Post longam vero disceptationem, in qua pro ignoto, paupere, ac cōtempto reo, pauca aut nihil pro se dicente, aut ad sui defensionem adferente, ipse Iudex, cōtra divites, potentissimos ac maximæ auctoritatis accusatores, egit, omnesq; vias elabendi quæsivit, ne quem insontem manifestè deprehendebat, ut sontem condemnaret ac plecteret. Tandem tamen Pilatus accusatorum consensu & auctoritate victus, Christum virgis cæsum & à militibus elusum damnat, ac crucis supplicio affici jubet, præfatus se ab justi hominis sanguine insontem esse velle. Contigit hoc feria V, III. die Aprilis, anno 4746. vulgaris æræ XXXIII. circa horam diei sextam: hoc est, paulo ante VI, & post V. ut ex Iohanne parer. In Marco pro E, extritis binis inferioribus lineis, Γ irrepsit. Legendum itaque illic ὥρα πέμπτη pro τρίτη. Petrus Alexandrinus, in fragmento à Petavio edito, dicit se in archivis Ephesiorum reperisse, in Iohanne scriptum τρίτη pro ἕκτη. Sed personatus ille antiquitatem sibi conciliare debebar. Satis manifestum est, ea, quæ ab Evangelistis, ipso passionis die ante passio-

passionem contigisse narrantur, trium horarum spacio circumscribi posse. Nec tamen ἕκτη in Marco legi potest, quod Hieronymus & post eum alii existimant. Nam Marcus v. 33. sextæ horæ ita meminit, ut expressis verbis eam à passionis hora distinguat. Aliorum de tertia hora diei, aut tertia hora precum, quæ à meridie inciperet, opinio nihil solidi habet. Neque enim meridies venerat. Ita ergo historia cohæret. Post horam quintam, & circa horam sextam Christus damnatus est, & statim ad supplicium ductus. Adeoque ante VI. sed tamen imminente VI crucifixus est. Brevi vero post sextam, cum Christus pro inimicis orasset, & Iohanni Matrem commendasset, denique latronem in cruce in gratiam recepisset, tenebræ factæ sunt usque ad horam nonam. Hæc est obscuratio illa longe maxima, cujus Phlegon Olympiadum scriptor meminit. Hieronymus in Chronico Eusebii ad annum XXXII. Christi. *Quæ omnia his congruunt, quæ in passione Salvatoris acciderant. Scribit vero super his & Phlego, qui Olympiadum egregius supputator est, in tertiodecimo libro ita dicens. Quarto autem anno* CCII *Olympiadis, magna & excellens inter omnes quæ ante eam acciderant, defectio Solis facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cœlo visæ sint, terraque motus in Bithynia Nicææ urbis multas ædes subverterit. Hæc supradictis vir.* Græca apud ipsum Eusebium habes, sed ibi numerus anni periit, & ex Hieronymo supplendus erit. Anno 4745, æstate, cœpit annus quartus Olympiadis CCII. Ideoque Pascha anni 4746, quo passus est Dominus, in illud tempus incidit, quo hæc defectio contigit. Finita obscuratione Dominus in cruce exspiravit, ac brevi post à milite latus lancea transfossus est. Atq; heic multa tam de cruce ipsa quã vulnere lateris dici possent, quæ tamen omittere scripti angustia monet. Qui vero de his legere volet, adeat inter alios Clar. Thomam Bartholinum, qui erudite lib. *de latere Christi* de his disserit. Post horam diei nonam, nobis tertiam post meridiem, Dominus à Iosepho & Nicodemo sepultus est. Ac demum tertio die post, feria I, hora una ante solis ortum, surrexit. Et cum per quadraginta dies suis sæpius apparuisset, & de iis disseruisset, quæ ad regnum Dei pertinebant, ipsis videntibus in cœlos ascendit: & consedit ad dexteram Dei. In quorum fidem, decimo die post, promissum Apostolis suis sanctum Spiritum misit, ipso die Pentecostes, Karræorum feria I. Atq; ita IESUS noster consedit in dexterá Majestatis Dei in cœlis, supra omnes principatus, virtutes, potestates & dominationes, & omne nomen, quod nominari potest non solum in hoc, sed etiam in futuro seculo. Atque illic preces pro nobis fundit, nostrasque preces Patri acce-

acceptas reddit. Illic omnia pedibus suis subjecta habet, & est caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus illius, ac plenitudo ejus, qui omnia in omnibus implet.

Quem prosequamur laudibus,
Votis, hymnis, & precibus;
Vt nos donet cœlestibus
Cum ipso frui sedibus.

אמן ואמן

FInitum est per Dei gratiam hoc de Annis Christi scriptum ipso Natali die Domini & Servatoris nostri Iesu Christi,
Ineunte anno post Nativitatem M. DC. LI.

Anno Periodi Constantinopolitanæ sive Mundi conditi, juxta Græcos 7156. xxv. Kanun prioris.
- Cyclo Solis xvi
- Lunæ xii
- Indictione i.

Anno P. Julianæ 6361.
- Cyclo Solis v.
- Lunæ xv.
- Indictione i.

Anno Mundi conditi 5690.
- ΑΙΓΩΝΟC ΔΠ
- Thebeth xxi. feria secunda.

Anno Iudaico 5409.
Anno Semitah, sive Hebdomadis v.
Octavo post Iobeleum LXIII.

Anno
- post finitum Diluvium 4033
- post exitum ex Ægypto 3152.
- post ingressum terræ Canaan 3112.
- post templum à Salomone ædificatum 2673.
- post templum à Chaldæis combustum 2245.

Anno post primam Olympiadem 2424. Γαμηλιῶνος ἐνάτη φθίνοντος.
Anno Urbis Conditæ 2395. III. Nonas Ianuarias Pompilianas.
Anno Nabonnazaru 2397. XXII. Mechir.
Anno Philippi 1972 Περιτίου δευτέρα ἱσαμένου.
Anno Dhilcarnaim, sive Δικέρατος 1950. II die Kanun prioris.
Anno Juliano 1693. VIII. Kalendas Ianuarias.
Æra MDC LXXXVI.
Anno captæ Alexandriæ 1678. Choiac XXIX.
Anno post salutarem Dei passionem MDCXVI.

Regnante in Dania FRIDERICO III.

Qui in Regem Daniæ & Norvegiæ & hoc eodem anno coronatus est die Sancti Clementis, feria v.

Caslev XIX

ΤΟΞΩΝΟC ΔΙΙΙ.

XXIII Tisrin posterioris.

Ποσειδεῶνος ἐνάτῃ ἐπὶ δέκα

XIV. Kalendas Novembris Pompiliani.

XX Tybi vagi.

Metroi primo.

Αὐδυναίου πρώτῃ ἱσταμένου.

IX Kalendas Decembris.

XXVII Athyr Alexandrini.

תם ונשלם

IN-

INTERSERENDA.

Pag. 71. lin. 4. post illa verba:

Erat annus Per. Julianæ 2326.

IUxta nostram quidem rationem contigit diluvium anno Noachi 601 ineunte. P.J.4328. mense Ijar. Heic tamen calculum nostrum ad annum 600 ineuntem applicabimus, ut Iudæorum sententiæ, & apertis Scripturæ verbis magis conveniat. Cœpit vero annus Noachi 600 anno P.Jul. 2327. vere. Quod si ab autumno antecedenti diluvii initia petantur, quod juxta Scaligeri & Rabbinorum sententiam erit, qui initia Orbis conditi, & Diluvii in autumno collocant, habebimus autumnum anni P.J. 2326. Hic ergo annus juxta has rationes diluvii annus esset.

Pag. 206. lin. 33. post illa verba:

antea capta fuit.

Sed lib. 11. Historiarum Alliensem pugnam, qua Romani à Gallis, antequam Urbs caperetur, victi sunt, in xv Kal. Sextileis confert. Ideoque eandem planè cum Livio opinionem habet.

Menda graviora ita corriges.

PAg.3. lin.20. pro secundâ leg. primâ. p.4. lin. 17. pro secundâ leg. primâ, p.12. l 3. lege subitoque fragore. p.26.5. lege xvi, diei Nisan. pag.54. l. 2. pro בהתלת leg בתחלת. pag.66.38. pro menses leg. messes. pag.106. lin.29. pro xxvii. leg. xxviii. pag.147. l.19. pro ad ea lege adeat. 201. lin.40. pro Samudis Potiti leg. Samuelis Petiti. 259. lin.14. pro xxvii. leg. xlvii. pag.285. lin.9. pro 20. leg. 40. pag.286. lin. 36. pro 3824. leg. 2825. pag. 287. lin.4. pro 52. leg. 55. p.304. lin.2. pro tradendi lege cradendi. pag.313. lin.21. pro xxvi. leg. xxxvi. pag.317. lin. ult. pro 10. leg. 30. pag. 343. lin.32. pro Pontifices lege Pontificios. pag.390. lin.22. leg. hunc ita exponunt. Quæ in commatibus, aliisque distinctionibus peccata sunt, ut & in literarum omissionibus aut translationibus, cæterisque, ego lectori candido ac erudito emendanda permittam.

SVMMA CAPITVM ET LIBRORUM De ANNIS CHRISTI.

LIBER PRIMUS.

CAPUT I.

Vulgaris Christi Epocha neque cum Scripturis, neque cum antiquis patribus convenit. In usu communi ante quintum à nato Servatore seculum non fuit: sed ejus loco, Fasti Coss. Æra Hispanica, Anni Alexandri, Diocletiani, aliique. Primus Dionysius cognomento Exiguus circa annum Christi commun. DXXXII. *hac usus est: aliisque ut idem facerent auctor fuit. Qua tamen nunc utimur, non Dionysii est: sed Bedæ. Temporis ratio unde dependeat? Characteres temporum qui? & quotuplices?* Fol. 1

CAP. II.

Definitio temporis. Mensura temporis motus. Hic in perpetuis tantum corporibus consideratur. Estque duplex. Primus & Secundus. De primo antiquorum opinio, cum naturâ non convenit. Quid dextra & sinistra sint in cælo? De auguriis veterum. Nicolai Copernici de motu primo opinio melior. Ejusdem. de motu seu revolutione terræ in Zodiaco, sententia rejicitur. Motus primus terræ proprius est. Vnde is percipiatur? 8

CAP. III.

Dies quid? ἡμέρα unde dicta? sub diei nomine sæpe nox comprehenditur. Duplex diei consideratio. Iudæi diem à vesperâ inchoant. Quid vespera sit? & quotuplex ex sententia R. Salomonis & R. David Kimhi? alia sententia Aben Ezra, quæ explicatur, & contra Scaligerum defenditur. Priorum Rabbinor. opinio ex Iosepho & Talmude illustratur. Distinctio inter Mincham parvam & magnam. Talmudicorum & Carræorum in tertia vesperæ ac diei initio constituendo differentia. Tenaces antiquitatis suæ gentes, à vespera diem incipiebant, ut Athenienses, Nomades Libyæ, &c. Babylonii & Turcæ ab ortu Solis: à meridie Vmbri: à media nocte Sacerdotes Romani. Causa hujus rei. Plutarchus emendatus. Vulgus Romanorum ab ortu horas diei numeravit. Dies naturalis & civilis, partes illius apud Græcos. Δείλη, Merenda quid? Diei naturalis divisio apud Romanos. Antiquissima diei civilis partitio non in horas 24. sed 12. ejus ratio à cælo deducta. Postea dies natu-

naturalis in totidem divisus est. Hinc horæ inæquales, quæ gnomonis mensurâ monstrabantur. Eubuli Comici locus lepidissimus apud Athenæum restituitur. Signa in horologiis, unde hora σημεῖον vocatur. Horas antiquis cognitas fuisse probatur. Solaria Romanorum: pro quibus Clepsydra in usu fuit, ad omnium fere actionum tempora determinanda. Modus investigandi horas inæquales. Horarum in scrup. 60. & scrupuli cujusvis primi in 60. & sic in infinitum divisio: alia Epiphanii in partes 30. & Iudæorum in 1080. quarum qualibet ex doctrinâ Rabbi Ada momenta continet 76. &c. 17

CAP. IV.

Temporis duplex consideratio. Hebdomas Iudæorum: Christianorum. Ejus distinctio in dies, juxta ordinem dierum: juxta ordinem Planetarum ex mente Ægyptiorum. Hujus ordinis ratio redditur ex Harmonia Musica: quæ explicatur. Universum hoc, habet in se, ex mente antiquorum, proportionem τῆς διὰ πασῶν, vel juxta Macrobium quater διὰ πασῶν καὶ διὰ πέντε. Alia ratio juxta numerationem horarum diei. Ogdoas sive Nundinæ Romanorum. Earum auctor. Diebus octo constabant, ut ex veteri Inscriptione probatur. Idem ex Macrobio aliisque confirmatur. Nundina Dea Romanorum. Mares nono, fœminæ octavo, à nativitate die nomen accipiunt. Internundinum quid? Nundinæ an feriæ sint. De feriis, fastis, profestis, comitialibus diebus. An, & quid feriis agere Romanis antiquis licitum? Vera legis de sabbatho expositio. &c. 39

CAP. V.

Motus secundus quid? & quotuplex? De motu fixorum, ut & trium superiorum Planetarum, Copernici inventum, pro demonstrando φαινομένῳ Martis. Tychonis Brahæi hypothesis melior. Anni Planetarum juxta antiquos. Achilles Tatius emendatus. Anni eorundem juxta recentiores. Solis & Lunæ motus, in temporibus præcipue observantur. Sol idem qui Liber: & Luna Ceres. Motus Solis accuratius exponitur. De Perigeo & Apogeo: ut & Eccentricitate Solis. Lunæ motus Periodicus & Synodicus: quorum hic saltem in tempore dimetiendo locum habet. Tabula mediorum motuum Solis & Lunæ, Periodo Iulianæ, applicatæ. Usus earum. 48

CAP. VI.

Annus unde dicatur? quid denotet? Anni Hieroglyphicum. Ἐνιαυτὸς quid? & unde? De menstruis, & quadrimestribus annis antiquorum. Lactantii de iisdem opinio; quæ plerisque doctis probatur. Uberior hac de re disputatio. De annis Patriarcharum antediluvianorum disputatur contra illos, qui men-

struos fuisse existimant. Annum Antediluvianum lunarem fuisse, non accuratum, sed talem qualem Iudæi postea in usu habuerunt. Ejus ratio exponitur. Vnde Sari Chaldæorum originem habuerint? Menses antiquorum à visione dependebant. Si illa non daretur, mensis tricenum dierum erat. Scaligeri, de anno antediluvianorum, opinio diversa examinatur. Locus ex octavo Geneseos, de diebus CL *queîs aqua super terram prævaluerunt, explicatur, tam ex mente Iudæorum, quam sententia propria. Scaligeri assertio inde refellitur, &c.* 61

CAP. VII.

De Cycli Lunaris Origine: de Trieteride, Octaeteride, Enneacaidecaeteride. Hujus ratio explicatur. De Cyclo Metonis, & emendatione Calippi. Cyclorum Lunarium in Ecclesia usus. Origines & causæ dissidii Christianorum in celebrando Paschatis festo, à primis principiis deducuntur. Eusebius emendatus. Canones Apostolorum Epiphanio non fuisse visos, nec genuinos esse. Alexandrini Enneacaidecaeteride usi sunt ante Nicænum Concilium. Anatolii difficillimus locus explicatur, ibidemque Petavii opinio examinatur. Differentia inter Cyclum Anatolii, Alexandrinum, Dionysii, & Latinum. Cur Cyclus Alexandrinus triennio Latinum anticipet? Cycli solaris constructio, & vulgaris ejusdem Epochæ ratio. Alius Cyclus proponitur naturæ magis conveniens; ejus usus declaratur. Methodusque inveniendarum feriarum in annis, mensibus, diebus, exponitur, &c. 75

CAP. VIII.

Cyclus magnus Cyrilli annorum XCV. *Alius annorum* DXXXII, *qui utrumque Cyclum & Solis & Lunæ in se comprehendit. Ejus auctor Victor vel Victorius Aquitanus. Cyclus maximus Constantinopolitanus componitur ex Cyclo Solis, Lunæ & Indictionum. Quid sint Indictiones? Initia harum duo constituuntur: vulgo enim vel ab Augusto vel Constantino deducuntur. Chronicon Alexandrinum castigatur. Epocha Antiochenorum. Maximi Monachi, Constantini Prophyrogennetæ, Cedreni &c. de Indictione opinio. Sententia propria exponitur, & demonstratur Indictiones* XV. *annorum ab Hadriano originem habere. Decennalia & quinquennalia Imperatorum unde orta? De tempore Concilii Nicæni inchoati. De tempore ejusdem Concilii finiti, in quo Petavius, defectu, Scaliger, excessu, peccat. Vicennalia, Constantini Magni, duplicia. Ejusdem Initium, ut & Maxentii, demonstratur. Eusebius in Chronico castigatur. Æra Hispanica. Panegyristes Constantini emendatur. Collatio Cycli Græcorum cum vulgari. Periodus Iuliana quid? ejus auctor Scaliger. Qua ratione annis Christi, adeoque usui vulgari appli-*

plicetur. Methodus, tam hujus, quam Periodi Constantinopolitanæ, monstratur in applicandis iis ad annos Christi &c. Methodus nova & facilis inveniendi, sine operosiori calculo, ad quodvis tempus, Cyclos Solis, Lunæ & Indictionum, tam in Periodo Iuliana, quam Constantinopolitana. 93

CAP. IX.

Disputatur de anno Iudaico. Iudæi juxta φάσιν *Neomenias observabant. Scaligeri Opinio de Calippica anni Iudaici forma examinatur. Iosephus explicatur. De jejuniis Iudæorum. De tempore captæ Vrbis Hierosolymorum à Pompejo & charactere ejusdem. Dio castigatur. De expeditione Antiochi Sidetis in Parthos, ejusque vero tempore. Difficillimus Epiphanii locus de Tessaradecaeteride & Ogdoecontatessaraeteride Iudæorum explicatur: ubi Petavii opinio examinatur. Ratio, cur Iudæi, temporibus Constantini, Pascha ante Æquinoctium celebraverint. De octaeteride Iudaica, Petiti, & Vossii opinio examinatur. Vera ratio mensium Iudaicorum proponitur. Modus inveniendi ad quodlibet tempus Neomenias, & plenilunia Iudaica, tam juxta Talmudicos quam Scripturarios. R. Elia Scripturarius & R. Moseh Majemon emendantur.* 110

CAP. X.

Nomina mensium apud Iudæos sunt Chaldaica. De anno Intercalari. Cur intercalatio instituta sit: à quibus perficiebatur? Causæ intercalationis tres, Tekupha fructus arborum & Abib. Cochi de Tekupha opinio examinatur. Intercalatio Ordinaria & Extraordinaria. Hujus causa & tempus. Gemara Talmudica emendatur. Explicantur causæ intercalationis minus principales. De Epocha anni Iudaici. Methodus annorum Iudaicorum. Demonstratur quod annus hic omnium sit antiquissimus: unde & omnes anni, qui in scriptura sunt hac Methodo investigantur. 128

CAP. XI.

De annis Semitah sive Sabbaticis, & Iobeleis. De his duplex opinio, quarum una quadragesimo nono, altera quinquagesimo quovis anno Iobeleos celebratos vult. Vtraque examinatur, & ex Scripturis refutatur. Opinio propria. Initium annorum Iobeleorum & Semitah ab autumno, quod & naturæ optime convenit. De Epocha horum annorum. Locus Iosuæ XIV explicatur. Epocha annorum tam Sabbathicorum, quam Iobeleorum in annis P. Iul. constituitur, & horum inveniendorum Methodus demonstratur. 135

CAP. XII.

Antiquissimæ gentes juxta φάσιν *menses ordinabant, Britanni juxta fluxum & refluxum*

refluxum maris. De anno antiquorum Danorum, ejusque termino quem Iul sive Rotam vocabant. Græci antiqui annos mensesque juxta φάσιν ordinabant, quod, accepto ab Ægyptiis æquabili anno, immutatum fuit. Mensium inæqualium apud Albanos & Tusculanos causa. An Solon annum aut menses emendaverit? De Octaeteride. De Enneacaidecaeteride Metonis, ut & ejus constructione, & ad usum civilem applicatione: ubi insignis locus Ciceronis explicatur. Vulgus Atheniensium antiquis mensibus pertinacissimè adhæsit, quos pro Lunaribus habebat. Anni Græcorum Lunares erant, non Solares, ut voluit Leo Allatius. Nomina mensium Atticorum. Modus numerandi dies mensis. Epocha anni Atheniensium, &c. 145

CAP. XIII.

De Olympiadibus & primis earum originibus. De certamine Herculis Idæi, Aëthlii, aliorumque. Olympias Ægyptiis tempus quatuor annorum erat, quo duplicato Luna ἀποκατάστασιν facere credebatur. Græcis etiam πενταετηρὶς erat, sed primo Solaris, inde Lunaris. Hæc ab Endymione instituta fuit, qui & primus Octaeteridis inventor exstitit. Demonstratur Olympiades primo post Solstitium plenilunio celebratas fuisse. Scholiastes Pindari ex ratione anni Achæorum explicatur. Methodus annorum Olympicorum. De aliis, quæ ad ludicrum spectabant. Quis primus Victores olea coronare instituerit? Pausanias notatur. 169

CAP. XIV.

Macedonum annus Lunaris erat, sicut reliquorum Græcorum. Menses Macedonum, eorumque situs. Difficillimus apud Demosthenem de Loo Macedonum & Boëdromione Atheniensium locus explicatur. Menses Macedonum nullam ante Alexandrum mutationem subierunt. Methodus anni Attici vulgaris exponitur, juxta Cyclum annorum 40, cujus Epocha demonstratur. Diodorus Siculus explicatur. Primus Hecatombæon Metonis, ejusdemque ratio intercalandi demonstratur. ubi Scaliger & Petavius notantur. In Asia primum menses Macedonici mutari cœperunt, quos Iudæi & Chaldæi non à jugo, sed à visione inchoabant. Etiam ex Lunaribus Solares facti sunt. Galenus emendatur. De translatione mensium. Ejus origo. Cur, & à quibus, Lunares menses in Solares transmutati sint? Tota anni Solaris Macedonici ratio exponitur. Chaldæi Solstitium Hybernum in XXIV Decembris constituerunt: quod & Alexandri temporibus verum erat. Tabella mensium, Macedonicorum antiquorum, Asianorum, Bithynorum, Paphiorum. Methodus eorundem inveniendorum, &c. 178

CAP.

C A P. X V.

De anno Romanorum antiquo. Diversa antiquorum de anno Romuli opiniones explicantur, & inter se conciliantur. Emendatio Numæ prior & posterior. Utriusque ratio accurate exponitur. De Cyclo Numæ. De genuina loci cujusdam Liviani lectione & explicatione. Macrobius contra Petavium & Leonem Allatium explicatur. Cyclus Numæ qualis fuerit? De Epocha anni Romani, & ad Iulianum applicatione. Illustri exemplo Urbis, à Gallis Senonibus captæ, Cyclus ac Methodus anni Romani demonstratur, quod frustra ab aliis tentatum est. Quando primum, & qua occasione Romanus annus depravari cœperit? Emendatio Cæsaris Dictatoris. Cardines ejusdem. De mensibus Macedonum & Syrorum ad Iuliani anni formam applicatis. 193

C A P. X V I.

De anno Ægyptiaco vago. Annus hierophanticus fixus. De duplici Cyclo Ægyptiorum majori & minori. Scaligeri de annis Ægyptiacis sententia exponitur, & contra Petavium defenditur. Diodorus perperam à Petavio explicatus. Petavii secum pugna. De prisco Ægyptiorum anno. Ægyptii ante Exodum annum habuere CCCLX *dierum sine Epagomenis, qui ab ipsis pro Lunari habebatur. Epocha anni Lunaris Ægyptiaci. Cycli Hierophantci origo. Epocha anni Dei & Cycli canicularis Hierophantici. Annus hic fixus in usum civilem ab Aseth Rege adhibitus fuit. Thebai, Diodori & Strabonis temporibus, anno fixo utebantur. Cycli majoris Canicularis origo. Theodorus Gaza castigatur. Leo Allatius iniquè Scaligerum carpit. Epocha anni magni Canicularis incerta. Methodus annorum Ægyptiacorum.* 215

C A P. X V I I.

Annus Chaldæorum antiquus & civilis plane Iudaicus erat. Menses enim à visione: annus à messe incipiebat. Probatur illud ex Ptolomæo. Qui explicatur. Sarorum, Neirorum & Sosorum Chaldaicorum origo & definitio, ex qua infinita illa annorum multitudo, quæ in Chaldaicis antiquitatibus perscripta est, commode explicatur. Anni Persici ratio & Epocha. 231

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

PRoæmium de Christiani hominis felicitate. Ex temporum doctrina felicissimè ac validissimè, & Gentiles & Iudæi refutantur. 241

CAP. II.

Epocha Orbis Conditi. Non autumno, sed vere Mundum creatum esse, contra Scaligerum & Petavium demonstratur. Quo tempore Iudæi juxta Parasas legem in Sabbathis prælegere cœperint. 244

CAP. III.

De fœdere Dei cum hominibus antediluvianis. Quid sint filii Dei Gen. 6? Causa Diluvii. De civitatibus & regibus ante diluvium. Horum initium. Berosus & Abydenus explicati & notati. Tempus ab origine rerum ad diluvium. Annus mortis Adami & cœpti diluvii charactere confirmatus. 250

CAP. IV.

Tempus à diluvio ad Exodum. Tempus nati Arphachsadi: & Abrahami. Loc. Gen. XI. & XII. & Actor. VII. conciliantur. Loc. ex Epist. Gal. cap. III. & Gen. XV. explicantur. Loca Gen. XLVI. & Act. VII. explicantur & conciliantur. Tempus egressus ex Ægypto, & ingressus in terram Canaan demonstratur. 256

CAP. V.

Ninuab Græcis, Scripturis, à rebellione, Nimrod dictus, conturbatis, Babylone, operis, terram ab Assure Semi denominatam invasit, Ninivenque condidit. Vnde hoc imperium, quod in Assyria sedem primariam haberet, Assyriorum appellatum est: quod omnium antiquissimum est. Initium hujus & finis demonstrantur. 265

CAP. VI.

De Chamo antiquo. Regni Ægyptiaci origines. Infinita annorum multitudo, quæ ex Dynastiis Ægyptiacis colliguntur, ex Manethone explicantur. Epocha Imperii Ægyptiaci, &c. 269

CAP. VII.

De Cananæis sive Phœnicibus. De Iapeti posteris. Historia Israelitarum sub Iudi-

Iudicibus, dubiaque Scripturæ, quæ illuc pertinent, explicata. Petavius *notatur. Anni Regum Iuda usque ad Captivitatem Babylonicam proponuntur & demonstrantur, &c.* 274

CAP. VIII.

De *Regibus Tyriorum. Iosephus emendatus. Locus Menandri Ephesii contra Petavium explicatur. Iosephus contra Scaligerum defenditur. De conditu Karthaginis.* 287

CAP. IX.

De *Medorum contra Assyrios rebellione, & imperio. Eclipseos Solaris quæ Cyaxare Imperante contigit, verum tempus eruitur, ac inde tam Cyaxaris, quam omnium* Regum *Mediæ anni demonstrantur, &c.* 291

CAP. X.

De *initiis annorum Iphitaorum sive Olympiadum, quæ ex tribus Eclipsibus demonstrantur. Methodus horum annorum.* 294

CAP. XI.

Duplex *via est originum Vrbis inquirendarum. Vna Varronis, quæ vana & falsa est, altera* Dionysii, *quæ explicatur, & contra* Scaliger. *& Petavium defenditur. Clemens Alexandrinus emendatur. Fasti Consulares explicantur & emendantur, totaque eorum ratio exponitur. Vrbis conditæ Epocha, omniumque* Regum *ac primorum* Coss. *initia, &c.* 296

CAP. XII.

De *initio* Nabonnassari, *& temporibus* Regum *Babyloniæ. Ptolomæus emendatur. Initia Nabopollassari, & Nebucadnezari constituuntur. Anni imperii Nabonnidi, &c.* 305

CAP. XIII.

De *anno excidii* Hierosolymitani. XI. *Zedechiæ est Sabbathicus.* XIX *Nabuchodonosoris annus, ut & initium Zedechiæ, Iojachin & Iojachim demonstrantur.* Epocha *deportationis, &* LXX *annorum captivitatis. Varia Scripturæ loca exponuntur. Epocha templi combusti, &c.* 310

CAP. XIV.

De *successoribus* Nebucadnetzari. *Belsasar est Leboretzarcad Berosi, & Darius Medus Astyages. Scaligeri de Dario Medo sententia rejicitur. Berosus cæterique Scriptores profani cum Scripturis conciliantur.* De *triplici Cyri initio, &c.* 315

CAPUT XV.

Cyri initium Cambysis Epocha duplex, ut & Artaxerxis Longimani. Omnium Regum Persiæ anni, & tempora, &c. 324

CAP. XVI.

De ultimis Ægypti Regibus. Herodotus, Manetho, & Diodorus explicati. Initium belli Peloponnesiaci. Annus captæ Vrbis à Gallis. 327

CAP. XVII.

Excessus Alexandri. Epocha annorum Philippi, Seleucidarum, Iulianorum & Actiacorum. Iulii Augusti & Tiberii tempora explicata, &c. 331

CAP. XVIII.

Initium Hasmonæorum. Vrbis à Pompejo captæ Epocha. Scaliger & Petavius notati. Iosephus explicatus. Initia Herodis duo, quæ demonstrantur. Tota Herodis historia paucis exposita. Initium & finis Archelai & Philippi. Iosephus emendatus & explicatus. 335

PARS ALTERA.

CAPUT I.

Proœmium. De loco Matthæi 12. v. 40. aliàque disputatio. 353

CAP. II.

De die nativitatis & baptismi. Probatur Christum XIII Kal. Ianuarias natum, & VI Idus baptizatum. Scaliger, Lanspergius, & alii notati. 355

CAP. III.

De vero anno tam nativitatis, quam passionis. Loca quædam ex cap. III. Lucæ explicantur. Vsus particulæ ὡσεί. Locus Matthæi II. v. 16. & historia Magorum illustrantur. Antiquorum de natali opinio. Tertullianus emendatus & contra Montacutium defensus. Scaliger notatur. Epocha natalis Christi, &c. 361

CAP. IV.

De variis modis investigandi annum Passionis. Antiquorum, de uno ministerii anno, opinio falsa. Ex Paschatum ratione nihil certi demonstrari potest. Characteres passionis ex Scripturis demonstrantur. Christus, die Iovis, sive feria quinta, non die Veneris, aut feria sexta, passus est. Historia resurrectionis, ejusque dubia explicantur, &c. 371

CAP. V.

Christus alio tempore, quam Iudæi Pascha comedit. Vox Paschatis, Azymorum, aliaque, quæ illuc spectant, explicantur. Quid sit Chagiga XIV diei. Locus Deut. XVI. v. 4. contra Cloppenburgium explicatur. Majemon notatur. 385

CAP. VI.

Causa, cur alio die Christus, alio Iudæi Pascha celebraverint. Græci Christum tempus debitum anticipasse dicunt. Latini Iudæos procrastinasse volunt. Vtrique refutantur. Pauli Forosemproniensis, & Scaligeri de feriarum translatione, Petavii de extraordinaria perturbatione, Vossii de procrastinatione Iudæorum propter Æquinoctium, Lud. Capelli de differentia inter observatores Syzygiæ & φάσεως, opiniones refutantur. Vera diversitatis causa ex discrimine Karræorum & Talmudicorum eruitur ac demonstratur. 393

CAP. VII.

Christus, ante Pascha anni XXXI. æræ vulgaris, & post Pascha anni XXXV, passus non est. Quanto tempore Pilatus procurator Iudææ fuerit? Pauli Forosemproniensis, Gerhardi Vossii, & quorundam Patrum, de tempore passionis opinio refutatur. Scaligeri de Sabbatho δευτεροπρώτῳ sententia confirmatur, ac reliquorum refelluntur. 406

CAP. VIII.

Tabula Neomeniarum Paschalium in iis annis, quibus Christus pati potuit. Petavii sententia de anno passionis refutatur. Tostati, Scaligeri, & aliorum in die Passionis error. Vera sententia proponitur ac demonstratur. 409

CAP. IX.

LXX Danielis hebdomades explicantur, & ad Christi passionem applicantur. Scaligeri & Lansbergii opinio falsa. Vera Hebdomadum Epocha demonstratur, & Esdras explicatur. 416

CAP. X.

Chemnitii de anno Passionis opinio refutatur: Daniæ vero Theologorũ probatur, totaque ipsorũ in annis Christi ordinandis ratio defenditur. Locus Gen. XLIX. de Sceptro Iuda explicatus, ac in eo Tarnovius & Casaubonus notati. 409

CAP. XI.

Historia Evangelica in certum ordinem redigitur, omniaque quæ ab Evangelistis à Christo in Ministerio facta esse dicuntur, juxta quinque Annorum Paschata ordinantur. Iudæorum ritus in Scenopegiis celebrandis. Locus apud Marcum restituitur, &c. 427

INDEX
RERVM ET VERBORVM
Maximè memorabilium.

A.

ABib initium. pag.131
Abraham post Parentis mortem primò in terram Canaan venit. 257
Abrahami historia explicatur. 258
Achaici anni initium.175.ratio. 176
Achaici anni Epocha. 334
Adami mortis characteres.254.& tempus. 254
Adar semper intercalabatur. 132
Ægyptus terra Cham appellata. 270
Ægypti Reges posteriores. 328
Ægyptiaci anni canicularis origo. 223. ab æstate incepit. 223. anni vagi methodus generalis,&c. 229
Ægyptiorum mensium nomina Græca & Arabica. 228
Ægyptii antiquitus à Phasi menses inchoarunt. 146. cur ab autumno annum inchoarint? 247. primi annum CCCLX dierum constituerunt.148. cœlum in duodecim partes divisèrunt.164.quomodo id factum. 164
Ægyptiorum antiqui Reges ac Dynastiæ explicantur, eorumq; tempora longè intricatissima ordinantur.270 271.&c. anni antiqui menstrui 221. quadrimestres. ibid. annus antiquus Lunaris.ibid. tum in usu cum Israelitæ in Ægypto hærerent.222. ;XII. menses habebat omnes tricenarios. 222. fixus erat.223. ab autumno cœpit.ibid.ac cur.ibid.civilis annus antiquus fixus.226.annus Hierophanticus fixus.217.annus vagus.216.ejus ratio.ibid. festa antiquitus fixa. 225
Æquinoctium autumni Cæsaris v.Kal. Octobris. 211
Æra Hispanica. 2
Africa Chemia & Ammonia ex Chamo dicta. 270
Africanus cur ἱστορικὸν scripserit. 244. unum ministerii annum ponit. 373
ἀκρατίσμα quid? 32
Albanorum menses unde orti? 148. menses inæquales unde orti? 194
Alexandri M. initium. 331. victoria ad Gaugamela, quando contigit? 331. finis. ibid.
Anacharsis dicterium in Græcos, Athenis maxime locum habebat. 159
Anatolius quo tempore floruit. 83
Annus ab an id est circum.62. circulum denotat.ibid.de Lunæ circuitu usurpatur.ibid. confusionis quis? 332.Iudaicus supputationis minoris. 144. Iulianus qualis. 209. 210. Lunaris apud antiquissimas gentes in usu fuit,Iudæos, Romanos, Græcos,&c. 67. 68. Semitah cur non à Nisan incipit. 140.de Epocha hujus duæ opiniones. 141.
Anni antiquorũ ratio. 66. 67. ἱερογλυφικὸν Serpens. 62.partitio juxta Thucydidem. 329. Iudaici initiũ varium. 131. Iudaici initium à Nisan 133. methodus. ib.anni ac mensiũ Iudaicorum ratio.96. Calippici. Cardo. 168. Iudaici Epocha duplex.133. Romani depravatio.207.causę hujus rei.208. 207. Intercalatio. 129. cur instituta sit.ibid. non eadem intercalandi ratio apud Iudæos, quæ apud Græcos. 129. Intercalandi potestas penes quos.130.Intercalationis causæ tres. ibid. Intercalatio Ordinaria & Extraordinaria. 130. 131. huius causa & tempus. ibid. Iudaici Civiles qui? 229.In-

229. Intercalares Cycli Alexandrini & hodierni. 86. menstrui, trimestres, quadrimestres. 63. Patriarcharum duodecimestres. 64. 65
Annus confusionis dierum 445. præcise erat. 210
Annorum Iobeleorum ratio vera. 139 trium proventus propter annum Iubilæum magnum. 140
Annos Iobeleos investigandi Methodus. 144. 145. Sabbathicos investigandi Methodus. 143
Antica quid? 12
Antigonus Aristobuli filius 339. à Parthis in regnum reduci petit. 339. 340
Antiochenorum Epocha. 96. 102
Antiochus Eupator quo anno Bethsuram obsederat. 142
Antipater Herodis Pater Iudææ Prorex. 338. Antipater Herodis filius quando interfectus? 367
Antiqui ante meridiem jus dicebant. 31
Antiquis tria edendi tempora. 32
Antiquorum jentaculum. 32
Antiquorum in mensibus constituendis ritus. 67. insignis Zodiaci error. 165.
ἀπὸ δύσεως quid? 365
Apostoli non semper Græcâ versione usi sunt. 262
Aprilis unde dicatur 204. à quo die incipiebat? 204
Aqua hæret quid? 38
Aquam perdere quid? 38
Arabes diem à vespera incipiebant. 26
Arabes à Phasi menses incipiunt. 145
Arabiæ pars Iudææ ad orientem sita. 336
Archelai initium & finis. 346. seq.
ἀρχόμενος quid? 364
Aristobuli initium, 337. historia explic. 357. interitus. 338
Artaxerxis L. initium duplex. 326. 327. finis. 327
Artaxerxes primus urbem Hierosolyma ædificare permisit. 417
Artaxerxes Esdræ 4. quis? 418
Asverus Esdræ 4. quis? 418
Assur Genes. x. v. 11. Assyriam denotat. 265
Assyriacum Imperium quanto tempore duraverit. 268. omnium Regum anni constituuntur. 269
Assyriorum Imperium In Sardanapalo non desiit, sed tantùm imminutum fuit. 292
Assyriaci Imperii Epocha demonstratur. 267
Astronomia Veterum. 36. 37
Astyages filius Asveri. 321. Astyages multis post rebellionem Cyri annis regnavit. 322. Astyagis Historia explic. 321
Athenienses diem à vespera incipiebant. 26. quomodo in causis dicundis diem diviserint? 31. tempore Aristotelis & longè post mensibus tricenariis utebantur. 157. 158. 159. 160
Atreus motum secundum invenit. 13
Attici Anni cardo. 168. Methodus 168. 169
Attici anni vulgaris Cyclus 181. epocha hujus. pag. 181. 182. 183. Epocha duplex. 163
Augures variè cœlum dividebant. 12
Auguria capiendi ritus. 12
Auguria dextra Græcis, sinistra Latinis fausta. 11
Augusti initium. 332. 334. ejus historia explicatur. 333. M. Lepidum relegavit. ibid. Triumvir. factus est. ibid. M. Antonium vicit ad Actium. ibid. Alexandriam cepit. ibid. Augusti in Syriam iter. 347. finis. 335
Augustinus unicum tantùm annum Christum post baptismum vixisse tradidit. 371.

B.

BAbylonicæ confusionis mentio in antiquitatibus Chaldaicis. 268
Babylonis conditor. 266. Græcorum de hoc error. ibid. Historia expl. ibid.

Baby-

Babylon quando à Cyro capta. 322
Babylonii diem ab ortu inchoant. 27. & cur? ibid.
Babyloniorum Regum nomina & anni Imperii. 307
Bachus in Parnasso Apollini sacro celebratur. 52
Baptismus Christi quanto ante Pascha tempore contigerit. 356
Baptismi Christi verum tempus. 371
Baptismi dies Theophania & Epiphania dictus. 357
Beda auctor vulgaris Christi Epochæ. 7
Bedæ characteres passionis tres, inter quos unus tantum verus est. 374
Belli sacri in Græcia finis. 183
Belsasar Danielis est Leboretzarcad Berosi. 316
Belus Babylonius idem est, qui Chuz Pater Nimrodi. 266
בין הערבים quid? 21
Berosus & Herodotus cum Scripturis conciliantur. 324
Βέλαυτος. 23
בצרה Βύρσα arx Karthaginis. 291
Britannorum mensium ratio antiqua duplex. 146

C.

Cadmus quando floruit? 177
Cœlum corpus laxum ac fluidum. 14.
Cœli Harmonia. 41
Cæsares cur se Reges vocari noluerint? 362. 363.
Cambyses quando Ægyptum occupavit? 329
Cambysis initium duplex. 225. 226
Canaan, Philoni Bybiliens. vocatur Χνᾶ. 274
Canicularis cyclus quatuor annorum erat. 244. magni Cycli origo 227. & Epocha. 228
Chagiga quid? 386. permissionis est, non præcepti. 386.
Chagiga xiv diei nocte xv. Nisan comburitur. 398
Chaldæi in calculo suo pro diebus annos numerarunt. 236. causa hujus rei. 235. vagum annum à Persis habebant. 237
Chaldæorum annus antiquus idem erat qui Iudaicus 232. menses eorum à visione dependebant 232. 233. 234. annus à vere incipiebat. 234. Epocha. 332. mos in Epochis constituendis. 186. Solstitium brumale. 188
Chaldaici anni apud Ptolomæum. 234
Chaldaicorum annorum infinita multitudo explicatur. 236
Chaldaicorum nominum ratio. 316
Cham est Iupiter Ammon. 270
Chami & Successorum Imperium. 265
Characteres temporum qui & quotuplices? 8
Χειμών quid? 141
Chemnitii de baptismi die sententia rejicitur. 421
Christus in Ægyptum quando fugerit? 367. in Galilæam quando reversus sit. 367
Christus alio die, quam Iudæi Pascha comedit. 385. xv. Tiberii anno passus non est. 374. xxv. Decembris natus esse demonstratur. 357. (Scaligeri de natali opinio refellitur.) 358. anno xxxi passus non est. (Petavii opinio refutatur.) 410. anno xxxii. passus non est. 412. anno xxxiii. passus est. Aprilis secunda. 411. 413. ante debitum tempus Pascha non comedit, nec ulla ratione legem violavit. 394. ante finem templi secundi venire debebat. 416. Christus ante lucem diei Solis resurrexit. 376. ante Pascha anni xxxi. passus non est. (Patrum opinio refutatur.) 407. ante Pascha anni xxxv necessariò passus est: Pauli Forosemproniensis opinio refutatur. 407. die Mercurii passus non est. 382. & cur non? 382. Herode magno regnante natus. 361. post initium xv. Tiberii anni baptizatus. 361

Christus

Christus in domo Annæ à Pontifice Cajapha examinatur, & finito Synedrio in domum Cajaphæ deducitur. 433. necessario ante annum Julianũ 44 natus est.365.nocte,quæ præcedit diem Iovis captus fuit. 384. Pascha cum Karræis celebravit. 405. passus est feria quinta, non sexta. 375. qua horâ diei passus. 434. quando ascendit in cœlos. 434. quando sepultus? ibid. quanto tempore in utero fuerit? 360. VI. Januarii baptizatus. 356. vespera Paschatis sive XIV Nisan passus est. 371.
Christi ad Discipulos valedictoria oratio.433. epocha vulgaris falsa à Scripturâ & Patribus dissentit.1. epocha vulgaris quando primùm usurpata.2 epochę vulgaris utilitas.7.omnia dicta & facta notata non sunt.372. valedictoria oratio. 432. ultima disputatio. 432
Christum plures quam unum post baptismum annos vixisse, ex Evangelio patet. 372. primâ feriâ surrexisse demonstratur. 375
Christo patiente Eclipsis illa contigit, quæ à Phlegonte observata est. 434
Christianorum priscorum Epochæ variæ. 2.3.
Chrysostomus & Maximus Monachus ex Zachariæ Pontificatu perperam natalem investigant. 358
Circuli divisio unde orta. 34
Clemens Alexandrinus unicum tantùm ministerii annum constituit.371. cur στρωμάτων libros conscripserit? 244
Clementis Alexandrini de Christi natali opinio. 369
Cleopatra Herodem nequicquam detinere cupit. 341
Clepsydrâ dierum & noctium quantitates noscebantur. 37
Commodi finis. 369
Concilium Nicænum duravit anno integro & duos menses. 103
Concilium Nicænũ quando celebratũ. 2
Concilii Constantinopolita.tempus. 2 Ephesini tempus, ibid. Nicæni initium.101.102. finis. 102
Concio ultima Christi ad Judæos. 432
Concionis Paulinæ Actor. XXII. quædam explicantur. 277.278
Constantini Magni initium. 102. vicennalia gemina. 130.;tempus, quo Maxentium vicit. 103
Copernici de annuâ terræ revolutione sententia refellitur. 16. de revolutione diurnâ terrę opinio explicatur.15. ex antiquis Philosophis probatur. 15
Crepusculorum ratio incerta. 25
Crœsus quando captus. 322
Crœsi ad Solonem epistola quando scripta? 152
Cyclus anni civilis Gręcorum antiquus & vulgaris. 162. annor. 532. 94. ejus auctor.94. Cyrilli.91. Lunæ Alexandrinus.[85. cur primus hujus annus habeat Neomeniã Paschalẽ in XXIII. Martii? 85.Lunæ Dionysii ab Alexandrino differt.85.causa hujus rei.ibid. Lunæ Latinorum incipit à 2 V anno Cycli Alexandrini. 86. causa hujus rei. 86. magnus Constantinopolitanus.49. Romanus noster cum antiquis scriptoribus exacte covenit.206 Solis Constantinopolit. 91. Solis novus, ejusq; methodus,89.90.91. Solis vulgaris cur primo anno habeat literas Dominicales G. F. 88
Cycli canicularis initium.224. Dionysiani sive vulgaris & Victorini differentia.44. Solis ratio explicatur. 87
Cyclorum Lunarium origines. 76. Solarium & Lunarium in Ecclesia origo. 81
Cyclos Solis, Lunæ & Indictionum investigandi Methodus nova. 107
Cyri finis. 225. initia 322.res gestæ.322. 323 324.
Cyrenius bis in Judæa Præses. 428.

D.

DAniel Susarum præfectus non fuit. 320.

 Dani

Dani hiemes pro annis numerant. 27 diem à nocte incipiunt. 26. juxta Lunam tempora mensurabant. 146. initium anni. 146
Danorum Hecatombe. 146. tempus quo offerebatur. ibid. ludi circa anni initium. ibid.
Darii primi initium. 325. finis. 326
Darius Medus quis? 318. Medorum Rex fuit. 318. 319. Scaligeri & Petavii sententia refellitur. 319. 320. Astyages est. 320
Decennalia & Vicennalia Imperatorum unde orta. 96. 97
Δωλιτόν. 32
Δείλη. ibid.
Δείλη πρὸ ἑσπέρας. ibid.
Δείελος. ibid.
Dextræ & sinistræ in cœlo quid Astrologis? 10. auguribus? 11. Homero? 12
τὰ διαβατήρια. 388
διὰ πασῶν. 40
διὰ πασῶν ἢ διὰ πέντε. ibid.
διὰ πέντε. ibid.
διὰ τεσσάρων. ibid.
Dies quid? 18. 19. 31. cur à nocte incipiat? 21. ex solis motu dependet. 17. lux & Sol appellatur. 19. pro nocte. 19
Dies Iudaicus à vespera incipit. 20. Chaldaicus à matutino tempore. ib. Umbrorum & Astronomorum à meridie. ibid. Romanorum à media nocte. ibid.
Dies Iudaicus à vespera tertia incipit. 25
Dies naturalis & civilis quid? juxta Scaligerum. 31. juxta antiquos. ibid.
Dies pro annis apud Chaldæos. 235
Dies solaris naturali major. 17
Dies comitiales festi profesti &c. 45
Dies expiationis in Talmude incidit in feriam sextam & primam. 196
Dies hebdomadis à quibus primùm juxta Planetas ordinati sint?
Diei divisio prima. 31. duplex consideratio. 20. in horas divisio ex cœlo manavit. 34. naturalis divisio. 31. 32. partes juxta Pollucem. 32. partitio juxta negocia apud Romanos. 29. tempora ex variis actionibus nomen habent. 31. termini. 20.
Dierum divisio juxta Numam. 45. methodus inter se. 29
Diluvium non autumno contigit, sed vere. 246
Diluvii character & tempus. 255. tota historia explicatur. 256
Diluvii omniumq; eorum, quæ de arcâ avibus emissis, aliisque in Scripturis memorantur, etiam in Chaldaicis archivis mentio fit. 255
Diocletiani Æra. 3. Initium Imperii. 6.
Dionysius Exiguus primus ab annis Christi Epocham orsus est; Cyclum xcv annorum construxit 3. vulgaris Epochæ auctor non fuit. 3. seq. annos Cycli Lunaris à xv Paschali inchoavit. 4. 5. 6
Dionysii duplex Cyclus. 94
Dionysii Halicarnassei de urbis conditę tempore sententia verissima est, quæ demonstratur. 298. & contra Scaligerum & Petavium defenditur. 29
Διονυσος cur Sol dicatur. 52
Dionysiani Cycli Lunaris annus primus incipit ultimo anno vulgaris Cycli Lunæ. 6
δὶς διὰ πασῶν. 40
δὶς διὰ πασῶν ἢ διὰ πέντε. 40

E.

Eclipseon causæ. 52
אֵיד quid? 365
ἔθος. Θεῖ quid? 224
Encænia Imperatorum quid? 97. unde orta? 96. quinquennalia erant, decennalia, vicennalia & tricennalia. 97. ἐπινίκιοις dictæ. 97
ἐνδεκάτης σκιά, 35
Endymion cur Lunam adamasse fingatur. 172

Ennea-

Enneadecaeteris Metonis. 153. ejus ratio. 153. 154. vitium. 153. emendatio quomodo facta? ibid. à quo? ibid. Hæc Periodus publicè proposita ac in usu fuit. 153. 154. ratio intercalandi Metonica. 155
Enneacadecaeteride Alexandrini usi sunt, tam ante quam post Concilium Nicænum. 81
Epagomenæ Ægyptiis Μικρὰ & Νικὰ hoc est serpens dictæ. 228. & cur? 229
Epiphanii de Christi natali opinio. 369. de Magorum adventu sententia falsa. 366. 61. in die passionis error peculiaris. 384
Epocha annorum Iobeleorum & Semitah. 141. 142.
Epocha Διχόμηνος. 332
Epocha annorum Iobeleorum & Sabbathicorum à primo in terram Chanaan ingressu dependet. 141. 142
Eudoxi Solstitium. 166. 167
Eusebii de natali opinio. 369
Eusebius in Chronicis totum fere Africanum exscripsit. 244
Exitus ex Aegypto quo anno Per. Iulianæ contigit. 143
Exodi locus difficillimus de mansione filiorum Israel in Aegypto. 430. annis explicatur. 254. ubi LXX. Interpretum aliorumque omnium Interpretatio rejicitur. 259. 260 tempus demonstratur. 263. eius character. ibid.
Exodus 430 anno post Isaachum natum contigit. 259. quo anno post Diluvium contigit? 256. 257
Ezechiæ Epocha 285. XIV. ipsius annus est Sabbaticus & XV Iobelęus. 285. 286
Ezechielis trigesimus annus cap. I. v. 1. quid significat, Scaligeri sententia refellitur. 314

F.

FAsti Consulares vitiosi 300. emendantur. 301. 302. explicantur. 300. tres anni ex vulgaribus fastis extrudendi sunt. 303

Fermentum quando eliminatur. 388
Feriarum translatio nuperũ Iudæorum inventũ est, antiquis ignoratum. 396
Festum Iohann. v. an Pascha sit. 372. 373 potest esse Chanuca. 373
Fruges in Babylonia verno tempore maturæ. 249

G.

GAlli à Phasi menses inchoarunt. 146. Germani & Angli diem à nocte incipiebant. 26
Gallorum seculum XXX annorum. 146. & cur? ibid.
Generatio quid? 26
Gentiles sive Pagani quomodo in religione sint convincendi. 242
Germani à phasi menses inchoarunt. 146
Gnomon horarum index. 34
Gnostici unum post baptismum annum Christum vixisse dicunt. 371
Græci ab Aegyptiis æquales menses & annos acceperũt. 149. accurate menses juxta Lunam agebant. 168. 169. Arabibus Rumi dicuntur. 99. dies juxta Phases Lunæ numerabant. 152. juxta φάσιν antiquitus menses ordinabant. 147. omnes annos Lunares habebant. 178. post meridiem publica nõ tractabant. 30. quando ritè sacra faciebant. 149
Græci quidam Christum ultimo anno Pascha non comedisse dicunt. 393. refutantur. 394
Græcorum anni æqualis origo. 150. annus antiquus. 149. quantitas ejusdem. 149. annus antiquus qualis. 148. civilis annus Solaris non fuit. 160. Δίμηνος. 150. octaeteris. 152. historia ante Olympiades incerta. 170. origines obscurę. 275. posteriorum annus civilis explicatur. 155. 156. vulgus tricenariis mensibus adhæsit. 156. 157

H.

HAbacuc cap. 2 v. 3. explicatur, atque inde Talmudis vanitas demon-

monstratur. 242
Hadramuthum. 290
Harmoniæ Musicæ. 41
Hasmonæorum Regum tempora. 336. 306.
Hebdomadis origo ac divisio. 32
Hebdomas apud Danielem quid? 417
Hebdomadum septuaginta Danielis epocha, 417
Hecatombæonis Plenilunium semper Solstitio civili posterius erat. 163
ἡγεμονεύω quid? 362. quomodo ab ἡγεμονίᾳ differat. 362
Heli Historia explicatur. 284
ἡμέρα quid? & unde? 18
Herodes Magnus Galilææ præfectus. 338. Iudææ tetrarcha. 339. Romam navigat. ibid. Regnum quando obtinuit. 341. 342. Rhodum pecuniis juvit. 339. Olympiadum certamen restauravit. 341. in Iudæa quid egerit? 342. Hierosolyma cepit. 343. quando mortuus est. 345. 346. seq. plus quam 40 ante Pascha dies moritur. 346. quando & cur bimulos Bethlehemiticos interfecerit? 367
Herodis Regis pompa funebris 25 dies duravit. 350
חצרי אנך Kadreanak sive Karthago. 296
חצרימות Hadramuthum. 290
Hieronymi de anno & die natali Christi opinio. 2
Hierophantici apud Aegyptios anni Epocha. 226
Hierosolyma à Chaldæis quando obsessa. 310. ab Herode quando capta. 343. anno Sabbathico à Chaldæis capta. 311. Tisri à Pompeio capta. 337 Scaligeri & Petavii error. 337. templum quando à Tito combustum, 359.
Hierosolymorum à Chaldæis captorum tempus. 312. character. 311
Hipparchus & Aegyptii à med. nocte diem incipiunt. 29
Historia Evangelica ordinatur, & iuxta certa tempora disponitur. 428. seq.
Horæ antiquis cognitæ. 36
Horæ diei antiquitus XII. & cur? 33. postea XXIV. ibid.
Horæ inæquales. 34. ad æquales quomodo reducendæ sint? 38
Horarum divisio iuxta Iudæos & Arabes, omnesque orientales. 38. divisio vulgaris. Mathematicorum. Marcositarum. ibid. usus serò ad Græcos, ac serius ad Romanos penetravit. 37
Horologia antiquorũ literis signata. 36
ὥρα quid? 363
ὥρα ἐστὶ τελέσαντα. 364
Hyrcani initium. 336. eius historia explicata. 337

I.

IAcob utrum cum 70 animabus, an 75 in Aegyptum venerit? 262. aliorum explicationes rejiciuntur. 262. vera locorum Scripturæ expositio proponitur. 262
Iapheti posteri armorum gloria celeberrimi 275. literarum non satis gnari. 275. majorum gesta decantabant. 275
Iasiorum festum quando celebratum. 225. & cur? ibid.
Iechonias sive Iojachin quando cœpit. 313. quando captus. 312. quando ex carcere liberatus. 314
Iejunii dies quid Iosepho? 337
Iesus Christus est verus Messias. 420
Ignatius tres annos ministerii ponit. 373
Ignatii de natali opinio. 367
Indictio quid? Scaligeri, Petavii de hac opinio. 96. 98
Indictiones Adriani à Kal. Septemb. incipiunt. 99. Constantini ab VIII. Kal. Octobris. 100. 104
Indictiones alii ab Augusti secũdo anno alii à victoriâ Actiacâ, alii à Constantino incipiunt. 96. vera origo. 96. 97
Indictionum origo ab Hadriano 98. dies à quo incipiant, iuxta Bedam. ib. iuxta Græcos Orientales, & antiquio-

quiores Latinos. 98.99
Intercalabant Iudæi non nisi mensem. 132
Intercalationis Iudaicæ causæ minus principales. 131. 132. ratio apud Græcos. 162
Inter duas vesperas quid? 21
Internundinum. 45
Interregna duo in regno Iuda. 286
Iobeleus annus. 135. à Sabbathicis dependebat. 137. Scaligeri & Petavii de hoc opinio falsa. ibid. aliorum, qui quinquagesimo post alterum Iobeleum anno celebratũ dicunt, opinio falsa. 137. vera de his sententia. 138
Iobeleorum idem initium quod Semitah. 140 initium ab autumno. 139
Iohannes in Evangelio scribendo accuratam temporũ rationẽ habuit. 427.
Iohannes quando baptizare cœpit. 356. 362
Iohannis verba cap. 4. v. 38. *quia adhuc quatuor menses sunt ad messem* explicantur. 373
Iojachim initium 313. & finis. ibid. ipsius historia. ibid.
יום אחד 376
Ionas Propheta ad Sardanapalum missus. 291
Iosaphat Rex primus ordinavit legem in civitatibus populo prælegi. 248
Iosephus juxta paria Cons. annos non numerat. 347
Iosiæ finis. 329
Iosua quam diu præfuit? 280. variorum auctorum de his annis diversæ opiniones conciliãtur. 280. mors. ib.
Iovis motus med. 51
Irenæus Christum quinquaginta annos vixisse dicit. 373
Issicæ pugnæ tempus.
Isthmiorum victores apio arido coronabantur. 177
Iudaicus annus omnium antiquissimus. 134
Iudaicarum Neomeniarum vera ratio, juxta Talmudicos. 126. juxta Scripturarios. 126
Iudaicorum annorum ac mensium vera ratio. 112. seq.
Iudæi cur à Sabbatho, quod ultimum Scenopegiorum proxime sequitur, legem incipiant? 248. cur in anno intercalaverint. 129. cur Pascha ante æquinoctium temporibus Nicæni concilii aliquando egerint. 124. ex Chaldæis oriundi. 231. ex temporum ratione firmissimè refutantur. 244. in Paschatis celebratione legem non violarunt. 394. multa propter Sabbathi religionem passi. 46. nec Enneadecaeteride Scaligeri, nec Tessaradecaeteride Petavii, nec Octaeteride Petiti usi sunt. 114. seq. nonnisi duo templa Hierosolymis fuisse dicunt. 344. nunc Pascha non comedunt. 386. & cur non. 387. nunquam ante templi secundi finem anni sui rationem immutarunt. 135. nunquam diẽ tantũ in anno intercalabant. 401 post captivitatem Babylonicã quando ab alienigenarum imperio primum liberati sunt. 336, quibus in calculo annis utebantur? 129. quomodo in religione sint convincendi? 242. temporum rationem rejiciunt. 243. causa hujus rei. ibid.
Iudæorum anni & menses quomodo optimè cognosci, ac demonstrari possint. 111. 112. anni quales 112. 113. juxta Scaligerum. 114. juxta Petavium. 118. duæ sectæ generales. 403. in solemnitate Scenopegiorum celebrandâ ritus. 431. menses à visione Lunæ Christi temporibus dependebant. 112. ritus observandi Lunam quamdiu ex mente Talmudicorum duravit? 112. nemo stante templo, Pascha iuxta medios motus celebrabat. Ludov. Capellus refutatur. 402. 403. Respublica antiqua. 275. ritus in festo expiationis celebrando. 430. tempora stante templo, iuxta artificiales Lunæ Cyclos nunquam ordinata fuere. 143

Iuda Regum anni demonstrantur. 287
Iudas cur in horto Gethsemane Christum quæsiverit? 432
Indicum anni explicantur. 241. 277. 280. ordinantur. 284. omniumq; initia demonstrantur. 281
Iul sive Giuli & Hiul, quid apud Danos? 147. 146.
Iulia Augusti filia quando relegata. 346
Iuliani anni methodus. 213
Iulianorum annorum Epocha. 332
Iulias civitas à Philippo quando condita. 346. 350.
Iulius Cæsar annum emendavit. 332 Pompeium vicit. ibid. Alexandriam cepit. ibid.
Iulii Cæsaris Dictatoris initium & finis. 332

K.

Kadreanak. 290
Kain primam civitatem condidit. 251. ubi? 251
Kaini successorum imperium quando cœperit? 252
Karræi à Saduceis diversi. 404
Karræorum in visionis observatione diversa à Talmudicis ratio. 404
קרת חדתא Καινὴ πόλις Karthada 296 & Kartago.
Karthago à Didone quando condita sit? 290. à pluribus condita 390. nomina illius varia. 290. cur Kadre-Anach dicta sit. 290
קדמה Καδμεία ibid.
Kepleri & Petavii de Herodis initio & fine sententia refutatur. 346. seq. in nativitatis Christi anno error. 365
Κληρουχία quo anno ab ingressu terræ Chanaan contigit. 141. 143
קב quid? 321

L.

Labyneth & Nabonnidus idem. 307
Lactantius unum ministerii annum ponit. 373
Laterculum Neomeniarum Paschalium Nicænarum. 5
Latini ab Alexandrinis in Paschatis celebratione differebant. 87. causa hujus. ibid.
Latini antiqui iuxta phases Lunæ dies numerabant. 152
Leonis Allatii de anno Græcorum Solari sententia refellitur. 160. ejusdem de anno Romano opinio falsa. 199
Leontica festum Græcorum. 158. huius sacris initiati melle lavabantur. ibid. tempus. 158. 159
לתשבה השנה quid? 312
Lib. Rabbà Gamalielis suppotititi⁹. 398
Literæ Dominicales. 88
Longomontani hypothesis Veneris & Mercurii duplex. 51. de revolutionibus opinio optima. 16
Lucas accuratissime loquutus est. 362
L. Antonius Perusiæ quando obsessus? 340. quando captus? ibid.
Luna antiquorum Ceres Ægyptiorum Isis. 52
Lunæ motus med. 57. motus Synodicus ac Periodicus. 53

M.

Macedones inter Græcos propriè dictos erant. 174
Macedonici anni Solaris ratio demonstratur. 187. intercalatio ubi? 198
Macedonicorum mensium Solarium constitutio. 189. 190. 191
Macedonum annus Lunaris erat 179. anni ratio. 179. mensium. nomina. ib. anni initium ab autumno. 179. 180. quis primus mensis sit? ibid. usque ad Seleucum vel Philippum Aridæum Lunaris mansit. 181. 182. menses Iuliani. 215
Magi in Arabia. 366. quando & unde venerint? ibid.
Magnetis & ferri motus. 14
Mandatum de ædificandis Hierosolymis, quando datum? 417
Manetho priorum Ægypti dynastiarum annos corrupit. 273. & cur? ibid.
Manethonis de magno anno, & fine mundi opinio. 274

Mara-

Marathoniæ pugnæ tempus. 326
Marci Evangelistæ locus explicatur, atque emendatur. 434
Mars terris interdum propior quam Sol & cur? 49
Martis motus med. 51
Martis stella infra Venerem. 14
Matathias primus Hasamonæorũ. 336
Matthęus in Evangelio scribendo ordinis accuratam rationem habuit. 427
Matthęi locus 27.v.1.seq.explicat.377. verba ἀπὸ δύσεως καὶ μεσημβρίας explicantur. 365
Mathematici à meridie vel media nocte diẽ inchoant, causæ huius rei. 28
Maxentii initium & finis. 104
Medici Imperii Epocha demonstratur. 292.293.
Medici Imperii initium & finis. 266. error Petavii. 268
Menses & anni antiquorum quales? 68
Menses Macedonici inoriente mutati. 184.iuxta visionẽ Lunæ ordinati.185. in Solares mutati & cur? ibid.in consequentia protrusi. 186. hoc unde factum? ib.nominibus aliis insigniti.ib.
Menses Bithynorum & Paphiorum.192
Mensis secund.in scripturis est Iiar.246
Menses veterum ex visione Lunæ dependebant, & anni ex mensibus. 66. causa huius rei. ibid.
Mensis Lunaris antiquorum xxx dierum. 149
Mensium Atheniensium numerus, nomina,& ordo.162.modus numerandi dies mensis.162.163. qui mensis intercalabatur. 163
Mensium in primo Numæ Cyclo constitutio.
Mensium Iudaicorum numerus. 128. nomina hodierna Chaldaica.129.nomina antiqua. ibid.
Mensium Macedonicorum situs,& cum Atticis mensibus collatio. 180
Mensium initia cur Cæsar; in octavis signorum partibus collocaverit? 210. opinio Scaligeri refutatur. 211. 212.
vera proponitur. 121
Merenda quid? 32
Messis in Iudæa quando? 192
Metiches scortum ad Clepsydram συνουσιάζειν. 38
Metò annum ab æstate exorsus est.163. an Solstitium in VIII cancri parte constituerit? 165
Μετωνικαίας Epocha. 313
Metonici Cycli initium in anno Iuliano 182.ratio intercalandi. 183
Metonis Cycl⁹ quo an propositus. 182
Metrous mensis qui? 189
μία σαββάτων. 376
Minchæ magnæ initium. 25. Minchæ parvæ & vesperæ secundæ initium.25
Ministerii anni ex Patribus demonstrari non possunt.373. & cur non? ibid. annos investigandi ac inveniendi certa ratio. 374.tempus ex Paschatũ ratione demonstrari non potest. 372
Modraneẽ quid? 147
Momenti Iudaici divisio iuxta R. Ada. 38
Moses accurate locutus est.253.annum à vere inchoat. 247
Motus mundi quotuplex? 10. primus. 10.secundus.ibid. secundus antiquorum refutatur.14. secundus quomodo inventus? 13
Mundus non autumno; sed vere conditus.246. Scaligeri, Petavii & aliorum argumenta refutantur. 246
Mundi conditi characteres. 249. tempus certissime demonstratur. 250 initium an ex loco Apogæi Solis accurate demonstrari possit? 250.initium iuxta Ægyptios. 247
Mundum vere conditum variis argumentis demonstratur. 249. occurritur iis, quæ opponi possunt. 249
Mysteriorum Atheniensium temp.180

N.

NAbonnidus Berosi sive Labyneth Herodoti quis fuerit? 321
Natalis Christi ex Patribus certo demon-

monstrari non potest. 307
Nativitatis Christi verum tempus. 370
Nebucadnetzar. idem qui Lebocadretzar. 316
Nebucadnetzari annus XIX est Zedechiæ XI. 310. historia explicatur. 313. initium. 305. 306. annorum ratio. 306. successores. 317
Neirus Chaldæorum quid? 235. unde ortus? 235
Nemeorum victores Apio viridi coronabantur. 177
Nepopollatzari anni explicantur ac demonstrantur. 309
Nicæna Synodus constabat 20. 48. Episcopis. 101
Nilus quando crescere incipit. 171
Nimrod quis? 263. ejus Imperium. 120. Niniven condidit. Babylonem ædificavit. 266. est idem qui Ninus. ibid. Ninuah quid? ibid. nomen hoc à Patre Chus impositum. ib. Nimrod quid? ibid. nomen hoc ababavo Noacho impositum. ibid. & cur? ib.
Nimrodis sive Nini gesta. 267
Ninive à Nino ipso non à filio ipsius nomen habuit. 265
Nisan XVI incidit in Talmude in Sabbathum. 397
Nomades Libyæ diem à nocte incipiebant. 26
Numa quot dies anno Romuli adjecerit. 196
Numæ æquinoctium. 204. Cyclus 20 annor. 197. intercalatio quomodo in hoc facta: 197. ἐξαιρέσεις, quomodo facta? 201. Methodus eiusdem. 205. anni emendatio. 197. Pompili annus. 195. 196. initium eius à vere 203
Nundina Dea Romanorum. 45
Nundinæ Romanæ. 44. earum origo. ibid. an feriæ sint. ibid.
Nundinis Canditati in campo Martio comparebant. 45. Ius agrestibus dicebatur. ibid.

O.

Octaeteris Cadmi temporibus cognita. 173. ab Endymione inventa. ibid. quid Cleostratus Tenedius & Harpalus &c. in octaeteride præstiterint? ibid.
Octaeteris Hippolyti & Dionysii. 81
Octaeteridis auctor Endymion. 153. 173. eius ratio. 153. vitiũ. ib. emendatio. ib.
Ogdoas Romanorum. 45
Olympias Aethlii Solaris. 171. Lunaris Endymionis. 172. plenilunio agebatur. ib. eius rei auctor Endymion. ib. tempus verum celebrandarum Olympiadum. 173. 174. 175.
Olympiadum Epocha demonstratur. 294. 295. methodus annorum 295. & Octaeteridum diversitas. 174. origines controversæ. 107. primi, eius ludicri auctores. ib. verisimilis de his opinio. 171. ab Ægyptiis Græci acceperunt. ibid.
Olympici certaminis ordo. 177. victores oleastro coronabantur. ibid.
Omer demetendi tempus. 26. 397
Ὀψὲ quid? ib.
Ὀψὲ σαββάτων. 377
ὥρα. unde? 33
Oratores ad Klepsydram dicebant. 37
Orbes cælestes rejiciuntur. 14

P.

Φαέθων Iupiter. 50
Pantibibla ubi! 252
Parasarum divisio & lectio unde orta? 248.
Parthi Syriam quando invaserint? 339. 340.
pascha quid? 386. ante æquinoctium non incidit. 132. à quovis Patrefamilias mactabatur ac præparabatur. 387. extra Hierosolyma comedi non potest. 387. Nicænum quando celebratur. 77. 81. Lis de paschate, unde orta. 78. pro sacrificio, illud solum sacrifi-

sacrificium denotat, quod xiv Nisan inter duas vesperas mactabatur. 388 pro tempore denotat, vel vesperam xv Nisan, vel ipsum diem xv. 388. 389. quando ab alio præparabatur. 387. quando comedebatur? 388
Paschatis lex explicatur. 386
Paschata quatuor probant Christum quartum annum post baptismum attigisse. Nec tamen plures quam quatuor annos vixisse, negant.
Paschata quinque ex historia Evangelica proponuntur. 429
Paschalis agni reliquiæ noctu comburebantur.
Paschales agni in templo propter peregrinos. 387. agni non omnes in templo immolabantur. 385
Passionis characteres. 374
Pastores Phænices apud Manethonem sunt Patriarchæ filii Iacobi. 271. cur Reges vocantur? ibid. cur illis 511 anni tribuantur? 271
Patriarcharum antediluvianorum tempora ordinantur. 253
Patrum de natali opinio. 1.2. in Gentilibus convincendis Methodus duplex. 282. 243
Pauli Forosemproniensis Evangelistarum conciliatio vana est. 395
Peloponnesiaci belli characteres & tempus. 329
Pentecoste unde. 138. Ebræis חג שבעות & cur? 138
Periodus Constantinopolitana ad annos Christi applicata. 106. 107
Periodus Iuliana explicatur. 106. ejus auctor Scaliger. ibid. ad annos Christi applicatur. ibid.
Persarum Reges. 327
Persici anni ratio Epocha 238. & Methodus. 239
Persici Imperii initium. 325
Petavii Cyclus, quem ex Epiphanio colligit, cum verbis Epiphanii non convenit. 119
Petavii de anno Atheniensium antiquo ac civili. 156. ut & Hierophantico Ægyptiorum. ejusdem de annis 520. qui Exodum & ædificationem templi intercessissent opinio rejicitur. 276. 277. ac civili Thebæorum Ægyptiacorum sententia refellitur. 217. ejusdem de anno Romano opinio falsa. 198. in natali anno Christi error. 365. falsa ratio, ob quam existimat Christum alio tempore, quam Iudæos Pascha comedisse. 399
Petiti annus Romanus cum scriptoribus aut historia non convenit. 207
Φαέθων Sol. 52
Φαίνων Saturnus. 50
Pharao Nechao initium. 328
Phasium Lunarium numerus & nomina. 53. juxta phasin antiqui menses ordinabant 192. cur id mutatum. 192
Philippæi anni vagi. 187
Philippus Aridæus frater Alexandri M. post eum regnat. 331
Philippi Epocha. ibid.
Philippi tetrarchæ obitus. 349
Philocratis parasiti lepidum inventũ. 35
Φωσφόρος Venus. 50
Phygmalion quãdo imperavit. &c. 289
Pilatus quamdiu Iudææ Præses fuit? 406. quãdo è provinciã decessit? 407
Planetæ cur obliquo motu incedant. 16
Planetæ quanto tempore cursus suos absolvant juxta antiquos? 49. juxta recentiores? 50
Planetarum nomina cur tali ordine diebus sint imposita? 38
Planetarum situs juxta Tychonem. 49
Polybii de Urbe condita opinio. 304
Pompeius quando victus. 332
Polycarpus quando passus. 290
Πρώτη σαββάτου 376
Πυρόεις Mars. 50
Pythagoras primus numeros ad Musicam applicuit. 41
Pythiorum victores lauru coronabantur. 177

Q.

Quies duplex bona & mala. 281
Quirinius Syriæ præses. 349

R.

Rabbinorum de diluvii tempore inter se pugna. 246
Refractionum vis. 84
Reges Antediluviani. 252
Regnum Maccabæorum in Talmude vocatur *regnum primum*, & Regnum Hasmonæorum. 336
Regium nomen Romæ exosum. 362
Resurrectionis historia explicatur. 376
Romæ ab Gallis captæ dies 206. annus 206.330. character. 331
Romani à quibus operibus feriis cessare debebant? 47 octavo die maribus, nono fœminis nomina imponebant. 45. post meridiem publica non tractabant. 29.30
Romani sacerdotes à media nocte diem civilem incipiunt. 28. causæ hujus rei variæ. ibid. φάσιν observabant. 14
Romanus annus à Cæsare emendatus. 207. quando depravatus 206. 207. 208.
Romanum vulgus diem ab ortu Solis inchoabat. 29
Romuli annus qualis 194.195. diversissimæ antiquorum de hac assertiones conciliantur. 194.195

S.

שבט Gen. 49. quid? 424.425
Sabbathum δευτερόπρωτον quid? 408
Sabbathum Iudæorum. 46. quid? 378
Sabbathum magnum quid? 190
Sabbathum pro hebdomade. 375. pro omnibus festis Iudæorum. 375. pro quolibet die hebdomadis. 375
Sabbathum terræ quid? 141
Sabbathi annorum eadem est ratio, quę dierum. 138
Sabbathi vera sanctificatio. 47
Sabbathorum initium ab Autumno. 139
Sabbathicus annus. 135. duo Sabbathici anni certò cogniti. 142
Sabbathicorum annorum series nunquam fuit interrupta. 137
Sacczorum festum apud Babylonios. 323
Sacrificii jugis vespertini tempus. 24
Sacrificia quomodo à Christo sublata sunt? 417
Salomonis initium. 283
Sampsonis historia explicatur. 282
Samuelis historia explicatur. ibid.
Sarorum origo. 66
Sarus Chaldæorum quid? 235.297. unde ortus? 235
Saturni motus med. 51
Scaligeri annus Romanus cum scriptoribus aut historia non convenit. 206 de ordine Hieratico opinio refutatur. 359. ejus falsa ratio, qua Evangelistas conciliare nititur. 398
Scaligeri, Tostati & aliorum in die Passionis constituendo error. 415
Scaligeri Tetraeterides Atticæ rejiciuntur. 155
Sceptrum an penes Iudam usq; ad Christum manserit? 425
Sciatericum Augusti. 37. primum in foro 37. Sciatericum primum Romæ. 37
Scotorum in paschate celebrando error. 82. unde is ortus. ibid.
Scriptura non semper eum prius numerat, qui natu maximus est. 257. ad captum vulgi se accommodat. 16. tempus accurate notat. 362. ejus explicandi ratio. 246
Seleuci initium. 332
Semiramis cur Babylonem ædificasse dicatur? 277
Senio quid? 104
Sententia eorum, qui Christum die Veneris passum dicunt, Scripturis aperte contraria est. 380.381
Septentrionales à phasi menses inchoarunt. 146
Septimus Salicũ incidit in Sabbath. 396

Septuaginta annorum captivitatis finis 22. Epocha. 314. Petavii sententia refellitur. 314
Septuaginta hebdomades Danielis non sunt plenæ.
Septuaginta Interpretes an ita verſ. 40. 41. cap. XII. Exodi transtulerint, ut nunc apud eos legitur? 259
Signa in cœlo duplicia. 165. horum discrimen. ibid.
Simonis Hasmonæi initium. 336. finis 161
Sol antiquis idem est qui Bachus Ægyptiis Osiris. 52. cur Διόνυσος dicatur. 52. pro die positus etiam noctem comprehendit. 20
Solis Apogæus initio mundi in principio arietis. 66. eccentricitas an fixa sit? 53. motus æquabilis cur inæqualis appareat? 52. motus med. 57
Solo an accurati lunaris anni usum Athenienses docuerit? 151. quid in anno Græcorum emendaverit? 152
Solstitium à Metone quo anno observatum. 182
Solstitium Cæsaris æstivum in VI. Kal. Iul. 211
Solstitium civile Veterum accurate explicatur. 164. Romanorum in octavis signorum partibus. 211. cur in VIII. parte cancri ab antiquis constituatur fuerit? 166.167
Solstitiorum apud antiquos diversitas unde orta? 164.165.166
Sosus Chaldæorum quid? 235.237
Sphæræ octavæ motus ab Hipparcho animadversus. 48
Spiritus sanctus quando Apostolis visibiliter datus est? 434
Stella fixa quantum moveatur juxta hypothesin Ptolomæi? 14
Stellæ ab ortu versus occasum non moventur 14. duplicem motum non habent. ibid.
Stellarum fixarum distantia à terra. ib. motus. 48
Stropham canentes vertebantur à dextris versus sinistra. 12. & cur? ibid.
Sulpitii Severi de natali opinio. 370
Susiana non Babyloniis, sed Medis subjecta erat. 319.320
Synodus Cæsariensis Christum die Iovis passum tradidit. 383
Syrorum menses Iuliani. 215

T.

Talismanes apud Turcas qui? 27
Talmudicorum in visionis observatione diversa à Karræis ratio. 424
Tekupha sive conversio anni quid? 247
Templum quo anno post Exodum ædificatum sit? 276. ejus tempus ex Epocha Karthaginis demonstratur. 291.
Tempora edendi tria antiquis. 32
Tempus edendi quartum apud Homerum. ibid.
Tempus est numerus numeratus non numerans. 9. quorum corporum motum mensuret? ibid. eius definitio Aristotelica. ib. Pythagorica ib. Platonica. 16
Temporis initium quod? 245
Terik. Dhilcarnaim. 332
Terræ diurna revolutio, cur à nobis non observetur? 17. ex Scripturis refutari non potest. 16
Terræ quantitas. 14
Tertullianus eodem anno Christū passum esse dixit, quo baptizatus fuerat. 371. eius de natali opinio. 367
Tharsis in Scripturis est Karthago. 291. unde ita dicta? 291
Thebæ quando ab Alexandro eversæ? 331
Thebani Ægypti annum fixum habebant. 226
Themistoclis fuga. 327
Theologorum Daniæ de anno Passionis sententia explicatur ac defenditur. 423.424. Germaniæ vero reiicitur. 422
Theophilus Cæsariensis Christum die

Iovis passum tradit. 383
Theophilus Papa nullum cyclum construxit. 93
Θὼθ quid? 329
תרשיש Οἴνασα Karthago. 290
Tiberii initium. 335. character initii. 335. finis. ibid.
Thracicum inventum. 19
Thucydides & Diodorus conciliantur. 327.
Turcæ quomodo diei tempus cognoscant. 27
Turcæ sive Musulmani diem ab ortu inchoant. 27
Turcarum ieiunia quamdiu durent. ib.
Tusculanorum menses. 148. unde orti.
Tyriorum Regum tempora ordinantur. 287. ac Scaligeri & Petavii opinio reiicitur. 289

V.

VAlentinianus Iunior quando obiit? 192
Varronis ratio in annis urbis inquirendis vana est ac falsa. 296. 297
Vespera quando incipit Selomoni Iarchi? 22. quando AbenEzræ? 22. 23. 24
Vespera tertia quid? 23
Vesperæ Karræorum 21. Talmudicorum. 21. tres sunt. 25. primę initium. 25
Vesperarum Iudaicarum vera ratio. 24
Victores coronandi ritus, à quo primum ortus. 177. sex primi Olympiad. Iphitæarum victores non coronati. ibid.
Vossii ratio ob quam existimat, alio tempore Christum quam Iudæos Pascha comedisse falsa. 401
Umbri à meridie diem inchoarunt. 28
Urbs autumno condita 304. Methodus annor. Urb. ibid.
Urbis conditæ anni serò quæsiti serius inventi. 296. characteres falsi. 297

X.

XErxis διάβασις quando contigit. 326. eius Initium duplex. 326

Z.

ZEdechiæ initium. 312
צר & صور Tyrus. 290
Zodiaci latitudo. 58
Zohar & Bahir libri cabalistici. 398

FINIS.

Iovis passum tradit. 383
Theophilus Papa nullum cyclum construxit. 93
Θέσις quid? 319
תרשיש Οἴνασα Karthago. 290
Tiberii initium. 335. character initii. 335. finis. ibid.
Thracicum inventum. 19
Thucydides & Diodorus conciliantur. 327.
Turcæ quomodo diei tempus cognoscant. 27
Turcæ sive Musulmani diem ab ortu inchoant. 27
Turcarum ieiunia quamdiu durent. ib.
Tusculanorum menses. 148. unde orti.
Tyriorum Regum tempora ordinantur. 287. ac Scaligeri & Petavii opinio reiicitur. 289

V.

Valentinianus Iunior quando obiit? 192
Varronis ratio in annis urbis inquirendis vana est ac falsa. 296. 297
Vespera quando incipit Selomoni Iarchi? 22. quando AbenEzræ? 22. 23. 24
Vespera tertia quid? 23
Vesperæ Karræorum 21. Talmudicorum. 21. tres sunt. 25. primæ initium. 25
Vesperarum Iudaicarum vera ratio. 24
Victores coronandi ritus, à quo primum ortus. 177. sex primi Olympiad. Iphitæarum victores non coronati. ibid.
Vossii ratio ob quam existimat, alio tempore Christum quam Iudæos Pascha comedisse falsa. 401
Umbri à meridie diem inchoarunt. 28
Urbs autumno condita 304. Methodus annor. Urb. ibid.
Urbis conditæ anni serò quæsiti serius inventi. 296. characteres falsi. 297

X.

Xerxis διαβάσις quando contigit. 326. eius Initium duplex. 326

Z.

Zedechiæ initium. 312
צור & صور Tyrus. 290
Zodiaci latitudo. 51
Zohar & Bahir libri cabalistici. 398

F I N I S.

Iovis passum tradit. 383
Theophilus Papa nullum cyclum construxit. 93
[illegible] quid? 329
תרשיש [illegible] Karthago. 290
Tiberii initium. 335. character initii. 335. finis. ibid.
Thracicum inventum. 19
Thucydides & Diodorus conciliantur. 327.
Turcæ quomodo diei tempus cognoscant. 27
Turcæ sive Musulmani diem ab ortu inchoant. 27
Turcarum ieiunia quamdiu durent. ib.
Tusculanorum menses. 148. unde orti.
Tyriorum Regum tempora ordinantur. 287. ac Scaligeri & Petavii opinio reiicitur. 289

V.

Valentinianus Iunior quando obiit? 192
Varronis ratio in annis urbis inquirendis vana est ac falsa. 296. 297
Vespera quando incipit Selomoni Iarchi? 22. quando AbenEzræ? 22. 23. 24
Vespera tertia quid? 23
Vesperæ Karræorum 21. Talmudicorum. 21. tres sunt. 25. primæ initium. 25
Vesperarum Iudaicarum vera ratio. 24
Victores coronandi ritus, à quo primum ortus. 177. sex primi Olympiad. Iphitæarum victores non coronati. ibid.
Vossii ratio ob quam existimat, alio tempore Christum quam Iudæos Pascha comedisse falsa. 401
Umbri à meridie diem inchoarunt. 28
Urbs autumno condita 304. Methodus annor. Urb. ibid.
Urbis conditæ anni serò quæsiti serius inventi. 296. characteres falsi. 297

X.

Xerxis διαβάσις quando contigit. 326. eius Initium duplex. 326

Z.

Zedechiæ initium. 312
צר & صور Tyrus. 290
Zodiaci latitudo. 51
Zohar & Bahir libri cabalistici. 398

FINIS.

Iovis passum tradit. 383
Theophilus Papa nullum cyclum construxit. 93
[illegible] quid? 329
תרשיש [illegible] Karthago. 290
Tiberii initium. 335. character initii. 335. finis. ibid.
Thracicum inventum. 19
Thucydides & Diodorus conciliantur. 327.
Turcæ quomodo diei tempus cognoscant. 27
Turcæ sive Musulmani diem ab ortu inchoant. 27
Turcarum ieiunia quamdiu durent. ib.
Tusculanorum menses. 148. unde orti.
Tyriorum Regum tempora ordinantur. 287. ac Scaligeri & Petavii opinio reiicitur. 289

V.

VAlentinianus Iunior quando obiit? 192
Varronis ratio in annis urbis inquirendis vana est ac falsa. 296. 297
Vespera quando incipit Selomoni Iarchi? 22. quando AbenEzræ? 22. 23. 24
Vespera tertia quid? 23
Vesperæ Karræorum 21. Talmudicorum. 21. tres sunt. 25. primę initium. 25
Vesperarum Iudaicarum vera ratio. 24
Victores coronandi ritus, à quo primum ortus. 177. sex primi Olympiad. Iphitæarum victores non coronati. ibid.
Vossii ratio ob quam existimat, alio tempore Christum quam Iudæos Pascha comedisse falsa. 401
Umbri à meridie diem inchoarunt. 28
Urbs autumno condita 304. Methodus annor. Urb. ibid.
Urbis conditæ anni serò quæsiti serius inventi. 296. characteres falsi. 297

X.

XErxis διαβάσις quando contigit. 326. eius Initium duplex. 326

Z.

ZEdechiæ initium. 312
צר & صور Tyrus. 290
Zodiaci latitudo. 58
Zohar & Bahir libri cabalistici. 398

FINIS.

Q.

Quies duplex bona & mala. 281
Quirinius Syriæ præses. 349

R.

Rabbinorum de diluvii tempore inter se pugna. 246
Refractionum vis. 84
Reges Antediluviani. 252
Regnum Maccabæorum in Talmude vocatur *regnum primum*, & Regnum Hasmonæorum. 336
Regium nomen Romæ exosum. 362
Resurrectionis historia explicatur. 376
Romæ ab Gallis captæ dies 206. annus 206.330. character. 331
Romani à quibus operibus feriis cessare debebant? 47 octavo die maribus, nono fœminis nomina imponebant. 45. post meridiem publica non tractabant. 29.30
Romani sacerdotes à media nocte diem civilem incipiunt. 28. causæ hujus rei variæ. ibid. φάσιν observabant. 14
Romanus annus à Cæsare emendatus. 207. quando depravatus 206. 207. 208.
Romanum vulgus diem ab ortu Solis inchoabat. 29
Romuli annus qualis 194.195. diversissimæ antiquorum de hac assertiones conciliantur. 194.195

S.

שבט Gen. 49. quid? 424.425
Sabbathum δευτερόπρωτον quid? 408
Sabbathum Iudæorum. 46. quid? 378
Sabbathum magnum quid? 190
Sabbathum pro hebdomade. 375. pro omnibus festis Iudæorum 375. pro quolibet die hebdomadis. 375
Sabbathum terræ quid? 141
Sabbathi annorum eadem est ratio, quæ dierum. 138
Sabbathi vera sanctificatio. 47
Sabbathorum initium ab Autumno. 139
Sabbathicus annus. 135. duo Sabbathici anni certò cogniti. 142
Sabbathicorum annorum series nunquam fuit interrupta. 137
Saccæorum festum apud Babylonios. 323
Sacrificii jugis vespertini tempus. 24
Sacrificia quomodo à Christo sublata sunt? 417
Salomonis initium. 283
Sampsonis historia explicatur. 282
Samuelis historia explicatur. ibid.
Sarorum origo. 66
Sarus Chaldæorum quid? 235.297. unde ortus? 235
Saturni motus med. 51
Scaligeri annus Romanus cum scriptoribus aut historia non convenit. 206 de ordine Hieratico opinio refutatur. 359. ejus falsa ratio, qua Evangelistas conciliare nititur. 398
Scaligeri, Tostati & aliorum in die Passionis constituendo error. 415
Scaligeri Tetraeterides Atticæ rejiciuntur. 155
Sceptrum an penes Iudam usq; ad Christum manserit? 425
Sciatericum Augusti. 37. primum in foro 37. Sciatericum primum Romæ. 37
Scotorum in paschate celebrando error. 82. unde is ortus. ibid.
Scriptura non semper eum prius numerat, qui natu maximus est. 257. ad captum vulgi se accommodat. 16. tempus accurate notat. 362. ejus explicandi ratio. 246
Seleuci initium. 332
Semiramis cur Babylonem ædificasse dicatur? 277
Senio quid? 104
Sententia eorum, qui Christum die Veneris passum dicunt, Scripturis aperte contraria est. 380.381
Septentrionales à phasi menses inchoarunt. 146
Septimus Salicũ incidit in Sabbath. 396

Septuaginta annorum captivitatis finis 22. Epocha. 314. Petavii sententia refellitur. 314
Septuaginta hebdomades Danielis non sunt plenæ.
Septuaginta Interpretes an ita vers. 40. 41. cap. XII. Exodi transtulerint, ut nunc apud eos legitur? 259
Signa in cœlo duplicia. 165. horum discrimen. ibid.
Simonis Hasmonæi initium. 336. finis 161
Sol antiquis idem est qui Bachus Ægyptiis Osiris. 52. cur Διόνυσος dicatur. 52. pro die positus etiam noctem comprehendit. 20
Solis Apogæus initio mundi in principio arietis. 66. eccentricitas an fixa sit? 53. motus æquabilis cur inæqualis appareat? 52. motus med. 57
Solo an accurati lunaris anni usum Athenienses docuerit? 151. quid in anno Græcorum emendaverit? 152
Solstitium à Metone quo anno observatum. 182
Solstitium Cæsaris æstivum in VI. Kal. Iul. 211
Solstitium civile Veterum accurate explicatur. 164. Romanorum in octavis signorum partibus. 211. cur in VIII. parte cancri ab antiquis constitutum fuerit? 166.167
Solstitiorum apud antiquos diversitas unde orta? 164.165.166
Sosus Chaldæorum quid? 235.237
Sphæræ octavæ motus ab Hipparcho animadversus. 48
Spiritus sanctus quando Apostolis visibiliter datus est? 434
Stella fixa quantum moveatur juxta hypothesin Ptolomæi? 14
Stellæ ab ortu versus occasum non moventur 14. duplicem motum non habent. ibid.
Stellarum fixarum distantia à terra. ib. motus. 48
Stropham canentes vertebantur à dextris versus sinistra. 12. & cur? ibid.
Sulpitii Severi de natali opinio. 370
Susiana non Babyloniis, sed Medis subjecta erat. 319.320
Synodus Cæsariensis Christum die Iovis passum tradidit. 383
Syrorum menses Iuliani. 215

T.

Talismanes apud Turcas qui? 27
Talmudicorum in visionis observatione diversa à Katræis ratio. 424
Tekupha sive conversio anni quid? 247
Templum quo anno post Exodum ædificatum sit? 276. ejus tempus ex Epocha Karthaginis demonstratur. 291.
Tempora edendi tria antiquis. 32
Tempus edendi quartum apud Homerum. ibid.
Tempus est numerus numeratus non numerans. 9. quorum corporum motum mensuret? ibid. eius definitio Aristotelica. ib. Pythagorica. ib. Platonica. 10
Temporis initium quod? 245
Terik. Dhilcarnaim. 332
Terræ diurna revolutio, cur à nobis non observetur? 17. ex Scripturis refutari non potest. 16
Terræ quantitas. 14
Tertullianus eodem anno Christũ passum esse dixit, quo baptizatus fuerat. 371. eius de natali opinio. 367
Tharsis in Scripturis est Karthago. 291. unde ita dicta? 291
Thebæ quando ab Alexandro eversæ? 331
Thebani Ægypti annum fixum habebant. 226
Themistoclis fuga. 327
Theologorum Daniæ de anno Passionis sententia explicatur ac defenditur. 423.424. Germaniæ vero reiicitur. 422
Theophilus Cæsariensis Christum die Iovis

Iovis passum tradit. 383
Theophilus Papa nullum cyclum construxit. 93
Θέρος quid? 329
תרשיש Οἴνυσσα Karthago. 290
Tiberii initium. 335. character initii. ibid. 335. finis.
Thracicum inventum. 19
Thucydides & Diodorus conciliantur. 327.
Turcæ quomodo diei tempus cognoscant. 27
Turcæ sive Musulmani diem ab ortu inchoant. 27
Turcarum ieiunia quamdiu durent. ib.
Tusculanorum menses. 148. unde orti.
Tyriorum Regum tempora ordinantur. 287. ac Scaligeri & Petavii opinio reiicitur. 289

V.

Valentinianus Iunior quando obiit? 192
Varronis ratio in annis urbis inquirendis vana est ac falsa. 296. 297
Vespera quando incipit Selomoni Iarchi? 22. quando AbenEzræ? 22. 23. 24
Vespera tertia quid? 23
Vesperæ Karræorum 21. Talmudicorum. 21. tres sunt. 25. primę initium. 25
Vesperarum Iudaicarum vera ratio. 24
Victores coronandi ritus, à quo primum ortus. 177. sex primi Olympiad. Iphitæarum victores non coronati. ibid.
Vossii ratio ob quam existimat, alio tempore Christum quam Iudæos Pascha comedisse falsa. 401
Umbri à meridie diem inchoarunt. 28
Urbs autumno condita 304. Methodus annor. Urb. ibid.
Urbis conditæ anni serò quæsiti serius inventi. 296. characteres falsi. 297

X.

Xerxis διαβάσις quando contigit. 326. eius Initium duplex. 326

Z.

Zedechiæ initium. 312
צר & صور Tyrus. 290
Zodiaci latitudo. 51
Zohar & Bahir libri cabalistici. 398

FINIS.